[1]) Inspicias quae Stephanus ex commentariis Sophoclis in Apollonium Theonis in Lycophronem Epaphroditi in Callimachum et Homerum excerpsit. — [2]) Cf. scholl. A 38 B 145. 494 Z 35 H 86 Θ 284 N 12. 218 Ξ 226. 229 Π 174 Υ 3 [= 53] δ 355 ν 96. 408 ρ 204. — [3]) Ex aliis commentariis satis habeo attulisse schol. Eur. Phoen. 227 et schol. Soph. Ant. 1133, schol. Ap. Arg. IIII 308 cl. cum scholl. Pind. Pyth. III 120 Lycophr. 631.

Homeri verba πολιοῖο λύκοιο Peliae fabula refertur quasi scholiasta non commentarios compilasset sed libros volgares omnibusque paratos perquisivisset ut quocunque loco liceret exempla doctrinae proponeret. Iam fere eadem leguntur apud Apollodorum:

schol. K 334 ADLd

Τυρὼ γὰρ ἡ Σαλμωνέως γεννήσασα δύο παῖδας ἐκ Ποσειδῶνος παρὰ τοῖς Ἐνιπέως τοῦ ποταμοῦ ῥείθροις κατέλιπε. τὸν μὲν οὖν ἕτερον κύων ἀφαιρεθέντων αὐτῆς τῶν γόνων [πόνων codd.] παρέχουσα θηλὴν ἔτρεφε· τὸν δὲ ἕτερον ἵππος κατὰ τὸ μέτωπον ἐπάτησεν. ἐπελθόντες οὖν οἱ ἱπποφορβοὶ ἀνελόμενοί τε τὰ παιδία ἔτρεφον καὶ ὠνόμασαν τὸν μέν, ἐπεὶ ἐκ συνδρομῆς αἵματος ἐπελιώθη, Πελίαν, τὸν δ' ἕτερον, ἐπεὶ κύων κατηλέησεν, Νηλέα.

Apollod. I 9, 8

Τυρὼ δὲ ἡ Σαλμωνέως θυγάτηρ καὶ Ἀλκιδίκης παρὰ Κρηθεῖ τρεφομένη ἔρωτα ἴσχει Ἐνιπέως τοῦ ποταμοῦ καὶ συνεχῶς ἐπὶ τὰ τούτου ῥεῖθρα φοιτῶσα τούτοις ἐπενήχετο. Ποσειδῶν δὲ εἰκασθεὶς Ἐνιπεῖ συγκατεκλίθη αὐτῇ· ἡ δὲ γεννήσασα κρύφα διδύμους παῖδας ἐκτίθησιν. ἐκκειμένων δὲ τῶν βρεφῶν παριόντος ἱπποφορβοῦ ἵππος μία προσαψαμένη τῇ χηλῇ θατέρου τῶν βρεφῶν πέλιόν τι τοῦ προσώπου μέρος ἐποίησεν. ὁ δὲ ἱπποφορβὸς ἀμφοτέρους τοὺς παῖδας ἀνελόμενος ἔθρεψε καὶ τὸν μὲν πελιωθέντα Πελίαν ἐκάλεσε, τὸν δὲ ἕτερον Νηλέα.

Haec neque unum ex altero esse descripta et inter se cognata esse concedatur necesse est: scholio Neptuni et Tyrus amor breviter attingitur, quia propter locum Homericum ratio veriloquiorum exponendorum habenda erat; praeterea plura ex historia fabulari servata sunt quam apud Apollodorum. Quid? Demonstravit Robertus [1]) bibliothecam, quae fertur Apollodori, compendium esse historiae fabularis in ludi magistrorum usum conscriptum neque ex ipsa grammaticorum Alexandrinorum disciplina profectum, sed inferiore aetate ortum, cum doctrinae thesauri et copiae antiquitus conlectae et traditae saeculis indoctioribus molem aegre ferentibus magis magisque compendi fierent. Atqui inter bibliothecam et ἱστορίας aliquam intercedere necessitudinem et Robertus intellexit et plurima documenta sunt. Comparavit ille ἱστορίας schol. I 557 et Ω 602, quibus subscripta sunt οὕτως δὴ Σιμωνίδης τὴν ἱστορίαν περιείργασται et ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι, cum Apollodori narrationibus [I 7, 8. 9. III 5, 6]. Erant addenda scholl. B 547 [ἱστορεῖ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ] cl. cum Apollod. III 14, 6 et schol. Ξ 325 [ἡ ἱστορία παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Βάκχαις] cl. cum Apollod. III 4, 3.

Huius tamen consensus causae rationesque non possunt cognosci antequam de subscriptionum origine atque auctoritate certum iudicium latum sit. De his vero quas supra movi dubi-

[1]) De Apollodori bibliotheca diss. Berol. 1873.

tationes, eae cadunt in omnes, etsi sub his ἱστορίαις non latent doctae adnotationes: immo dubitatio est nulla quin scriptorum testimonia scholiis postea sint adscripta fideque careant fere omni. Praeclarum exemplum est hoc:

schol. Ξ 325 ABDLd

Σεμέλης τῆς Κάδμου θυγατρὸς Ζεὺς ἐρασθεὶς Ἥρας κρύφα συνηυνάζετο. ἡ δὲ ἐξαπατηθεῖσα ὑπὸ Ἥρας ἐπινεύσαντος αὐτῇ Διὸς πᾶν τὸ αἰτηθὲν ποιῆσαι αἰτεῖται τοιοῦτον αὐτὸν ἐλθεῖν οἷος ἦλθε μνηστευόμενος Ἥραν. Ζεὺς δὲ μὴ δυνάμενος ἀνανεῦσαι παραγίνεται εἰς τὸν θάλαμον αὐτῆς ἐφ' ἅρματος ἀστραπὰς καὶ βροντὰς ὁμοῦ καὶ κεραυνὸν ἀφιείς. Σεμέλης δὲ διὰ τὸν φόβον ἐκλιπούσης ἐξαμηνιαῖον τὸ βρέφος ἐξαμβλωθὲν ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας ἐνέρραψε τῷ μηρῷ. ἡ ἱστορία παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Βάκχαις.

Apollod. III 4, 3

Σεμέλης δὲ Ζεὺς ἐρασθεὶς κρύφα συνευνάζεται.[1]) ἡ δὲ ἐξαπατηθεῖσα ὑπὸ Ἥρας κατανεύσαντος αὐτῇ Διὸς πᾶν τὸ αἰτηθὲν ποιήσειν αἰτεῖται τοιοῦτον αὐτὸν ἐλθεῖν οἷος ἦλθε μνηστευόμενος Ἥραν. Ζεὺς δὲ μὴ δυνάμενος ἀνανεῦσαι παραγίνεται εἰς τὸν θάλαμον αὐτῆς ἐφ' ἅρματος ἀστραπαῖς ὁμοῦ καὶ βρονταῖς καὶ κεραυνὸν ἵησιν. Σεμέλης δὲ διὰ τὸν φόβον ἐκλιπούσης ἐξαμηνιαῖον τὸ βρέφος ἐξαμβλωθὲν ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας ἐνέρραψε τῷ μηρῷ.

Ex iis quae scholio enarrantur apud Euripidem nihil legitur[2]); neque fabulae Euripideae ὑπόθεσιν neglegenter compositam scholii fuisse fundamentum licet probabiliter conici, quoniam in Baccharum argumento non de Semela, sed de Pentheo agendum erat. Sed conferas Apollodori quae secuntur verba ἀποθανούσης δὲ Σεμέλης αἱ λοιπαὶ Κάδμου θυγατέρες διήνεγκαν λόγον συνηυνάσθαι θνητῷ τινι Σεμέλην καὶ καταψεύσασθαι Διὸς καὶ ὅτι διὰ τοῦτο ἐκεραυνώθη cum Baccharum prologo [vs. 26 sq.]:

ἐπεί μ' ἀδελφαὶ μητρός, ἃς ἥκιστ' ἐχρῆν,
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός,
Σεμέλην δὲ νυμφευθεῖσαν ἐκ θνητοῦ τινος
εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους,
Κάδμου σοφίσμαθ', ὧν νιν οὕνεκα κτανεῖν
Ζῆν' ἐξεκαυχῶνθ', ὅτι γάμους ἐψεύσατο.

Cum nihil obstet quominus Apollodorea olim in scholio extitisse, postea esse omissa statuatur, Euripidis nomen, quod his verbis additum erat, falso toti scholio a librario subscriptum esse sequitur.

Alterum praesto est exemplum conlatis scholiis Γ 243 et Pind. Nem. X 112:

---

[1]) Hoc in scholio Ld legitur ut infra ἵησιν pro ἀφιείς, ἀστραπαῖς et βρονταῖς pro accusativis. — [2]) Cf. vs. 2 sq. 7 sq. 88—97. 288—297. 521—527.

schol. Γ 243 ADLd

Ἴδας καὶ Λυγκεὺς Ἀφαρέως παῖδες γάμους θύοντες τῶν Λευκίππου θυγατέρων Φοίβης καὶ Ἱλαείρας ἐκάλεσαν τοὺς Διοσκούρους συγγενεῖς ὄντας· ὁ γὰρ Τυνδάρεως Ἀφαρέως ἀδελφὸς ἦν. λέγεται δὲ τοὺς Διοσκούρους ἐξαρπάσαι τὰς κόρας ἔτι παρθένους οὔσας. μαχομένων δ' αὐτῶν περὶ τοῦ γάμου καρτερῶς ἀναιρεῖται Κάστωρ. ὅθεν ὁ Ζεὺς ὀργισθεὶς κεραυνῷ βάλλει τὸν Ἴδαν, παραμυθεῖται δὲ Πολυδεύκην καὶ τίθεται αὐτῷ αἵρεσιν πότερον θέλει ἀθάνατος εἶναι ἢ σὺν τῷ ἀδελφῷ ἓξ μῆνας τελευτᾶν καὶ τοὺς ἴσους ζῆν. ὁ δὲ μᾶλλον αἱρεῖται μετὰ Κάστορος ἀποθανεῖν καὶ ζῆν. ἡ ἱστορία παρὰ Πινδάρῳ.

schol. Pind. Nem. X 112

ἡ ἱστορία ἐστὶ τοιαύτη. Λυγκεὺς καὶ Ἴδας οἱ Ἀφαρέως παῖδες ἐμνηστεύσαντο τὰς Λευκίππου θυγατέρας Φοίβην καὶ Ἱλάειραν. κατὰ δὲ τὴν τῶν γάμων εὐωχίαν τοὺς Διοσκούρους εἰς ἑστίασιν ἐκάλεσαν· οἱ δὲ τὰς κόρας ἁφαρπάσαντες ἀπέφευγον, οἱ δὲ ἐπεδίωκον καὶ συνίσταται τοῖς Ἀφαρητιάδαις καὶ τοῖς Διοσκούροις μάχη περὶ τῶν γάμων καὶ ἀναιρεῖται Κάστωρ· εἶτα Πολυδεύκης ἀνεῖλεν ἀμφοτέρους συμπράξαντος τοῦ Διὸς καὶ κεραυνὸν αὐτοῖς ἐπιπέμψαντος. ὁ δὲ Πίνδαρος οὐ διὰ τὰς νύμφας φησὶν αὐτοῖς γεγενῆσθαι τὴν στάσιν ἀλλὰ διὰ βοῶν ἀπελασίαν. ψυχορραγοῦντος οὖν τοῦ Κάστορος Πολυδεύκης ὢν ἀθάνατος πρὸς τὸν ὄντα φθαρτὸν εἵλετο καταμερίσασθαι τὴν ἀθανασίαν τῇ τῆς φύσεως ἐκνικώμενος ἀνάγκῃ· οὕτως οὖν αὐτοὺς καὶ Ὅμηρος ἑτερημέρους καλεῖ.

Verine est similius scholio Homerico Pindari testimonium cum, ut in Pindarico, eius dissensus olim commemoratus esset, neglegenter esse adglutinatum an huius loci Pindarici argumentum adumbrari?

μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Διὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γαίας ἐν γυάλοις Θεράπνας
πότμον ἀμπιπλάντες ὁμοῖον· ἐπεὶ
τοῦτον ἢ πάμπαν θεὸς ἔμμεναι οἰκεῖν τ' οὐρανῷ
εἵλετ' αἰῶνα φθιμένου Πολυδεύκης Κάστορος ἐν πολέμῳ·
τὸν γὰρ Ἴδας ἀμφὶ βουσίν πως χολωθεὶς ἔτρωσεν χαλκέας λόγχας
ἀκμᾷ [Nem. X 55].

Ne immortalitatis quidem partitio ex Pindaro enarratur quod hic per menses, illic per dies Olympum Orcumque fratres commutasse dicuntur. Neque minus certe quam poetarum damnanda sunt testimonia mythographorum vel ea de causa quod res ἱστορίαις enarratae ad auctores in subscriptionibus commemoratos non propter eas discrepantias nequeunt referri quae ex oratione poetica in pedestrem narrationem conversa oriri solent, sed quia testimonia ex singulis historiarum locis temere desumpta sunt. Praeterea e. c. scholio φ 22 integrum Pherecydis frustulum propositum esse non potest putari, quoniam quod ἔγκλημα Hercules contra Iphi-

tum eiusque patrem Eurytum habuisse dicitur diversum est ab eo quod a Pherecyde traditum esse e schol. Soph. Trach. 354 cognoscitur.[1])

Iam igitur ex subscriptionibus probari nequit Apollodori et ἱστοριῶν consensum ita explicandum esse ut ipsos mythographorum libros et a scholiasta et ab Apollodoro esse excerptos, carminum lyricorum vel epicorum argumenta ab Homeri commentatore conlecta et passim bibliothecae inspersa coniciatur.[2]) Sed vel ea de ratione quod bibliotheca est historiae fabularis compendium, graviter monendum esse censeo ne in eius origines et auctoritatem ita inquiratur quasi unicus fuisset libellus atque singularis, sed ita ut semper teneatur hunc unum hodie superesse ex plurimis atque prorsus eiusdem quidem generis. Dixi supra [p. 443 sq.] Homeri scholiastae fabulam Peliae ex libro volgari paratam fuisse quoniam loco ita inepto proponeretur ut ex docto commentario petita esse putari non posset — quid? ut postea Byzantini ubique bibliothecae copias speciose proponunt, similia compendia verine est simillimum a scholiastis saepissime esse compilata? Quicunque igitur inveniuntur consensus bibliothecae taliumque scholiorum, eos maximam partem non ad veterem aliquem auctorem eundem ab omnibus exscriptum referes, sed ex natura derivabis compendiorum. Postquam enim ex primorum huius modi librorum exemplo certus constitutus est fabularum orbis ususque auctorum, iam ceteri plurima exhibent communia atque rarissime integra praebent auctorum primariorum vestigia. E. c. Danaae fabula in bibliotheca ita exponitur ut enarrationis tenor sit Pherecydeus:

schol. Ap. Arg. IIII 1091

Φερεκύδης ἐν τῷ β ἱστορεῖ ὡς Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην τὴν Λακεδαίμονος· τῶν δὲ γίνεται Δανάη. χρωμένῳ δὲ αὐτῷ περὶ ἄρσενος παιδὸς ἔχρησεν ὁ θεὸς ἐν Πυθοῖ ὅτι αὐτῷ μὲν οὐκ ἔσται παῖς ἄρσην, ἐκ δὲ τῆς θυγατρός, πρὸς οὗ αὐτὸν ἀπολεῖσθαι. ὁ δὲ ἀναχωρήσας εἰς Ἄργος θάλαμον ποιεῖ χαλκοῦν ἐν τῇ αὐλῇ τῆς οἰκίας κατὰ γῆς, ἔνθα τὴν Δανάην εἰσάγει μετὰ τροφοῦ,

Apollod. II 4, 1

Ἀκρισίῳ δὲ περὶ παίδων γενέσεως ἀρρένων χρηστηριαζομένῳ ὁ θεὸς ἔφη γενήσεσθαι παῖδα ἐκ τῆς θυγατρὸς ὃς αὐτὸν ἀποκτενεῖ. δείσας οὖν Ἀκρίσιος τοῦτο ὑπὸ γῆν θάλαμον κατα-

[1]) Φερεκύδης φησὶν οὕτω· μετὰ δὲ τὸν ἀγῶνα Ἡρακλῆς ἀφικνεῖται πρὸς Εὔρυτον τὸν Μέλανος τοῦ Ἀρκεσιλάου εἰς τὴν Οἰχαλίαν· ᾠκεῖτο δὲ αὕτη ἐν Θούλῃ τῆς Ἀρκαδίας· καὶ ᾔτει τὴν θυγατέρα Ὕλλῳ γυναῖκα· τοῦ δὲ μὴ δόντος Ἡρακλῆς εἶλε τὴν Οἰχαλίαν καὶ τοὺς υἱοὺς ἔκτεινεν. Ἶφιτος δὲ ἔφυγεν εἰς Εὔβοιαν. — schol. φ 22 τὸν δὲ Ἡρακλέα . . . . καταστρέψαι διὰ τὸ πρὸς αὐτὸν ἔχειν ἔγκλημα καὶ τὸν πατέρα ὅτι τελευτήσαντι αὐτῷ τὸν ἆθλον τὴν Ἰόλην γαμεῖν οὐκ ἔδωκαν ἀλλ' ἀτιμάσαντες ἀπέπεμψαν. Haec non sunt Pherecydis sed Herodori cl. schol. Eur. Hippol. 545 Neque probandus est Odofredus Mueller [Dor. vol. II p. 453] quod ex scholiis Homerico et Sophocleo omni modo consarcinatis Pherecydea restituebat. — [2]) Robert. l. c. p. 86.

ἐν ᾧ αὐτὴν ἐφύλαccεν ὅπως ἐξ αὐτῆc παῖc μὴ γένηται. ἐραcθεὶc δὲ Ζεὺc τῆc παιδὸc ἐκ τοῦ ὀρόφου χρυcῷ παραπλήcιοc ῥεῖ. ἡ δὲ ὑποδέχεται τῷ κόλπῳ καὶ ἐκφήνας αὐτὸν ὁ Ζεὺc τῇ παιδὶ μίγνυται. τῶν δὲ γίνεται Περcεὺc καὶ ἐκτρέφει αὐτὸν ἡ Δανάη καὶ ἡ τροφὸc κρύπτουcαι Ἀκρίcιον. ὅτε δὲ Περcεὺc τριέτης καὶ τετραέτης ἐγένετο, ἤκουcεν αὐτοῦ τῆc φωνῆc παίζοντοc καὶ διὰ τῶν θεραπόντων μετακαλεcάμενοc τὴν Δανάην cὺν τῇ τροφῷ τὴν μὲν ἀναιρεῖ, Δανάην δὲ καταφέρει cὺν τῷ παιδὶ ἐπὶ τὸν ὑπὸ τὸ ἑρκίον Διὸc βωμόν, μόνοc δὲ αὐτὴν ἐρωτᾷ πόθεν εἴη αὐτῇ γεγονὼc ὁ παῖc. ἡ δὲ ἔφη ἐκ Διόc· ὁ δὲ οὐ πείθεται ἀλλ᾽ εἰc λάρνακα ἐμβιβάζει αὐτὴν μετὰ τοῦ παιδὸc καὶ κλείcαc καταποντοῖ. καὶ φερόμενοι ἀφικνοῦνται εἰc Cέριφον τὴν νῆcον καὶ αὐτοὺc ἐξέλκει Δίκτυc ὁ Περιcθένουc δικτύῳ ἁλιεύων. εἶτα ἡ Δανάη ἀνοῖξαι ἱκετεύει τὴν λάρνακα. ὁ δὲ ἀνοίξαc καὶ μαθὼν οἵτινέc εἰcιν ἄγει εἰc τὸν οἶκον καὶ τρέφει ὡc ἂν cυγγενεῖc αὐτοῦ ὄντας. cκευάcαc χαλκοῦν τὴν Δανάην ἐφρούρει. καὶ ταύτην, ὡc μὲν ἔνιοι λέγουcιν, ἔφθειρε Προῖτοc, ὅθεν αὐτοῖc καὶ ἡ cτάcιc ἐκινήθη· ὡc δὲ ἔνιοί φαcι, Ζεὺc μεταμορφωθεὶc εἰc χρυcὸν καὶ διὰ τῆc ὀροφῆc εἰc τοὺc Δανάηc εἰcρυεὶc κόλπουc cυνῆλθεν. αἰcθόμενοc δὲ Ἀκρίcιοc ὕcτερον ἐξ αὐτῆc γεγεννημένον Περcέα μὴ πιcτεύcαc ὑπὸ Διὸc ἐφθάρθαι τὴν θυγατέρα μετὰ τοῦ παιδὸc εἰc λάρνακα βαλὼν ἔρριψεν εἰc θάλαccαν. προcενεχθείcηc δὲ τῆc λάρνακοc Cερίφῳ Δίκτυc ἄραc ἀνέτρεφε Περcέα.

Haec tamen non ab ipso bibliothecae auctore ex Pherecyde excerpta esse cum vel ex adnotata discrepantia conici liceat, certo demonstratur scholio Ξ 319 ABDLd quippe quo et tota enarratio Apollodorea verbis fere eisdem referatur et discrepantiae eaedem redeant: Δανάη Ἀκρικίου θυγάτηρ ἣ Διὶ cυγκοιμηθεῖcα Περcέα ἐγέννηcε. χρωμένῳ γάρ φαcι τῷ Ἀκρικίῳ περὶ γενέcεωc ἀρρένων παίδων ὁ θεὸc ἔφη γενέcθαι παῖδα ἐκ τῆc θυγατρὸc καὶ αὐτὸν κτεῖναι· δείcαc δὲ ὁ Ἀκρίcιοc τοῦτο κατὰ γῆc θάλαμον χαλκοῦν κατακκευάcαc τὴν Δανάην ἐφρούρει. αὕτη δὲ, ὥc φηcι Πίνδαροc καὶ ἄλλοι τινέc, ἐφθάρη ὑπὸ τοῦ πατραδέλφου αὐτῆc Προίτου, ὅθεν αὐτοῖc καὶ cτάcιc ἐκινήθη. ὡc δὲ ἔνιοί φαcιν, ὁ Ζεὺc μεταμορφωθεὶc εἰc χρυcὸν καὶ διὰ τῆc ὀροφῆc εἰc τὸν Δανάηc ῥυεὶc κόλπον cυνῆλθεν. αἰcθόμενοc δὲ Ἀκρίcιοc ὕcτερον ἐξ αὐτῆc γεγεννημένον Περcέα μὴ πιcτεύcαc ὑπὸ Διὸc ἐφθάρθαι τὴν θυγατέρα μετὰ τοῦ παιδὸc εἰc λάρνακα βαλὼν ἔρριψεν εἰc θάλαccαν. διαcωθέντων δὲ τούτων εἰc Cέριφον τὴν νῆcον μίαν τῶν Κυκλάδων cυνέβη ἀνατραφῆναι τὸν παῖδα παρὰ Πολυδέκτῃ ἢ, ὡc ἔνιοί φαcιν, ὑπὸ Δίκτυοc τοῦ ἀδελφοῦ Πολυδέκτου. φυγόντοc δὲ ὕcτερον Ἀκρικίου τὴν Ἀργείων βαcιλείαν παρέλαβε Περcεύc.

Iam instat philologis labor non magis vastus atque ingens quam necessarius et fecundus, ut horum compendiorum ex omnibus et scriptoribus et scholiastis reliquiae conquirantur comparenturque,

tum origines atque natura ita eruantur et exponantur ut cognoscatur ex quibus sive mythographis sive poetis narrationum desumpti sint tenores et fundamenta, his quibus modis inserti atque infusi sint vel poetarum loci vel discrepantiarum catalogi ex grammaticorum Alexandrinorum libris commentariisque excerpti, denique singulis quae pro aetate et usu propria sint compendiis quaeve communia omnibus. Sed hoc ei libello quo de scholiis Homericis agatur, et multo maius neque aptum est, quoniam compendiorum vestigia per omnia scholiorum corpora dispersa sunt.[1]) Adnotetur tamen hoc loco ante Diodori aetatem talia composita esse compendia. Fieri solere in historiae fabularis compendiis ut tota fabulae enarratio ex poeta aliquo desumeretur adspergerentur doctae adnotationes ex commentatore sublatae, in clarissimo Argonautarum fabulae exemplo nuper demonstravi. Atqui expeditionis a septem ducibus in Thebas factae initia Diodorus ita enarrat ut fere ad verbum Phoenissarum prologus referatur:

Diodor. IIII 64	Eur. Phoen.
Λάιος ὁ Θηβῶν βασιλεὺς γήμας Ἰοκάστην τὴν Κρέοντος καὶ χρόνον ἱκανὸν ἄπαις ὢν ἐπηρώτησε τὸν θεὸν περὶ τέκνων γενέσεως. τῆς δὲ Πυθίας δούσης χρησμὸν αὐτῷ μὴ συμφέρειν γενέσθαι τέκνα· τὸν γὰρ ἐξ αὐτοῦ τεκνωθέντα παῖδα πατροκτόνον ἔσεσθαι καὶ πᾶσαν τὴν οἰκίαν πληρώσειν μεγάλων ἀτυχημάτων· ἐπιλαθόμενος τοῦ χρησμοῦ καὶ γεννήσας υἱὸν ἐξέθηκε τὸ βρέφος διαπερονήσας αὐτοῦ τὰ σφυρὰ σιδήρῳ· δι' ἣν αἰτίαν Οἰδίπους ὕστερον ὠνομάσθη. οἱ δ' οἰκέται λαβόντες τὸ παιδίον ἐκθεῖναι μὲν οὐκ ἠθέλησαν, ἐδωρήσαντο δὲ τῇ Πολύβου γυναικὶ οὐ δυναμένῃ γεννῆ-	13 . . . γαμεῖ δε Λάιός μ'· ἐπεὶ δ' ἄπαις ἦν χρόνια λέκτρα τἄμ' ἔχων ἐν δώ- μασιν, 15 ἐλθὼν ἐρωτᾷ Φοῖβον . . . 17 ὁ δ' εἶπεν· . . . μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ. εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς. καὶ πᾶς σὸς οἶκος βήσεται δι' αἵματος. ὁ δ' ἡδονῇ δοὺς εἵστε βακχεῖον πεσὼν 22 ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα καὶ σπείρας βρέφος 25 δίδωσι βουκόλοισιν ἐκθεῖναι βρέφος σφυρῶν σιδηρᾷ κέντρα διαπείρας μέσον· ὅθεν νιν Ἕλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν. Πολύβου δέ νιν λαβόντες ἱππο- βουκόλοι φέρουσ' ἐς οἴκους εἵς τε δεσποίνης χέρας ἔθηκαν· ἡ δὲ τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον μαστοῖς ὑφεῖτο καὶ πόσιν πείθει τεκεῖν.

[1]) E. c. cf. schol. B 105 cum schol. Eur. Orest. 812. 998; schol. B 104 cum scholl. Eur. Orest. 990 Ap. Arg. I 752 Serv. ad Verg. Georg. III 7 Hygin. fab. LXXXIIII; schol. B 336 cum schol. Ap. Arg. I 156 Apollod. I 9, 9, 2. II 7, 3, 1. Scholia Homericum et Pindaricum supra composita sunt; cum schol. B 547 Apollod. III 14, 6 cf. schol. Plat. Tim. p. 23 D; schol. Theocrit. III 43 cum schol. λ 287 Apollod. I 9, 12 etc. etc.

και παῖδας. μετὰ δὲ ταῦτα ἀνδρωθέντος τοῦ παιδὸς ὁ μὲν Λάιος ἔκρινεν ἐπερωτῆσαι τὸν θεὸν περὶ τοῦ βρέφους τοῦ ἐκτεθέντος, ὁ δὲ Οἰδίπους μαθὼν παρά τινος τὴν καθ' ἑαυτὸν ὑποβολὴν ἐπεχείρησεν ἐπερωτῆσαι τὴν Πυθίαν περὶ τῶν κατ' ἀλήθειαν γονέων κτλ.

ἤδη δὲ πυρσαῖς γένυσιν ἐξανδρούμενος
παῖς οὑμὸς ἢ γνοὺς ἥ τινος μαθὼν πάρα
* * * *[1])
ἔστειχε τοὺς φύσαντας ἐκμαθεῖν θέλων
πρὸς δῶμα Φοίβου Λάιός θ' οὑμὸς πόσις
τὸν ἐκτεθέντα παῖδα μαστεύων μαθεῖν
37 εἰ μηκέτ' εἴη· κτλ.

Cetera ipse compares: usque ad Polynicis fugam omnia eadem sunt: unum si exceperis locum quo de Sphinge, quam Euripides obiter commemoravit, plura Diodorus adnotat [c. 64, 4]: ἦν δὲ τὸ προτεθὲν ὑπὸ τῆς Σφιγγὸς τί ἐστι τὸ αὐτὸ δίπουν τρίπουν καὶ τετράπουν. ἀπορουμένων δὲ τῶν ἄλλων ὁ Οἰδίπους ἀπεφήνατο ἄνθρωπον εἶναι τὸ προβληθέν· νήπιον μὲν γὰρ αὐτὸν ὑπάρχοντα τετράπουν εἶναι, αὐξήσαντα δὲ δίπουν, γηράσαντα δὲ τρίπουν βακτηρίᾳ χρώμενον διὰ τὴν ἀσθένειαν. ἐνταῦθα τὴν μὲν Σφίγγα κατὰ τὸν μυθολογούμενον χρησμὸν ἑαυτὴν κατακρημνίσαι. Sphingis aenigma Phoenissarum scholiis traditum esse non urgeam quippe quod cuique notum esset, sed de Sphingis morte cf. schol. vs. 50 τινὲς δέ φασι τύχῃ λῦσαι τὸ αἴνιγμα καὶ δακτυλοδεικτεῖν ὃ ἐστι * τὸν ἄνθρωπον * ἑαυτὴν διεσπάραξεν et vs. 1506 φασὶ γὰρ ὅτι λύσαντος τοῦ Οἰδίποδος τὸ αἴνιγμα διεσπάραξεν ἑαυτὴν ἡ Σφίγξ. Quod si idem legitur apud Hyginum [fab. LXVII] et Apollodorum [III 5, 7. 8], certe in bibliothecam haec ex scholiis Euripideis pervenisse aliunde constat. Narratio ex prologo Euripideo et paucis locis Oedipi Regis composita est: Euripidea referuntur initio usque ad verba τελειωθεὶς δὲ ὁ παῖς, postea Οἰδίπους δὲ — Ἀντιγόνην, Sophoclea haec:

bibl. III 5, 7, 3

τελειωθεὶς δὲ ὁ παῖς καὶ διαφέρων τῶν ἡλίκων ἐν ῥώμῃ διὰ φθόνον ὠνειδίζετο ὑπόβλητος. ὁ δὲ πυνθανόμενος παρὰ τῆς Περιβοίας μαθεῖν οὐκ ἐδύνατο· ἀφικόμενος δὲ εἰς Δελφοὺς περὶ τῶν ἰδίων ἐπυνθάνετο γονέων. ὁ

Soph. OR.

775 ἠγόμην δ' ἀνὴρ
776 ἀστῶν μέγιστος τῶν ἐκεῖ . . .
779 ἀνὴρ γὰρ ἐν δείπνοις μ' ὑπερπλησθεὶς μέθῃ
780 καλεῖ παρ' οἶνῳ πλαστὸς ὡς εἴην πατρί.
782 . . . θατέρᾳ δ' ἰὼν πέλας
μητρὸς πατρός[2]) τ' ἤλεγχον· οἱ δὲ δυσφόρως
τοὔνειδος ἦγον τῷ μεθέντι τὸν λόγον·
κἀγὼ τὰ μὲν κείνοιν ἐτερπόμην, ὅμως δ'
ἔκνιζέ μ' ἀεὶ τοῦθ'· ὑφεῖρπε γὰρ πολύ.

[1]) Cum ex ipso verborum malo contextu tum ex Diodori loco versum intercidisse apparet. — [2]) Patrem omisit bibliothecae auctor quia Euripidem secutus Oedipodem a matre suppositum esse narraverat.

δὲ θεὸς εἶπεν αὐτῷ εἰς τὴν πατρίδα μὴ πορεύεσθαι· τὸν μὲν γὰρ πατέρα φονεύσειν, τῇ δὲ μητρὶ μιγήσεσθαι. τοῦτο ἀκούσας καὶ νομίζων ἐξ ὧν ἐλέγετο γεγεννῆσθαι Κόρινθον μὲν ἀπέλιπεν.

λάθρᾳ δὲ μητρὸς καὶ πατρὸς πορεύομαι
Πυθώδε. καί μ' ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην
ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προύφηνεν λέγων
791 ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μιχθῆναι . .
793 φονεὺς δ' ἐσοίμην τοῦ φυτεύσαντος
πατρός·
κἀγὼ ἐπακούσας ταῦτα τὴν Κορινθίαν
. . . . . χθόνα
796 ἔφευγον.

Praeterea extremis bibliothecae verbis Oedipi Colonei argumentum continetur. Iam conferantur quae in bibliotheca de Sphinge Oedipodisque liberis adnotantur cum scholiis Phoenissarum:

bibl. III 5, 8, 2
ἔπεμψε γὰρ Ἥρα Σφίγγα,

ἣ μητρὸς μὲν Ἐχίδνης ἦν, πατρὸς δὲ Τυφῶνος,

εἶχε δὲ πρόσωπον μὲν γυναικός, στῆθος δὲ καὶ βάσιν καὶ οὐρὰν λέοντος καὶ πτέρυγας ὄρνιθος . . .

4 χρησμοῦ δὲ Θηβαίοις ὑπάρχοντος τηνικαῦτα ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς Σφιγγὸς ἡνίκα ἂν τὸ αἴνιγμα λύσωσι, συνιόντες εἰς ταὐτὸ πολλάκις ἐζήτουν τί τὸ λεγόμενόν ἐστιν. ἐπὰν δὲ μὴ εὑρίσκοιεν, ἁρπάσασα ἕνα κατεβίβρωσκε.

5 πολλῶν δὲ ἀπολλυμένων καὶ τὸ τελευταῖον Αἵμονος τοῦ Κρέοντος . . .

schol. vs. 1760 ἱστορεῖ Πείανδρος ὅτι κατὰ χόλον τῆς Ἥρας ἐπέμφθη ἡ Σφὶγξ τοῖς Θηβαίοις ἀπὸ τῶν ἐσχάτων μερῶν τῆς Αἰθιοπίας ὅτι τὸν Λάιον ἀσεβήσαντα εἰς τὸν παράνομον ἔρωτα τοῦ Χρυσίππου, ὃν ἥρπασεν ἀπὸ τῆς Πίσης, οὐκ ἐτιμωρήσαντο.

1019 ἡ δὲ Σφὶγξ γέγονεν Ἐχίδνης καὶ Τυφῶνος.

45 τὴν δὲ Σφίγγα οἱ μὲν λέγουσιν ἔχειν πρόσωπον παρθένου, στῆθος δὲ καὶ πόδας λέοντος, πτερὰ δὲ ὄρνιθος . . . Ἀσκληπιάδης δὲ λέγει τοὺς Θηβαίους εἰς ἐκκλησίαν καθ' ἑκάστην ἀθροίζεσθαι διὰ τὸ δυσαίνιγμα τῆς Σφιγγός. λύγιον γὰρ ἦν αὐτοῖς μὴ ἀπαλλαγήσεσθαι τῶν κακῶν πρὶν ἂν τοὺς τῆς Σφιγγὸς λύσειαν χρησμούς, ὁπότε δὲ μὴ συνίοιεν, ἁρπάζειν αὐτὴν ὄντινα ἂν βούλοιτο τῶν πολιτῶν.

ἁρπασθῆναι δέ φασιν ὑπ' αὐτῆς Αἵμονα τὸν Κρέοντος παῖδα.

1760 οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράφοντες [οὐδεὶς οὕτω φησὶ περὶ τῆς Σφιγγὸς]:

ἀλλ' ἔτι κάλλιστόν τε καὶ ἱμεροέστατον ἄλλων
παῖδα φίλον Κρείοντος ἀμύμονος Αἵμονα δῖον.

7 εἰσὶ δὲ οἳ γεννηθῆναι τὰ τέκνα φασὶν ἐξ Εὐρυγανείας αὐτῷ τῆς Ὑπέρφαντος.

53 Φερεκύδης τὰ κατὰ τοὺς Οἰδίποδος παῖδας καὶ τὰς γημαμένας οὕτως ἱστορεῖ· Οἰδίποδί, φησι, Κρέων δίδωσι τὴν βασιλείαν καὶ τὴν γυναῖκα Λαΐου, μητέρα δ' αὐτοῦ Ἰοκάστην, ἐξ ἧς γίνονται αὐτῷ Φράστωρ καὶ Λαόνυτος, οἳ θνήσκουσιν ὑπὸ Μινυῶν καὶ Ἐργίνου. ἐπεὶ δὲ ἐνιαυτὸς παρῆλθε, γαμεῖ ὁ Οἰδίπους Εὐρυγάνειαν τὴν Περίφαντος, ἐξ ἧς γίνονται αὐτῷ Ἀντιγόνη καὶ Ἰσμήνη ... υἱοὶ δὲ αὐτῷ ἐξ αὐτῆς Ἐτεοκλῆς καὶ Πολυνείκης.

Addas aenigma et solutionem cl. scholio vs. 50. Bibliothecae propria sunt nomen Periboeae, rixa Oedipodis Laiique, Laii funus, Musae Sphingis magistrae: haec omnia quod olim scholiis extitisse statuo, non temere rem agere mihi videor praesertim cum de Polybi uxoris nomine in commentariis discrepantias adnotatas esse doceamur schol. Soph. OR. 775, de Laii funere ζήτημα extet schol. Phoen. 44. A bibliothecae vero auctore non ipsos Asclepiadem vel Pherecydem esse excerptos eo probatur quod quorum praeterea ratio habetur Pisandri et Oedipodiae, etiam hi in scholiis adhibiti sunt.[1])

Neque omnino longe demonstretur necesse est prorsus easdem rationes fabularum componendarum apud Diodorum inveniri atque in compendiis illis, quoniam totum prologum Phoenissarum Oedipodis historiam brevissime complexum credi nequit a vetere et docto historiae fabularis scriptore[2]) in orationem pedestrem esse conver-

[1]) Omnino valde dubito num in bibliotheca ulla extet fabula ex ipso Pherecyde excerpta; quin etiam quae supra de Persei fabula vel nuper de Argonautarum historia disputavi, Roberti sententiae, qua Pherecydi facile primum locum esse tribuendum duxit [l. c. p. 66 sq.], obstant quam maxime. An putaveris, si Pherecydis ipsi libri praesto fuissent, tum futurum fuisse ut ita narrationi Apollonianae insererentur Pherecydea ut factum est in Iasonis historia [I 9, 16 cl. cum schol. Pind. Pyth. IIII 133; cf. de Dionysio Scyt. p. 17]? Certe multo certiora documenta adferantur opus est quam quae Robertus congessit. Neque magis certo Acusilaum vel Asclepiadem ipsos esse excerptos probavit: de Acusilao certa desiderari argumenta ipse fatetur; pro Asclepiade quae protulit, eis effecit nihil quoniam alterum fragmentum ex scholiis in bibliothecam pervenisse multo est veri similius, alterum [schol. λ 326] Asclepiadis esse unum atque debilissimum est documentum subscriptio ἡ ἱστορία παρὰ Ἀσκληπιάδῃ. Iterum iterumque monendum est eiusmodi quaestiones ex una bibliotheca solvi non posse, sed in universas compendiorum reliquias esse inquirendum. — [2]) Asclepiadem rem prorsus aliter egisse docemur eiusmodi adnotationibus quales extant schol. Pind. Pyth. II 39 Ἀσκληπιάδης δὲ ἐν τρίτῳ τραγῳδουμένων οὕτω γράφει· προσιστοροῦσι δὲ ἔνιοι ὡς καὶ μανείη ὁ Ἰξίων, ὡς Φερεκύδης· καὶ τὴν ἐπὶ τοῦ τροχοῦ δὲ κόλασιν αὐτῷ παρεγκεχειρήκασιν· ὑπὸ γὰρ δίνης καὶ θυέλλης αὐτὸν ἐξαρ-

sum. Sed ne ulla restet dubitatio, adfero Amphiarai Eriphylaeque fabulam et in bibliotheca et scholio Homerico et apud Diodorum simillime enarratam:

bibl. III 6, 2

Ἀμφιάραος δὲ ὁ Οἰκλέους μάντις ὢν καὶ προειδὼς ὅτι δεῖ πάντας τοὺς στρατευσαμένους χωρὶς Ἀδράστου τελευτῆσαι, αὐτός τε ὤκνει στρατεύεσθαι καὶ τοὺς λοιποὺς ἀπέτρεπε, Πολυνείκης δὲ ἀφικόμενος πρὸς Ἶφιν τὸν Ἀλέκτορος ἠξίου μαθεῖν πῶς ἂν Ἀμφιάραος ἀναγκασθείη στρατεύεσθαι· ὁ δὲ εἶπεν εἰ λάβοι τὸν ὅρμον Ἐριφύλη. Ἀμφιάραος μὲν οὖν ἀπεῖπεν Ἐριφύλῃ παρὰ Πολυνείκους δῶρα λαμβάνειν, Πολυνείκης δὲ δοὺς αὐτῇ τὸν ὅρμον ἠξίου τὸν Ἀμφιάραον πεῖσαι στρατεύειν· ἦν γὰρ ἐπὶ ταύτῃ. γενομένης γὰρ αὐτῷ διαφορᾶς πρὸς Ἄδραστον διαλυσάμενος ὤμοσε περὶ ὧν ἂν Ἀδράστῳ διαφέρηται, διακρίνειν Ἐριφύλῃ συγχωρῆσαι. ὅτε οὖν ἐπὶ Θήβας ἔδει στρατεύειν, Ἀδράστου μὲν παρακαλοῦντος Ἀμφιαράου δὲ ἀποτρέποντος Ἐριφύλη

Diodor. IIII 65, 5

τοὺς δὲ περὶ Πολυνείκην ἐπιβαλέσθαι πείθειν Ἀμφιάραον τὸν μάντιν συστρατεύειν αὐτοῖς ἐπὶ τὰς Θήβας· τοῦ δὲ προγινώσκοντος ὡς ἀπολεῖται συστρατεύσας αὐτοῖς, καὶ διὰ τοῦτο μὴ συγχωροῦντος Πολυνείκην φασὶ τὸν χρυσοῦν ὅρμον, ὃν Ἀφροδίτην μυθολογοῦσιν Ἁρμονίᾳ δωρήσασθαι, δοῦναι τῇ γυναικὶ τῇ Ἀμφιαράου, ὅπως τὸν ἄνδρα πείσῃ συμμαχῆσαι. καθ' ὃν δὴ χρόνον Ἀμφιαράου πρὸς Ἄδραστον σταιάζοντος περὶ τῆς βασιλείας ὁμολογίας θέσθαι πρὸς ἀλλήλους καθ' ἃς ἐπέτρεπον κρῖναι περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων Ἐριφύλην γυναῖκα μὲν οὖσαν Ἀμφιαράου, ἀδελφὴν δὲ Ἀδράστου. τῆς δὲ τὸ νίκημα περιθείσης Ἀδράστῳ καὶ περὶ τῆς ἐπὶ Θήβας στρατείας ἀποφηναμένης δεῖν στρατεύειν ὁ μὲν Ἀμφιάραος δόξας ὑπὸ τῆς γυναικὸς προδεδόσθαι συστρα-

schol. λ 326

Ἀμφιάραος ὁ Οἰκλέους γήμας Ἐριφύλην τὴν Ταλαοῦ καὶ διενεχθεὶς ὑπέρ τινων πρὸς Ἄδραστον καὶ πάλιν διαλυθεὶς ὁρκούμενος ὡμολόγησεν ὑπὲρ ὧν ἂν διαφέρωνται πρὸς ἀλλήλους αὐτός τε καὶ Ἄδραστος, ἐπιτρέψειν Ἐριφύλην κρίνειν καὶ πείσεσθαι αὐτῇ. μετὰ δὲ ταῦτα γινομένης τῆς ἐπὶ Θήβας στρατείας ὁ μὲν Ἀμφιάραος ἀπέτρεπε τοὺς Ἀργείους καὶ τὸν ἐσόμενον ὄλεθρον προεμαντεύετο. λαβοῦσα δὲ ἡ Ἐριφύλη τὸν ὅρμον παρὰ τοῦ Πολυνείκους τὸν τῆς Ἁρμονίας προσέθετο τοῖς περὶ τὸν Ἄδραστον βιαζομένοις τὸν Ἀμφιάραον *** ἰδόντα τὴν τῶν δώρων ὑποδοχὴν καὶ πολλὰ τὴν Ἐριφύλην αἰτιασάμενον αὐτὸν μὲν ἐξορμῆσαι πρὸς τὴν στρατείαν, Ἀλκμαίωνι δὲ προστάξαι μὴ πρότερον μετὰ τῶν ἐπιγόνων ἐπὶ Θήβας πορεύεσθαι πρὶν ἀποκτεῖναι τὴν μητέ-

πασθέντα φθαρῆναί φασιν. Cf. etiam schol. Nem. VII 62. Neque ex scholii Homerici subscriptione quae prorsus incertae fide sit, ipsa tragodumena a Diodoro exscripta esse licet conicere, quia totam belli Thebani enarrationem ex uno eodemque auctore desumptam esse elucet, initium autem enarrationis eis quae aliunde nota sunt Asclepiadeis non solum caret, sed etiam ab illius rationibus prorsus abhorret.

τὸν ὅρμον λαβοῦσα ἔπεισε τὸν ἄνδρα στρατεύειν. Ἀμφιάραος δὲ ἀνάγκην ἔχων στρατεύεσθαι τοῖς παισὶν ἐντολὰς ἔδωκε τελειωθεῖσι τήν τε μητέρα κτείνειν καὶ ἐπὶ Θήβας στρατεύειν.

τεύσειν μὲν ὡμολόγησεν, ἐντολὰς δὲ ἔδωκεν Ἀλκμαίωνι τῷ υἱῷ μετὰ τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν ἀνελεῖν τὴν Ἐριφύλην. οὗτος μὲν οὖν ὕστερον κατὰ τὰς τοῦ πατρὸς ἐντολὰς ἀνεῖλε τὴν μητέρα καὶ διὰ τὴν συνείδησιν τοῦ μύσους εἰς μανίαν περιέστη.

ρα. ταῦτα δὲ πάντα δρᾶσαι λέγεται τὸν Ἀλκμαίωνα καὶ διὰ τὴν μητροκτονίαν μανῆναι. τοὺς δὲ θεοὺς ἀπολῦσαι τῆς νόσου αὐτὸν διὰ τὸ ὁσίως ἐπαμύνοντα τῷ πατρὶ τὴν μητέρα κατακτεῖναι. ἡ ἱστορία παρὰ Ἀσκληπιάδῃ.

Ad primum igitur ante Chr. n. saeculum, quo tempore novum atque acerrimum studium imprimis apud Romanos Graecorum poetis historiaeque poeticae navari coepit, erit adscendendum si quis ex eis quae supersunt laciniis compendia antiquissima et primaria restituenda sibi proposuerit. Haec vero cavendum est ne propter discrepantiarum multitudinem nimis multa ac diversa fuisse statuatur. Vnum proponam exemplum. Schol. Ap. Arg. I 752 Oenomai fabula ita continuo enarratur ut ex compendio eam descriptam esse conicias: ut fieri solet, insertis Pindari Pherecydisque frustulis aliqua doctrinae species proposita est. Idem iudicium de schol. Eur. Or. 990 C ferendum est, atque ne hic quidem doctrinae vestigia desiderantur: cf. . . καθὼς οἱ ἀκριβέστεροι τῶν ἱστοριογράφων γράφουσιν et διαβληθεὶς . . . ἢ, ὡς οἱ πολλοί φασι, πειράζων αὐτήν, quo loco sub οἱ πολλοί Pherecydem latere documento est schol. Soph. El. 504. Iam si haec contuleris:

schol. Ap. I 752

. . . προέκειτο δὲ αὐτοῖς Κλάδεως ποταμὸς ἀφετηρία, Ἰσθμοῖ δὲ τὸ τέρμα. καὶ ἀνεῖλεν τρεῖς καὶ δέκα μνηστῆρας, ὡς Πίνδαρος ἱστορεῖ.[1]) ἐλθόντος δὲ τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τὸν ἆθλον . . . ἐρασθεῖσα ἡ Ἱπποδάμεια ἔπεισεν Μυρτίλον . . . παρασκευάσαι ὡς κατατροχίσαι τὸν πατέρα βουλομένη Πέλοπι γήμασθαι σκευάσαντα τὸν ἔμβολον ἐκ κηροῦ ἵνα ἐν τῷ δρόμῳ θλασθέντος αὐτοῦ νικήσας Πέλοψ λάβῃ αὐτὴν πρὸς γάμον. Φερεκύδης δὲ ἐν η̄ φησὶν ὅτι οὐκ ἐνέθηκεν ἐν τῷ ἄξονι

schol. Eur. Or. 990 C

. . . αὕτη τὸν Πέλοπα ἰδοῦσα ὡραῖον μετὰ τὴν τῶν † δώδεκα[2]) νυμφίων ἀναίρεσιν ἔρωτι τούτου κατείχετο· ἣ τῷ Μυρτίλῳ φησὶ συνεργῆσαι τῷ νεανίᾳ εἰς τὴν κατὰ τοῦ πατρὸς νίκην. ὁ δὲ ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους μὴ ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι καὶ ἀναιρεθῆναι ὑπὸ τοῦ Πέλοπος[3]) ἐκπεσόντων τῶν τροχῶν· ἐδίδου γὰρ ὁ Οἰνόμαος τοῖς μνηστῆρσι τὴν Ἱπποδάμειαν ἐπὶ τῶν οἰκείων ἔχειν ἁρμάτων θεὶς πέρας [cod. πέλας] τοῦ δρό-

[1]) Cf. Ol. I 81 c. scholl. Ipsum Pindarum legit Philostratus [imag. I 17]. Praeterea cf. Paus. VI 21. — [2]) Numerus ιγ′ in ιβ′ corruptus est. — [3]) Cf. Pind. Ol. I 92 c. schol. Eur. IT 825. Hygin. fab. CCXXXV.

τὸν ἔμβολον καὶ οὕτως ἐκκυλισθέντος τοῦ τροχοῦ ἐκπεσεῖν τὸν Οἰνόμαον.

μου ἔπαθλον γάμου τὸν Κορίνθιον ἰσθμὸν εἰ δυνηθεῖεν ἀφικέσθαι μέχρι τούτου.

luculentum extabit exemplum eius consuetudinis qua in compendiis quae olim adnotatae erant discrepantiae in ipsam enarrationem convertebantur. Et enim arte cohaerere haec scholia constat neque alterum utrum ex ipso vetere aliquo mythographo descriptum esse potest statui. Quod igitur diversae Oenomai crudelitatis causae utrubique adferuntur vel oraculum vel filiae amor incestus[1]), has olim inter se oppositas, alteram ab altero scriptore electas fuisse ex scholii Euripidei verbis καθὼς οἱ ἀκριβέστεροι τῶν ἱστοριογράφων γράφουσιν recte concluditur. Neque aliter in iis quae secuntur: ἡρᾶτο καὶ παρὰ Μυρτίλου τοῦ ἡνιοχοῦντος τῷ ταύτης πατρί latet discrepantia obscurata. Apud Servium enim [ad Georg. III 7], cui Hippodamiae amor axes cerei Oenomai condicio[2]) cum scholiis communia sunt, hac ratione patris aurigae, ut certamen perfide impar faciat, filia persuadet: 'corrupit Myrtilum aurigam patris primi coitus pactione'. Vnde illorum scholii Euripidei verborum omnis tenor et consilium apparet. Quoniam in eis quae in scholio Euripideo secuntur altera atque simplex legitur fabula, vel huius rei olim duae narrationes inter se comparatae fuisse videntur. Denique in scholio B 104 omnia discrepantiarum vestigia evanuisse videntur: sed id cum ceteris cohaerere apparebit initio cum eis conlato quae supra ex scholiis Apolloniano et Euripideo exscripsi: Ἱπποδάμεια ἡ Οἰνομάου θυγάτηρ ἐρασθεῖσα Πέλοπος Μυρτίλον τὸν Ἑρμοῦ μὲν υἱὸν ἡνίοχον δὲ τοῦ ἑαυτῆς πατρὸς ἔπεισε τῇ κατὰ τοῦ πατρὸς νίκῃ συνεργῆσαι καὶ τοὺς ἵππους τῆς εἰς τὸ τρέχειν ὁρμῆς κατασχεῖν βουλομένη τὸν Πέλοπα καὶ τοὺς ἵππους λαβεῖν καὶ τὸν ἑαυτῆς γάμον· ἔκειτο γὰρ τῷ νικήσαντι ἔπαθλον ὁ ταύτης γάμος, νικηθέντι δὲ θάνατος. ἀγωνιζομένων δὲ αὐτῶν ὁ Οἰνόμαος ἐκπίπτει τοῦ ἅρματος· οὐ γὰρ αἱ χοινικίδες τοὺς ἐμβόλους κατέσχον τοῦτο πανουργήσαντος τοῦ Μυρτίλου. Eodem modo in altera parte ex discrepantiis compositis una selecta est:

schol. B 104	schol. Eur. Or. 990 C
γνοὺς δὲ τὴν ἐπιβουλὴν ὁ Οἰνόμαος ἀρὰς ἔθετο κατὰ Μυρτίλου ὅπως ἀπόληται ὑπὸ Πέλοπος· ὃ καὶ ἐγένετο. διαβαινόντων γὰρ αὐτῶν διὰ τοῦ Αἰγαίου πόντου καὶ διψησάσης τῆς Ἱπποδαμείας καταβὰς ἐκ τοῦ ἅρματος ὁ Πέλοψ ἐζήτει ὕδωρ κατὰ	τότε δὲ οὕτω νικηθεὶς δόλῳ καὶ ἀναιρούμενος κατηράσατο τῷ Μυρτίλῳ γνοὺς τὴν ἐπιβουλὴν ἵνα ὑπὸ Πέλοπος ἀπόληται· ὃ καὶ γέγονεν ὕστερον. δια-

[1]) Hunc tradunt etiam Nic. Dam. 17 Pseudoluc. Charid. 19 Hygin. fab. CCXXV. — [2]) Cf. schol. Eur. αὐτὸς δὲ ὅπισθεν ἐλαύνων μετὰ δόρατος καὶ καταλαμβάνων αὐτοὺς ἀνῄρει [cod. ἀνῃρεῖτο sequitur τότε], schol. Ap. οὐκ ἐβούλετο ἐκδοῦναι αὐτὴν εἰ μὴ νικήσαντι δι' ἵππων. Famosa fuit Oenomai hasta cf. Pind. Ol. I 78 Ap. Arg. I 756.

τῆς ἐρήμου. κατ' ἐκεῖνο δὲ καιροῦ ἡ Ἱπποδάμεια ἐρασθεῖσα Μυρτίλου ἐδεῖτο μὴ ὑπεριδεῖν· ἀντειπόντος δὲ αὐτοῦ καὶ τοῦ Πέλοπος παραγενομένου φθάνει ἡ Ἱπποδάμεια κατηγορήσασα τοῦ Μυρτίλου ὡς βιασαμένου αὐτήν. καὶ Μυρτίλον Πέλοψ ἀπὸ τοῦ ἅρματος ὠθεῖ εἰς τὸ πέλαγος . . . ὅθεν τὸ μὲν πέλαγος Μυρτῷον ἀπὸ Μυρτίλου . . . βληθεὶς γὰρ παρ' Ἱπποδαμείας ὡς βιάζων αὐτὴν ἢ, ὡς οἱ πολλοί φασι, πειράζων αὐτὴν ῥίπτεται παρὰ Πέλοπος περὶ Γεραιστὸν ἀκρωτήριον . . . ὁ δὲ Γεραιστὸς ἀποθανόντος ἐκεῖ τοῦ Μυρτίλου Μυρτῷον πέλαγος ὠνομάσθη.[1])

Nihil igitur magis cavendum est siquis haec scholia tractabit quam ne temere singulus cuiusque scholii auctor statuatur; olim plurima ex diversissimis scriptoribus in compendiis componebantur, tum magis magisque in unam atque continuam quamvis confusam narrationem contaminabantur. Quamvis autem raro acciderit ut cognosceretur ex quo thesauro variae illae fabularum formae desumptae et conlectae sint, tamen vel ex mera coniectura de eiusmodi cogitaveris libris quales Dionysius Scytobrachio vel Lysimachus

[1]) Scholii initium corruptum est: pro Κύλαν legas Κίλλον; verba ἐν Λέσβῳ, quae nunc sensu carent, olim dicta fuerunt de Pelopis auriga qui Lesbi mortem obiit. Atqui cum schol. A 38 haec fabula enarretur, praeterea equos a Neptuno Pelopi datos esse ex eodem Pindari loco [Ol. 1 72 sq.] atque in scholio Apolloniano tradatur, nescio an certe aliqua huius scholii pars e compendiis derivetur. Praeterea compendiis vindicandi sunt locus Diodori [IIII 73] Hyginique fabula LXXXIIII. Apud Diodorum enim praeter oraculum Oenomaique condicionem redeunt cursus termini: ὑπεστήσατο δὲ ἱπποδρομίαν ἀπὸ τῆς Πίσης μέχρι τοῦ κατὰ Κόρινθον Ἰσθμοῦ πρὸς τὸν βωμὸν τοῦ Ποσειδῶνος nec singulas quae secuntur condiciones a compendiis afuisse ex eo conicias quod scholio Euripideo partim servatae sunt: cf. cum eis quae supra exscripsi Diodorea: τὸν Οἰνόμαον . . . . διώκειν τὸν μνηστῆρα ἔχοντα δόρυ . . εἰ δ' ἐφίκοιτο καταλαβεῖν τὸ διωκόμενον ἅρμα, τύπτειν τῷ δόρατι καὶ διαφθείρειν τὸν μνηστῆρα. Denique utrubique eadem est clausula siquidem in scholio pro Νήσσαν τὴν Οἰνομάου βασιλείαν reponitur Πῖσαν. In Hygini autem fabula ut capita humana super valvas fixa ex Sophocle desumpta sunt cl. schol. Pind. Isthm. IIII 92, ita argumentum Oenomai propositum esse ne quis putet, obstat quod altera fabulae parte non Hippodamia sed Pelops narratur Myrtilo persuasisse ut Oenomaum desereret, Hippodamiae amorem Sophocli fuisse proprium constat ex Athenaeo [XIII p. 564]. Quoniam Myrtilus a Pelope corruptus apud Diodorum redit, ipsi Hygino cetera fere omnia — oraculum condicio Oenomai clavi in rotas non coniecti Peloponnesi imperium — cum compendiis communia sunt, conicio illam quoque causam Myrtili perfidiae olim in compendiis adnotatam fuisse. Certe quae de morte aurigae habet: 'Pelops cum Hippodamia et Myrtilo domum victor cum rediret cogitavit sibi opprobrium futurum et Myrtilo fidem praestare noluit eumque in mare praecipitavit' cum fabula ceteroquin volgata componuntur schol. Eur. Or. 990 AB: ἀνεῖλε δὲ τὸν Μυρτίλον προσδοκήσας καὶ αὐτὸς ὁμοίως ὑπ' αὐτοῦ προδοθήσεσθαι ἵνα μὴ ἐξείποι ὅτι αὐτὸς ἐνίκησε καὶ οὐ Πέλοψ. οἱ δὲ ὅτι μετὰ τὴν νίκην ὡς φίλον συλλαβόμενος τὸν Μυρτίλον ἐξεδίφρευσε ζηλοτυπήσας εἰς Ἱπποδάμειαν.

scripsere. Huc igitur referendae sunt quae inter scholia Homerica et Scytobrachionem intercedere videbantur similitudines [cf. de D. Sc. p. 57]; praeterea conferantur quae de Bacchi natu apud Diodorum Scytobrachione auctore enarrata esse [III 64. IIII 2] demonstravi [l. c. p. 46], cum Apollodoro III 4, 3 scholioque Ξ 325. Lysimachum in libro de paradoxis Thebanis de Cadmo multa tradidisse notum est ex scholl. Ap. Arg. III 1179. 1186, neque dubitari licet quin omnia quae ibi ex variis scriptoribus adferuntur, similiter atque schol. I 158 ex Lysimacho desumpta sint. Atqui in Cadmi fabula, quae in bibliotheca [III 4, 1] scholl. Aesch. Sept. 469 Eur. Phoen. 638 Hygin. fab. CLXXVIII ita enarrata est ut eam ex compendiis ab omnibus compilatam esse appareret, oraculum Cadmo datum esse traditur ut sequeretur bovem sive apud ipsum templum occurrentem[1]) sive in Phocide emptam. Illud habent scholia Aeschyleum Euripideumque alterum, hoc Hyginus; confuse rem narrat Apollodorus. Olim autem duas narrationes iuxta positas fuisse inde sequi videtur quod altero scholio Euripideo ipsis oraculi versibus suadetur ut bos in Phocide emeretur, quae praecedunt Κάδμος ζητῶν τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Εὐρώπην μαντεῖον ἔλαβε περὶ τῆς ἀδελφῆς οὐδὲν αὐτῷ σημαῖνον ἀλλ' ὥστε αὐτὸν ἐξελθόντα ἕπεσθαι βοῒ καὶ οὗ ἂν αὐτόματος πέσῃ ἔνθα κτίζειν πόλιν magis ad alteram narrationem quadrant. Iam inspicias Lysimachi copias: certe altera fabulae forma ita adfertur ut alteram olim oppositam fuisse non sine veri similitudine coniciatur: ἐν δὲ τῇ γ̄ † Μουσαῖος Τιτανογραφίᾳ λέγεται ὡς Κάδμος ἐκ τοῦ Δελφικοῦ ἐπορεύετο προκαθηγουμένης αὐτῷ τῆς βοός. Praeterea moneo quae in scholio Lysimacheo ex Pherecyde excerpta sunt, redire apud Apollodorum [III 4, 1, 5].

Sed redeo ad scholia Homerica. Roberti opera factum est ut Eratosthenis catasterismos a scholiasta esse excerptos sufficiat adnotare. Hic quoque si duo scholia priora C 486 cum tertio comparaveris, ἱστορίαις ex copiosioribus adnotationibus excerptis novum addes exemplum. Qui vero in alterius scholii subscriptione dicuntur cyclici, de his aliquid certi statui unquam posse propter incertissimam subscriptionum fidem fere despero. Scholii Ψ 346 quippe ubi eadem genealogia tradatur atque quae in scholio Victoriano vindicatur cyclo, subscriptionem ex illo ipso scholio ortam esse putaveris; de ceteris locis nihil licet nisi coniecturas proferre. Denique scholl. Π 233 Χ 126 χ 9 ex paroemiographis excerpta esse facile intellegitur.

Altius vero in ea scholia inquirendum est, quibus nomina Apollodori Lycophronis Dictyis subscripta sunt. Quoniam enim illi ante Byzantinorum aetatem auctores adhiberi non solebant, eae subscriptiones non ita ut ceterae ex ipsis scholiis videntur esse de-

[1]) Hoc habet etiam Ovidius met. III 10 sq.

sumptae, sed a scholiastis de ipsorum doctrina adpositae. — Bibliothecae testimonium adscriptum est scholl. A 42. 126. 195 B 103. 494. Sed unum schol. A 126 ita cum Apollodori verbis [I 7, 2] concinit ut ex eo descriptum esse putari possit. Scholii A 42 verba καθότι καὶ ἐκ χρησμοῦ ἠκηκόει ὅτι φονευθήσεται ὑφ' ἑνὸς αὐτῶν[1]) et clausulam αὐτὸς δὲ κρατήσας τῆς χώρας ἀφ' ἑαυτοῦ τοὺς ἐνοικοῦντας Δαναοὺς ὠνόμασεν in bibliothecae codicibus deesse etiam Robertus miratus est [l. c. p. 29 sq.]: addendum erat veriloquium navis πεντηκοντόρου in scholio tantum extare ναῦν πρῶτος κατεσκεύασε τὴν κληθεῖσαν ὡς ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ πεντηκόντορον. Quod scholium B 103 bibliothecae loco [II 1, 3] brevius est non urgeam, sed etiam in eo leguntur quae in bibliotheca desunt: Ἄργον τὸν πανόπτην καλούμενον ἐπειδὴ κατὰ παντὸς τοῦ σώματος εἶχεν ὀφθαλμούς neque scholii B 494 clausula ex Apollodoro [III 4, 2] descripta esse putari potest. Iam si reputatum erit morem fuisse scholiastarum Byzantinorum quippe qui bibliothecam mentibus oribusque semper tenerent, ut scholiis ad historiam fabularem pertinentibus de suo adscriberent similia apud Apollodorum tradi[2]) neque neglegetur scholiis illis utpote ex similibus compendiis descriptis saepe cum bibliotheca fere omnia communia esse, ita has subscriptiones ortas esse putaveris ut Byzantinum aliquem Apollodori nomen adpinxisse conicias ubicumque similia apud Apollodorum legi meminisset. Profecto hoc accidit in schol. A 195 ubi ineptissime explicationi allegoricae subscribitur ἡ ἱστορία παρὰ Ἀπολλοδώρῳ ἐν πρώτῳ [3, 6]. Ceterum ut bibliothecae nomen ita etiam verba scholiis inlata a Byzantinis esse siquis putaverit, non refragabor, modo teneatur quae compendiis quaeve ipsi bibliothecae vindicentur difficillime discerni cautissimeque illis scholiis in bibliotheca emendanda et corrigenda esse utendum. Denique siquidem recte de subscriptionibus iudicavi, moneatur necesse non est ne ex eo falsa concludantur quod Hellanici Apollodorique nomina in subscriptione schol. B 494 coniuncta sunt. Vbi Apollodori nomen adpositum est quod Cadmi fabula sive narrata simillime est atque in bibliotheca sive aucta ex ea ipsa et interpolata; Hellanici testimonium ex quo scholii loco sive superstite sive intercepto in subscriptionem delatum sit, prorsus est incertum. Ne tamen postrema, quae cum bibliotheca parum consentiunt, Hellanico vindicentur obstat quod ille de Cadmi uxore prorsus alia tradidit cl. schol. Ap. Arg. I 916.

Non eadem res est in Dictyis Lycophronisque testimoniis. Quo uno Dictys nominatur scholio A 108, ibi unus ex eo desumptus est locus: διὰ τὸ φονεῦσαι αὐτὸν τὴν ἱερὰν αἶγα τὴν τρε-

[1]) Quae praecedunt inepta: πλὴν ἑνὸς ἦ δυεῖν διὰ τῶν θυγατέρων ἀνεῖλε, ab editoribus addita esse videntur. Cf. A. Ludwich. in Mus. Rhen. XXXII p. 203 sq. — [2]) Cf. scholl. Soph. Ant. 980 Pind. Nem. X 114.

φομένην ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς[1]), cetera alius originis sunt.[2]) Similiter in Paridis historiam [schol. Γ 325] Idae mons Hecubae in somnio comburi visus et in Philoctetae fabulam [schol. B 722] Volcani antistites medicinae periti ex Dictye [III 26. II 14] intrusi sunt nomine tamen non addito. Iam licet Dictyis nugae in ipsa compendia recentioribus aetatibus inculcatae esse putentur, tamen quoniam Byzantinorum chronographis testibus illo tempore Dictyis bellum Troianum omnibus erat notum lectitatumque, a scholiastis ipsis et nomen et ipsos locos interpolatos esse probabilius mihi videtur. Certo vero ab illis et Lycophro et scholia Lycophronis compilata sunt. Quamquam enim Lycophro a Theone Alexandrino doctissimis commentariis instructus erat atque inde a Statii tempore eius 'latebras pandere' solebant puerorum magistri[3]), in ea quae volgo ferebatur historia poetica eius vestigia inveniuntur fere nulla[4]); qua re compendia fabularia maximam partem primo ante Chr. n. saeculo confecta esse optime confirmatur. Ex Lycophronis igitur vs. 424 sq. ἱστορία schol. ν 259 pannis rhetoricis adsutis composita est: unde tamen de Colophone loqui poetam obscurissimum

---

[1]) Cf. I 19 'interim in ipsa navigandi festinatione Agamemnon ... forte conspicit circa lucum Dianae pascentem capream imprudensque religionis quae in eo loco erat, iaculo transfigit'. Falsario ante oculos versabantur versus Sophoclei [El. 566 sq.]:

πατήρ ποθ' οὑμὸς, ὡς ἐγὼ κλύω, θεᾶς
παίζων κατ' ἄλσος ἐξεκίνησεν ποδοῖν
στικτὸν κεράστην ἔλαφον, οὗ κατὰ σφαγὰς
ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών.

Dictyi praecesserat Ptolemaeus Hephaestio [p. 193 W.]. — [2]) Caveatur ne propter verba ἐντεῦθεν οἱ νεώτεροι ὁρμηθέντες ἱστοροῦσιν scholion doctum esse existimetur. Plurimae enim ἱστορίαι, quae ex compendiis desumptae sunt, adnotationibus Aristonici adscriptae sunt quasi ut οἱ νεώτεροι cum Homero compararentur: cf. schol. A 5. 39. 52. 59 B 105. 336 Γ 144. 242. 325 Ε 395 Ζ 131. 155 Θ 368 Λ 709 Τ 119 Υ 215 Ψ 821 Ω 602 λ 326 cum eis quae congessit Lehrsius [Aristarch. p. 175 sq.]. Nusquam tamen re vera instituitur comparatio discrepantiaeve adnotantur, sed uno tenore enarratur historia Aristarcheae doctrinae frustulis male insertis. Velut scholio A 52 prorsus inepte praescribitur Aristarchi de veterum funeribus opinio [cf. Lehrs. p. 196 sq.] neque alia de causa nisi ut occasio praebeatur historiae exscribendae. Etiam luculentius est exemplum schol. A 39. Aristarchus Apollinem Sminthium nominatum esse ab urbe Smintha putabat; ceteri dei Sminthii et templa et fabulas sacras ad Chrysam oppidum referebant [cf. Apoll. lex. Hom. p. 143, 9 Strab. XIII p. 604]: iam inspicias scholion: Σμινθεῦ ἐπίθετον Ἀπόλλωνος· Σμίνθος γὰρ τόπος τῆς Τρῳάδος ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἀπὸ αἰτίας τῆσδε. ἐν Χρύσῃ κτλ. Scholii A 108 ut initium praeter Dictyis locum non male cum Cypriorum argumento Procliano concinit ita postrema verba: τὴν θεὰν .. ἔλαφον ἀντὶ τῆς παρθένου παραστήσαναν σῶσαι καὶ ἐν Ταύροις τῆς Σκυθίας εἰς τὸ ἱερὸν τῆς θεοῦ εἰπεῖν πεμφθῆναι αὐτήν ex tragoediae argumento desumpta sunt in qua Diana sub finem vaticinabatur quae facta essent futuraque. Vel hic igitur compendiorum consuetudo fabularum miscendarum adgnoscitur. — [3]) Cf. epicedion in patrem silv. V 3, 155 sq. — [4]) Interpolatum est testimonium schol. Ap. Arg. IIII 1515.

sciebat scholiasta nisi ex commentario? Iam si perlegeris scholia Ε 412:

BL φασὶν Αἰγιάλειαν τὴν μίαν τῶν Ἀδρηστίδων τὴν νεωτέραν γυναῖκα Διομήδους οὖσαν σφόδρα αὐτὸν ἐπιποθεῖν καὶ ἀπολοφύρεσθαι τὰς νύκτας. ὕστερον δὲ κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης πάσῃ τῇ τῶν Ἀργείων νεολαίᾳ συγκωμάσαι αὐτήν, ἔσχατον δὲ καὶ Κομήτῃ τῷ Σθενέλου, ὃς ἦν ὑπὸ Διομήδους πιστευθεὶς τὰ κατ' οἶκον. ἥκοντα δὲ αὐτὸν μέλλων ἀνελεῖν ἐφείσατο διὰ τὸ καταφυγεῖν εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμόν· ὅθεν αὐτὸν φυγόντα φασὶν ἥκειν εἰς Καλαβρίαν [Καλαυρίαν L Ἰβηρίαν B] κἀκεῖ ὡς μέν τινες δολοφονηθῆναι ὑπὸ Δαύνου τοῦ βασιλέως, ὡς δέ τινες ἀπολέσθαι ὑπὸ Ἰονίου τοῦ Δαύνου παιδὸς ἐν κυνηγεσίοις· ὅθεν ὥς φασιν αὐτὸν μὲν ἀπεθέωσεν Ἀθηνᾶ, τοὺς δὲ ἑταίρους εἰς ἐρωδιοὺς μετέβαλεν.

LdD Διομήδης γήμας Αἰγιάλειαν τὴν νεωτάτην Ἀδράστου θυγατέρων· τρεῖς δὲ αὗται Ἀργεία [Ld Αἴγεια] ἡ Πολυνείκους καὶ Δηιπύλη ἡ τοῦ Τυδέως καὶ Ἀδρηστίνη· παραγενόμενος οὖν [ὁ Τυδεὺς] στρατείας ἕνεκεν ἐπὶ τὸ Ἴλιον κατέλιπε τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς οἰκίας ἐπίτροπον τὸν Σθενέλου Κομήτην. κατέχει δὲ ὁ λόγος τρωθεῖσαν τὴν Ἀφροδίτην ὑπὸ Διομήδους αὐτῷ μὲν μηδὲν μνησικακῆσαι διὰ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἐπικουρίαν· τὴν δὲ τούτου γυναῖκα ἐκμῆναι περὶ πορνείαν † καὶ πᾶσαν τὴν τῶν ⟨ἡι⟩θέων καὶ τῶν νέων ἡλικίαν συγχορεύειν ἀσελγαίνουσαν, τῷ τε Κομήτῃ ἔρωτα ἐμποιῆσαι περὶ τὴν Αἰγιάλειαν· παραγενόμενον δὲ τὸν Διομήδη ἐκ τοῦ Ἰλίου διώκειν μετὰ δορυφόρων ἀποκτεῖναι βουλόμενον· τὸν δὲ λοιπὸν τοῖς ἀσθενέσι βοηθήμασι χρώμενον καταφυγεῖν ἐπὶ τὸν Ἀθηνᾶς βωμόν· μετὰ δὲ ταῦτα ἀπῆραι [om. Ld] εἰς Ἑσπερίαν [Ἰβηρίαν Ld] καὶ παραλαβεῖν παρὰ Δαύνου τινὰς εἰς κατοικισμόν[1]). καὶ τέλος ἀπορούντων αὐτοῦ τῶν ἑταίρων καὶ λιμωττόντων τούτους μὲν τὴν Ἀθηνᾶν εἰς ἐρωδιοὺς ἀπορνεῶσαι, τὸν Διομήδην δὲ ἐνταῦθα καταστρέψαι τὸν βίον. ἡ ἱστορία παρὰ Λυκόφρονι.

vel ex eo quod extremo scholio BL diversae de Diomedis morte fabulae inter se opponuntur, id non totum ad poetam referendum esse conieceris. Neque vero omnia quae scholiis insunt apud Lycophronem reperiuntur: cf. versus qui huc spectant:

592 ὁ δ' Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγκληρίαν
παρ' Αὐσονίτην Φυλαμὸν δωμήσεται
πικρὰν ἑταίρων ἐπτερωμένην ἰδὼν
οἰωνόμικτον μοῖραν, οἳ θαλασσίαν
δίαιταν αἰνέσουσι πορκέων δίκην
κύκνοισιν ἰνδαλθέντες εὐγλήνοις δομήν.
ῥάμφεσσι δ' ἀγρώσσοντες ἑλλόπων θοροὺς

[1]) Cf. Ovid. met. XIIII 462.

599 φερώνυμον νηςῖδα νάccονται πρόμου . . .
610 Τροιζηνίας δὲ τραῦμα φοιτάδος πλάνης
ἔcται κακῶν τε πημάτων παραίτιον
ὅταν θρασεῖα θουρὰc οἰcτρήcῃ κύων
πρὸc λέκτρα. τύμβοc δ' αὐτὸν ἐκcώcει μόρου
614 Ὁπλομίας cφαγαῖcιν ηὐτρεπιcμένον.

sed maxima pars ἱcτορίας simillime atque doctius enarrata est schol. vs. 610:

. . . . ἡ δὲ Ἀφροδίτη, καθώς φηcι Μίμνερμοc, ὑπὸ Διομήδους τρωθεῖcα παρεcκεύαcε τὴν Αἰγιάλειαν πολλοῖc μὲν μοιχοῖc cυγκοιμηθῆναι, ἐραcθῆναι δὲ [Ἱππολύτου] Κομήτου υἱοῦ Cθενέλου· τοῦ δὲ Διομήδους παραγενομένου εἰc τὸ Ἄργοc ἐπιβουλεῦcαι αὐτῷ· τὸν δὲ καταφυγόντα εἰc βωμὸν τῆc Ἥρας διὰ νυκτὸc φυγεῖν cὺν τοῖc ἑταίροις καὶ ἐλθεῖν εἰc Ἰταλίαν πρὸc Δαῦνον βαcιλέα ὅcτιc αὐτὸν δόλῳ ἀνεῖλεν.

Diomedem a Dauno interfectum esse traditur schol. vs. 592; praeterea quod in scholiis BL et Ld aut Minervae aut Iunonis ara commemoratur, hoc ex diversa interpretatione verbi Ὁπλομίας [vs. 614] ortum esse apparet ex scholio vs. 614 conlato cum schol. vs. 856. Vt fit in scholiis, non omnia et in ἱcτορίᾳ et in Lycophronis scholiis inveniuntur: tamen nemo negabit multa probabilitate ἱcτορίαν ex illis derivari, adicique illis ea quae nunc in ἱcτορίᾳ tantum supersunt.[1]) Idem iudicium de scholl. Υ 215 ferendum est cl. Lycophronis vs. 72 sq. et scholio illius loci. Sed siquidem Lycophronis commentariis uti solebant scholiastae, plura extare documenta conicias. Neque desunt:

Lycophr. 357 τῆμοc βιαίωc φάccα πρὸc τόργου λέχοc
γναφαῖcιν ἅρπαιc οἰνὰc ἑλκυcθήcομαι
ἡ πολλὰ δὴ Βούδειαν Αἴθυιαν Κόρην
ἀρωγὸν αὐδάξαcα τάρροθον γάμων.
ἡ δ' εἰc τέραμνα δουρατογλύφου cτέγηc
362 γλήναc ἄνω cτρέψαcα χώcεται cτρατῷ . . .
365 ἑνὸc δὲ λώβηc ἀντὶ μυρίων τέκνων
Ἑλλὰc cτενάξει πᾶcα τοὺc κενοὺc τάφουc
367 οὐκ ὀcτοθήκαιc, χοιράδων δ' ἐφημένουc κτλ.
387 τὸν δ' οἷα δύπτην κηρύλον διὰ cτενοῦ
αὐλῶνοc οἴcει κῦμα γυμνήτην φάγρον

schol. N 66 ALdD Αἴαc Λοκρὸc μὲν ἦν τὸ γένοc ἀπὸ πόλεωc Ὀποῦντοc, πατρὸc δὲ Ὀιλέωc. οὗτοc μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθηcιν αἴτιοc τοῖc Ἕλληcιν ἀπωλείαc ἐγένετο· Κακάνδραν γὰρ τὴν Πριάμου ἱκέτιν οὖcαν Ἀθηνᾶc ἐν τῷ τῆc θεοῦ cηκῷ κατήcχυνεν ὥcτε τὴν θεὸν τοὺc ὀφθαλμοὺc τοῦ ξοάνου εἰc τὴν ὀροφὴν cτρέψαι [τρέψαι AD], τοῖc δὲ Ἕλληcιν ὑποcτρέφουcι καὶ κατὰ τὴν Εὔβοιαν γενομένοιc χειμῶναc διεγεῖραι μεγάλουc

[1]) Diomedem a Minerva in deos relatum esse tradidit Pindarus [Nem. X 7]. De morte Diomedis sociorumque transformatione praeterea cf. Arist. mir. ausc. 79 [= Antig. CLXII ex Lyco. Aelian. n. a. I 1].

διπλῶν μεταξὺ χοιράδων καρούμενον.
Γυραῖσι δ' ἐν πέτραισι τερσαίνων πτερὰ
στάζοντα πόντου δευτέραν ἅλμην σπάσει
βληθεὶς ἀπ' ὄχθων τῷ τριωνύχῳ δορὶ
ᾧ νιν κολαστὴς δεινὸς οὐτάσας Λατρεὺς
ἀναγκάσει φάλλαισι κοινωνεῖν δρόμου
κόκκυγα κομπάζοντα μαψαύρας στόβους.
ψυχρὸν δ' ἐπ' ἀκταῖς ἐκβεβρασμένον νέκυν
δελφῖνος ἀκτὶς Σειρία καθαυανεῖ.
τάριχον ἐν μνίοις δὲ καὶ βρύοις σαπρὸν
399 κρύψει κατοικτίσασα Νησαίας κάσις[1]).
1151 ὑμεῖς ἐμῶν ἕκατι δυσσεβῶν γάμων
ποινὰς Γυγαίᾳ τίσετ' Ἀγρίσκᾳ θεᾷ
τὸν χιλίωρον τὰς ἀνυμφεύτους χρόνον
1153 πάλον βραβείαις γηροβοσκοῦσαι κόρας.

ὥστε πολλοὺς αὐτῶν διαφθαρῆναι. διανηξάμενος δὲ Αἴας εἰς τὰς Γυράδας καλουμένας πέτρας ἔλεγε χωρὶς θεῶν γνώμης διασεσῶσθαι· Ποσειδῶν δὲ ἀγανακτήσας διέσχισε τὴν πέτραν καὶ τὸν Αἴαντα τῷ κλύδωνι παρέδωκεν· ἐκριφέντα δὲ αὐτὸν κατὰ Δῆλον νεκρὸν Θέτις ἐλεήσασα θάπτει. Ἀθηνᾶ δὲ οὐδ' οὕτως τῆς ὀργῆς ἐπαύσατο ἀλλὰ καὶ τοὺς Λοκροὺς ἠνάγκασεν ἐπὶ χίλια ἔτη εἰς Ἴλιον ἐκ κλήρου παρθένους πέμπειν. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν ᾱ αἰτίων καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἐν τῇ δ̄ τῆς Ὀδυσσείας παχυμερῶς.

praeter ea quae ex δ 502 sq. addita sunt omnia ex Lycophrone desumpta esse non negaveris praesertim cum Callimachi mentio inveniatur schol. Lyc. 1141: λοιμοῦ κατασχόντος τὴν Λοκρίδα διὰ τὴν εἰς Κασάνδραν ἀθεμιτομιξίαν Αἴαντος ἔχρησεν ἡ θεὸς παρθένους ἐνιαυσιαίας εἰς Τροίαν τῇ Ἀθηνᾷ ἀποστέλλειν ἐπὶ χίλια ἔτη ..... ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται[2]). Similiter scholion μ 85 prorsus eadem habet atque schol. Lyc. 46, aucta loci Homerici paraphrasi, neque in subscriptione ἡ ἱστορία παρὰ Διονυσίῳ haerendum est quoniam quod praescriptum est Scyllae stemma ex scholio μ 124 desumptum esse probabiliter conicitur.[3]) Hoc enim cum scholio Ap. Arg. IIII 828 componendum Dionysioque Scytobrachioni vindicandum esse veri est simillimum [cf. de Dion. Sc. p. 57], scholio vero Apolloniano idem stemma atque schol. μ 85 legitur Acusilai testimonio adposito. Neque magis scholii N 1 subscriptionem obstare putaverim quin recte haec componantur:

schol. N 1 ABDLd κεχώρικε τῶν λοιπῶν Τρώων | Lycophr. 1204 νήσοις δὲ μακάρων ἐγκατοικήσεις μέγας

[1]) Schol. 397 Νησαίας κάσις ἡ Θέτις .... — [2]) De re cf. Welcker. Trag. graec. p. 164. — [3]) Haec fieri solere in ἱστορίαις supra demonstravi [cf. p. 42].

τὸν Ἕκτορα κατ' ἐξοχήν. μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν Ἕκτωρ ὁ Πριάμου καὶ μετὰ τὸν θάνατον τὴν ἀπὸ θεῶν εὐτύχησε τιμήν. οἱ γὰρ ἐν Βοιωτίᾳ Θηβαῖοι πιεζόμενοι κακοῖς ἐμαντεύοντο περὶ ἀπαλλαγῆς. χρησμὸς δὲ αὐτοῖς ἐδόθη παύσεσθαι τὰ δεινά, ἐὰν ἐξ Ὀφρυνίου τῆς Τρῳάδος τὰ Ἕκτορος ὀστᾶ διακομισθῶσιν εἰς τὸν παρὰ αὐτοῖς καλούμενον τόπον Διὸς γονάς. οἱ δὲ τοῦτο ποιήσαντες καὶ τῶν κακῶν ἀπαλλαγέντες διὰ τιμῆς ἔσχον Ἕκτορα κατά τε τοὺς ἐπείγοντας καιροὺς ἐπικαλοῦνται τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. ἡ ἱστορία παρὰ Ἀριστοδήμῳ.

ἥρως ἀρωγὸς λοιμικῶν τοξευμάτων,
ὅπου σε πεισθεὶς Ὠγύγου σπαρτὸς λεὼς
χρησμοῖς Ἰατροῦ Λεψίου Τερμινθέως
ἐξ Ὀφρυνείων ἠρίων ἀνειρύσας
ἄξει Καλύδνου τύρσιν Ἀόνων τε γῆν
σωτῆρ', ὅταν κάμνωσιν ὁπλίτῃ στρατῷ
πέρθοντι χώραν Τηνέρου τ' ἀνάκτορα.
ἀλλ' ἄξεταί σε πρὸς γενεθλίαν πλάκα
τὴν ἐξόχως Γραικοῖσιν ἐξυμνημένην,
ὅπου σφε μήτηρ ἡ πάλης ἐμπείραμος
τὴν πρόσθ' ἄνασσαν ἐμβαλοῦσα Ταρτάρῳ
ὠδῖνας ἐξέλυσε λαθραίας γονῆς.

Diversa est ratio scholii Π 37 quippe ubi una res ex Lycophrone [177 sq.] narrationi interpolata sit.

Iam subsisto: ex scholiis enim quaecunque vel praesto sunt vel latent in obscuro, funditus exhaurire omnia nolui, sed certis rationibus rudem molem ita distinguere et digerere, ut non iaceant ignota omnibusque exposita hariolationibus, sed magno cum usu ad historiam poeticam accuratius cognoscendam sine errorum periculo adhibeantur.

ZUR STICHOMETRIE.

Die Zählung der *στίχοι*, der Raumzeilen, wurde zunächst zu dem Zweck unternommen, um durch dieselbe den Umfang eines Schriftstücks zu bestimmen; mit der Bestimmung des Umfangs hatte man aber auch zugleich ein Mittel in der Hand, das Honorar des Schreibers zu fixieren[1]), den Preis eines Buchs festzustellen, endlich die Integrität eines Werks zu prüfen[2]). Für diese Zwecke handelte es sich lediglich darum, die Summe der *στίχοι* zu notieren, was entweder nach dem Titel der Schrift oder am Schluss oder auch an beiden Stellen zugleich geschehen konnte. Die Stichometrie konnte aber noch einen andern Zweck verfolgen, nämlich das Auffinden einer Stelle bei Citaten zu erleichtern. Dies wurde dadurch ermöglicht, dass am Rande in festen, bestimmten Zwischenräumen die Zahl der *στίχοι* notiert wurde. Es dürfte wohl nicht unpassend sein, beide Arten von Stichometrie durch eigene Termini auseinander zu halten und die erste Totalstichometrie, die letztere Partialstichometrie zu nennen. So verhältnissmäfsig reich für die Totalstichometrie die Quellen fliessen[3]), so dürftig sind sie in Bezug auf die Partialstichometrie. Ich gebe mich daher der Hoffnung hin, dass ein neuer Beitrag zu derselben nicht unwillkommen sein wird.

In der bekannten Platohandschrift der Bodlejana in Oxford, dem Clarkianus, erscheinen, wie ich aus meiner Collation ersehe, bei den Dialogen Cratylus und Symposion Buchstaben in fortlaufender Reihenfolge am Rande. Sie gehen in beiden Dialogen bis *ψ*.

---

1) Diesen Punkt hat besonders Graux in seinem Aufsatz *Nouvelles recherches sur la stichométrie* in *Revue de Philologie* II (1878) S. 138 u. f. behandelt. Eine interessante Notiz über einen ähnlichen Gebrauch in Indien verdanken wir Nöldeke bei Gardthausen Griech. Paläogr. S. 132.

2) Vgl. C. Wachsmuth Stichometrisches und Bibliothekarisches Rhein. Mus. XXXIV (1879) S. 44.

3) Das Material ist gesammelt bei Ritschl im I. Bd. der *opuscula* und bei Graux l. c.

Es fehlen mir zwar einige, und ich muss es unentschieden lassen, ob sie in der Handschrift fehlen oder ob ich sie beim Collationieren übersehen habe; das Letztere wäre nicht unmöglich, denn ich habe damals diese Buchstaben wenig beachtet und es unterlassen, dieselben im Zusammenhang nochmals nachzuprüfen. Die Buchstaben haben in den beiden Dialogen nicht etwa dazu gedient, Abschnitte der Beweisführung zu markieren, wie dies z. B. im Theaetet[1]) geschehen ist, sondern sie können nur den Zweck gehabt haben, die Zeilen zu zählen, d. h. sie dienten der Partialstichometrie. Dies geht daraus hervor, dass diese Buchstaben, wie man sofort erkennt, stets nach bestimmten Zwischenräumen erscheinen. Zählen wir nämlich die Zeilen des Clarkianus, die zwischen zwei aufeinanderfolgenden Buchstaben liegen, so erhalten wir die Zahlen 68, 69, 70, 71 (diese am häufigsten), 72, 73, 74, 75. Diese Zahlen legen mit zwingender Nothwendigkeit den Gedanken nahe, dass wir es mit einer constanten Gröfse zu thun haben, welche in einer vor dem Clarkianus liegenden Handschrift aufzusuchen ist. Welches wird die constante Gröfse gewesen sein? Vergleichen wir die Angaben, welche uns über Partialstichometrie vorliegen, so finden wir einmal die Methode, die Zeilen von 50 zu 50 zu zählen. Dies that z. B. im fünften Jahrhundert Euthalius bei den Briefen des heil. Paulus[2]). Allein diese Methode war sicherlich nur vereinzelt. Andere Spuren der Partialstichometrie führen auf eine Zählung nach Hunderten. So wurden im Papyrus Bankesianus der Ilias der 200. Vers mit β, der 300. mit γ u. s. f. bezeichnet. Ebenso ist in einer griechischen Handschrift der Ambrosiana zu Mailand beim Deuteronomion eine Zählung nach Hunderten durchgeführt[3]). Auch sprechen für eine Partialstichometrie nach Hunderten drei Stellen des Diogenes VII 33[4]) *κοινάς τε τὰς γυναῖκας δογματίζειν (Ζήνωνα) ὁμοίως ἐν τῇ Πολιτείᾳ καὶ κατὰ τοὺς διακοσίους μήθ' ἱερὰ μήτε δικαστήρια μήτε γυμ-*

1) So z. B. f. 87b im Clarkianus Theaet. p. 153, f. 90b Theaet. p. 159.

2) Vgl. Graux l. c. 137 *ἐστίχισα πᾶσαν τὴν Ἀποστολικὴν βίβλον ἀκριβῶς μετὰ πεντήκοντα στίχους* Migne Sp. 720B.

3) Vgl. Graux l. c. 137 nach Ceriani *Monumenta sacra et profana* III 1 p. XII—XIII „*In Deuteronomio autem . . . accessit stichorum notatio per centena, quae indicantur per literas iuxta earum vim numeralem .... Item ac in nostro factum in pluribus libris versionis Syro-Hexaplaris.*

4) Auf dieses stichometrische Citat hat zuerst E. Rohde aufmerksam gemacht Griech. Roman S. 241.

νάσια ἐν ταῖς πόλεσιν οἰκοδομεῖσθαι VII 187[1]) *ἐν μὲν γὰρ τῷ περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων συγγράμματι* (*Χρύσιππος*) *αἰσχρῶς τὰ περὶ τὴν Ἥραν καὶ τὸν Δία ἀναπλάττει λέγων κατὰ τοὺς ἑξακοσίους στίχους ἃ μηδεὶς ἠτυχηκὼς μολύνειν τὸ στόμα εἴποι ἄν* VII 188 *τὰ δ' αὐτά φησι* (*Χρύσιππος*) *καὶ ἐν τῷ περὶ τῶν μὴ δι' ἑαυτὰ αἱρετῶν — ἐν δὲ τῷ τρίτῳ περὶ δικαίου κατὰ τοὺς χιλίους στίχους καὶ τοὺς ἀποθανόντας κατεσθίειν κελεύων*[2]). Wir sehen, es wird hier nach Hunderten citiert. Es ist ja von vornherein klar, dass die Zählung und Bezeichnung der Zeilen nach Hunderten diejenige ist, welche am leichtesten durchgeführt werden kann und die wohl auch den Zweck am besten erfüllt. Wir werden sie daher auch für die Quelle des Clarkianus anzunehmen haben. Diese Annahme steigert sich zur Gewissheit, wenn wir noch die Gröfse des *στίχος*, d. h. der Raumzeile in der fraglichen Quelle durch Rechnung ermitteln. Zu diesem Zwecke habe ich sowohl im Cratylus als im Symposion die Buchstaben einer zwischen zwei aufeinanderfolgenden Buchstaben liegenden Partie gezählt, im Cratylus erhielt ich 3556, im Symposion 3432 Buchstaben. Dividieren wir mit 100, so gewinnen wir für den *στίχος* im Cratylus 35, 56, für den *στίχος* im Symposion 34, 32 Buchstaben. Das gefundene Resultat ist überraschend; denn wir haben eine Stichengröfse erhalten, welche mit derjenigen übereinstimmt, welche Ch. Graux durch eine grosse Anzahl von Berechnungen gefunden[3]); es ist dies aber die Zeilen-

1) Dieses Beispiel wurde zuerst von Wachsmuth l. c. S. 39 behandelt.

2) Anderer Art sind die Citate des Asconius bei drei Ciceronischen Reden, vgl. Ritschl opusc. I 79. C. Wachsmuth l. c. 39 und die von E. Rohde Rhein. Mus. XXXIV (1879) S. 562 Anm. mitgetheilten stichometrischen Citate aus den Scholien zu Oribasius III 686, 22 III 689, 12 IV 532, 24 IV 533, 6 IV 534, 5 IV 538, 1. Um ein Bild von dieser Citirmethode zu geben, sei aus Oribasius angeführt IV 534, 5 *ἀπὸ τοῦ α' βιβλίου τῆς Συνόψεως τῶν Χειρουργουμένων μετὰ τὸ τρίτον τοῦ βιβλίου, ὡς μετὰ ι' στίχους τῆς ἀρχῆς τοῦ ὁμοίου κεφαλαίου.* Ein Citat verwandter Natur findet sich auch bei Galen. de placitis Hippocr. et Platon. V 716 K (p. 724 Müller mit den Proleg. 17).

3) l. c. S. 123 *toutes les évaluations stichométriques de l'antiquité sur lesquelles il est actuellement possible d' opérer — donnent régulièrement, pour la valeur du stique, de* 34 *à* 38 *lettres environ, ce qui revient à quinze ou seize syllabes. Le vers homérique compte aussi en moyenne quinze ou seize syllabes. La moyenne que nous avons obtenue en comptant le nombre de lettres de cinquante vers consécutifs pris dans l'Iliade ouverte*

gröfse des Hexameters. Birt[1]) behauptet, dass auch noch für andere Schriften der *στίχος* von der Gröfse eines Hexameters mafsgebend gewesen sei, jedoch sei er nicht der einzige gewesen, wie durch Beispiele dargelegt wird[2]). „Für den grofsen litterarischen Markt, schliesst Birt seine Deduction, werden wir immerhin Normalexemplare von der Zeilengröfse der poetischen annehmen können und müssen; zu ihnen gehörten auch die *ἀττικιανά*; und es ist beruhigend zu sehen, dass unsere Handschriften eben auf solche beste Exemplare zurückgehen.“ Wir werden aber unter die *Ἀττικιανὰ* auch die Schriften Platos einzureihen haben; denn in Galens Bruchstücken *περὶ τῶν ἐν Τιμαίῳ ἰατρικῶς εἰρημένων* werden die Worte Tim. 77 b *διὰ τὸ τῆς ὑφ' ἑαυτοῦ κινήσεως* auf die Ausgabe des Atticus zurückgeführt, *αὕτη μὲν ἡ ἐξήγησίς μοι γέγονε κατὰ τὴν τῶν Ἀττικιανῶν* (richtige Verbesserung statt *Ἀττικῶν*, vgl. Schneidewin Philol. III 127) *ἀντιγράφων ἔκδοσιν*. Die oben aus dem Timäus ausgeschriebenen Worte finden sich aber genau so in unserer handschriftlichen Ueberlieferung. Durch diese Ausführungen ist, wie ich glaube, der Satz festgestellt, dass der Clarkianus aus einer Handschrift stammt, in der die *στίχοι*, welche 35—34 Buchstaben umfassten, nach Hunderten am Rande bezeichnet waren.

au hasard, a été de 37, 7 *lettres par vers.* Ueber den Hexameter als Mafs für den Umfang prosaischer Schriften vgl. C. Wachsmuth Stichometrie und kein Ende; Rhein. Mus. XXXIV (1879) S. 482 u. folg. — Zur Vervollständigung diene noch folgende Notiz, die wir einem Referate O. v. Gebhardts über das uns nicht zugängliche Werk Amfilochy Paläographische Beschreibung datierter griech. Handschriften des IX. und X. Jahrh. mit 26 zweifarbigen Tafeln Schriftproben Bd. I Moskau 1879 (russisch) in der Theolog. Literaturzeitung Nr. 6 (1881) p. 128 f. entnehmen. In dem genannten Werke werden zwei Handschriften besprochen, ein aus dem Athoskloster Laura stammender Codex der Moskauer Synodalbibliothek aus dem Jahre 975, welcher dreissig Reden Gregors von Nazianz und zu mehreren stichometrische Angaben enthält, ferner ein Codex, den Porfiry 1845 in demselben Athoskloster sah, und der ebenfalls Reden Gregors mit Stichenzahlen enthält. Den stichometrischen Angaben beider Handschriften liegt eine einheitliche Raumzeile zu Grunde, welche nach einer vorläufigen Schätzung O. v. Gebhardts etwa 37—38 Buchstaben betrug.

1) „Ueber den Begriff des Buchs bei den Alten“, Vortrag, gehalten auf der Philologenversammlung zu Trier 1879 S. 94.

2) Vgl. S. 94 „Schon der Hippocrates, den Galen benutzte, hatte sechs Buchstaben mehr auf der Zeile; diejenige, in der Josephos seine Antiquitäten edirte, war um sieben Buchstaben kürzer“ u. s. f.

Es könnte scheinen, als hätten wir in diesen Satz auch eine unerwiesene Behauptung mit aufgenommen, indem wir für die ganze Quelle des Clarkianus die Partialstichometrie angenommen haben, die sich in dem Clarkianus doch nur bei den Dialogen Cratylus und Symposion vorfindet. Es werden daher über diesen Punkt einige Worte am Platze sein. Ist es von vornherein glaublich, dass die Partialstichometrie in der Quelle des Clarkianus nicht blos in einigen Dialogen, sondern in allen durchgeführt war, so gibt uns die Stichometrie im Clarkianus des Symposion einen völlig ausreichenden Beweis für die Richtigkeit dieser Annahme. Wir finden nämlich dort erst 174C bei der Zeile *ἀν[δρὸς ἰέναι ἄκλη-τος — ὥς]* den Buchstaben *α* am Rande. Es ist sonach klar, dass die Zählung der *στίχοι* nicht mit dem Anfang des Symposion begonnen, sondern sich auch auf den vorausgehenden Dialog bezogen hat.

Die Partialstichometrie tritt uns noch in einer andern Platohandschrift entgegen, nämlich im Venetus 185, den Bekker mit *Π*, ich mit D bezeichnet habe. Auch hier ist sie auf die Dialoge Cratylus und Symposion beschränkt. Im ersten Dialog sind folgende Buchstaben dem Rande beigeschrieben: *γ* f. 54b, *ε* f. 56b, *ζ* f. 57a, *ϑ* f. 59a, *κ* f. 60b, *λ* f. 61b, *μ* f. 62b, *ν* f. 63a, *ξ* f. 64a, *ο* f. 65a, *π* f. 65b, *ϱ* f. 66b, *σ* f. 67b, *υ* f. 69a, *χ* f. 71a, *ψ* f. 72a, im Symposion folgende: *β* f. 151b, *γ* f. 152a, *ε* f. 184a, *η* f. 185b, *ϑ* f. 186b, *ι* f. 187b, *ξ* f. 192a. Zwischen zwei aufeinanderfolgenden Buchstaben liegen durchschnittlich 68 Zeilen. Durch die Buchstaben sind dieselben Partien wie im Clarkianus abgegrenzt. Mochte sich also das Format der Handschrift gegenüber der Vorlage ändern wie es nur immer wollte, wenn der Schreiber bei den Worten, wo er die stichometrischen Buchstaben am Rande seine Vorlage fand, seinerseits nicht versäumte, am Rande dieselben beizufügen, so konnte auch im neuen Exemplar ein Citat nach Hunderten aufgefunden werden. Und zwar war diese Auffindung nicht mühsamer als wenn wir in der Aldina des Plato die citierte Stelle nachzuschlagen hätten. Denn die hundert *στίχοι* (die etwa $2^1/_2$ Teubnerschen Seiten entsprechen) nehmen in der Aldina nur um ein Geringes mehr als eine Seite ein[1]).

1) Die Stichometrie im Venetus kann noch für eine andere Frage benutzt werden, in der es sich darum handelt, ob diese Handschrift, welche dem Clarkianus gegenüber völlig werthlos ist, aus dem Clarkianus stammt. Nun

Die Partialstichometrie konnte aber nicht blofs dazu dienen, das Auffinden der Citate zu erleichtern, sie konnte auch als ein Criterium für die Integrität verwerthet werden. Ergab sich z. B. in einem Exemplar, in dem die *στίχοι* nach Hunderten gezählt waren, bei einer zwischen zwei aufeinanderfolgenden Buchstaben liegenden Partie ein Plus oder ein Minus, so mussten, die Richtigkeit der Zählung vorausgesetzt, entweder Worte hinzugesetzt oder ausgefallen sein. In analoger Weise konnte aueh bei einem Exemplar, welches im Format von der Handschrift, in der die *στίχοι* nach Hunderten gezählt und bezeichnet waren, abwich, die Partialstichometrie aber beibehielt, die Integrität controllirt werden; man brauchte nur festzustellen, ob die durchschnittliche Zeilenzahl, in die sich die 100 Zeilen der Urhandschrift umgesetzt haben, um ein Beträchtliches überschritten oder zurückgelassen ist. Wir wollen dafür ein interessantes Beispiel anführen. Im Cratyl. 437 d wurden nach den Worten, die Sokrates spricht, *οὐδ' ὁπωστιοῦν, ὦ φίλε, καὶ ταῦτα μέν γε αὐτοῦ ἐάσωμεν* noch folgende hinzugefügt *τάδε δὲ ἐπισκεψώμεθα, εἰ ἡμῖν καὶ τῇδε ὁμολογεῖς εἴτε καὶ οὔ. φέρε, τοὺς τὰ ὀνόματα ἐν ταῖς πόλεσι τιθεμένους ἑκάστοτε, ἔν τε ταῖς Ἑλληνικαῖς καὶ βαρβαρικαῖς, οὐκ ἀρτίως ὡμολογοῦμεν νομοθέτας εἶναι καὶ τὴν τέχνην τὴν τοῦτο δυναμένην νομοθετικήν; ΚΡ. Πάνυ γε. ΣΩ. Λέγε δή, οἱ πρῶτοι νομοθέται τὰ πρῶτα ὀνόματα πότερον γιγνώσκοντες τὰ πράγματα, οἷς ἐτίθεντο, ἐτίθεντο ἢ ἀγνοοῦντες; ΚΡ. Οἶμαι μὲν ἐγώ, ὦ Σώκρατες, γιγνώσκοντες. ΣΩ. Οὐ γάρ που, ὦ ἑταῖρε Κρατύλε, ἀγνοοῦντές γε. ΚΡ. Οὔ μοι δοκεῖ.* Diese Worte fehlen in den mafsgebenden Handschriften B und T, sie stehen zwar in D, aber hier rühren sie von einer jüngeren Hand her. Dieselben sind ohne Zweifel aus einer andern Handschrift genommen, denn die Handschrift D wurde mit andern verglichen. Ich habe diese Worte zum ersten Mal in meiner Ausgabe getilgt, da sie in dem Archetypus von B und T nicht vorhanden waren. Die Partialsticho-

fehlen einige der aus dem Venetus angeführten stichometrischen Zahlen in meiner Collation des Clarkianus. Sollte kein Versehen meinerseits mit untergelaufen sein, was sehr leicht möglich, sollte also wirklich der Venetus einige stichometrische Buchstaben mehr enthalten als der Clarkianus, so kann die Annahme, dass der Venetus aus dem Clarkianus stammt, nicht mehr aufrecht erhalten werden. Ich werde dieser Frage meine Aufmerksamkeit zuwenden und den Clarkianus nochmals nach dieser Richtung hin prüfen lassen.

metrie im Clarkianus setzt uns in den Stand, die Behauptung aufzustellen, dass diese Worte bereits in dem Exemplar, in dem die στίχοι nach Hunderten gezählt und am Rand bezeichnet waren, fehlten. Wir lesen nämlich die Worte im Clarkianus in der Partie, die zwischen χ und ψ liegt. Jedermann wird zugeben, dass die fraglichen Worte einen solchen Umfang einnehmen, dass ihr Wegfall ein Manco herausstellen müsste. Zählen wir aber die zwischen χ und ψ liegenden Zeilen im Clarkianus, so stellt sich ein solches Manco nicht heraus, ja wir finden hier sogar die Zeilenzahl, die wir als die durchschnittliche erkannt haben. Also in dem Exemplar, in dem die Hundertzählung durchgeführt war, standen die Worte nicht mehr; damit kommen wir aber in eine sehr frühe Zeit zurück.

Dass die Angaben, welche für die Partialstichometrie gemacht werden, leicht auch für die Totalstichometrie verwendet werden können, ist klar. Schätzen wir die Partie, die auf ψ in beiden Dialogen noch folgt, berechnen wir hiervon die Partie, die dem ersten stichometrischen Buchstaben vorausliegt, so werden wir für den Cratylus ungefähr 2350, für das Symposion etwa 2400 στίχοι erhalten. Nach Birt ist 2000 Zeilen das Mafs für handliche Durchschnittsexemplare.

Soweit von der Stichometrie bei Plato. Ich hege die Erwartung, dass unsere Ausführung zu derjenigen, welche C. Wachsmuth gegeben, ergänzend, vielleicht auch modificierend treten kann.

Würzburg. MARTIN SCHANZ.

MISCELLEN.

ZU DEN GLOSSEN DES PAPIAS.

Für die neuerdings wieder mit Eifer betriebenen Studien im Gebiete der Glossenlitteratur dürfte die folgende Mittheilung von Interesse sein.

In der Bibliothek des Seminars der Doopsgezinden zu Amsterdam befindet sich das Handexemplar Jos. Scaligers von dem Vokabular des Papias, die zu Venedig 1496 erschienene Ausgabe. Peter Daniel hat dasselbe für Scaliger gekauft, wie auf dem Titelblatt selbst bezeugt ist mit den Worten:

> *Ego Petrus Daniel hunc vocabulistam 8 assibus emi Lutetiae pro Jos. Scaligero J. F. 1564.*

Werthvoll wird dieses Buch durch vielfache, wenn auch nicht sehr zahlreiche Bemerkungen Jos. Scaligers, Conjecturen zum Texte darstellend. Die Authentie der Handschrift glaube ich bezeugen zu dürfen, da mir Scaligerana der Leidenschen Bibliothek bekannt sind; sie wird überdies bestätigt durch eine gleichfalls auf dem Titelblatte befindliche Bemerkung P. Burmanns, welcher auch das Vorhandensein von Noten von einer zweiten jüngeren Hand constatiert. Auf dem Titelblatte befindet sich unter dem gedruckten „Papias Vocabulista“ die Notiz von Scaliger:

> *Volaterranus | e regione Transpadana oriundus, tempore | Innocentii III Pontificis scripsit Dictionarium Latinum | ex ordine Literarum, quod aliquandiu auctoritatem | sibi apud quosdam, praesertim imperitos vindicavit.*

Amsterdam, d. 6. Juni 1881. MAX COHN.

DE

IULI FRONTINI STRATEGEMATON

LIBRO QUI FERTUR QUARTO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GOTTHOLDUS GUNDERMANN

SAXO-ALTENBURGENSIS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXI.

Iuli Frontini strategematon libris, quibus Fridericus Haase sicuti ceteris scriptorum militarium operibus curas se adhibiturum esse irritam spem excitauerat, aduersa fortuna diem sanitatis non illucescere identidem uiri docti conquesti sunt. Atque Ulricus Koehler, cum qua ratione T. Liuii annalibus historici latini usi essent explicaret*), eorum ex numero ut excluderet Frontinum, maxima ex parte eo coactus est, quod editionem ratione ac diligentia qua par est factam nondum nancta erant strategemata. Iterum rem monuit Eduardus Woelfflin, cum de quarto libro quatenus distaret a prioribus copiose disputaret.**) Eadem de re ego disserere aggressus mox mihi persuasi, nisi certo textus fundamento uti liceret, fore ut paene omnis disputatio ad irritum caderet. Itaque ad libros manu scriptos quibus ille constitueretur indagandos quantum fieri posset cum animum attendissem, locis non paucis, qui uilium membranarum culpa grauiter adhuc laborant, perfacile posse ex eis dari medicinam intellexi. Namque quamuis multi strategematon editores exstiterint, nemo tamen eorum uidetur nisi recentiores deterioresque libros adhibuisse, alteram codicum classem eamque meliorem ne cognouisse quidem. Non id ago ut omnes editiones percenseam: sufficit unam inspexisse Oudendorpianam quae summam complectitur superiorum. Quae ibi non semel uetustissima***) laudatur editio, per Eucharium Silber alias Franck Romae a. 1487 curata, e codice lacunoso pessimeque corrupto emanauit. Bononiensem a. 1495 Philippus Beroaldus emisit libros secutus ualde interpolatos et eandem ad turbam pertinentes atque Vatic. 3408, Vatican. 2193, Mediceus 45. 15 aliique nullius pretii. Nulla codicum ope adiuti Modius et Stewechius editorum munus adierunt. Scriuerius et Tennulius quidquid emendauerunt non tam libris quos aduocauerant quam suo ingenio de-

*) Ulricus Koehler, Qua ratione T. Liuii annalibus usi sint historici latini atque graeci. Gottingae 1860. p. 6.

**) Herm. IX p. 72 sqq.

***) Errat Oudendorpius, nam princeps editio teste Maittairio annal. typ. I, 2 pag. 479 lucem aspexit Bononiae a. 1486 fol.

buerunt: Tennulium exscripsit Keuchenius. Nouorum praesidiorum copia undique coacta Oudendorpius, uir de Frontino optime omnium meritus, Lugduni Batauorum primum a. 1733, iterum a. 1779 strategemata edidit commentarioque uberrimo instruxit. Magnum is corruptelarum gregem, quae in textu paulatim resederant, prudenter expulit; sed quia libros suos certa ratione non expendebat nonnullorumque uelut Gudiani no. 16 collationem possidebat cum incuria factam atque auctoris genus dicendi reuocabat ad consuetam et magis elegantem elocutionem, fieri non potuit, quin multa relinqueret imperfecta. Oudendorpianum textum et Schwebelius et Bipontini repetierunt. Excepit eos hoc saeculo Dederichius, qui item adminiculis ex apparatu Oudendorpii repetitis incredibile quoddam specimen editionis prodidit. Nam ut non enumerem, quot uerba tacite omiserit, addiderit, transposuerit, aliis commutauerit: quae fides eis exemplaribus habenda est, quae textum exhibent ad auctoritatem codicis Petrensis semel atque iterum correctum, de quo libro interpolato ipse Oudendorpius suspicionem mouerit? Aut quo iudicio uti is putandus est, qui IV, 1, 17 auctoris uerba sanissima 'qui in proelio dubiam mortem timuissent' mutauit in 'qui in proelio subire mortem dubitauissent' uel IV, 7, 2 ex uerbis 'dolabra, id est operibus' finxit 'dolabris et operibus' et IV, 7, 13 apparatu Oudendorpiano leuius excusso pro 'Lacedaemonem uersus' emendauit 'Lacedaemoniorum in agros'? Quae cum ita esse uiderem, haud abs re fore ratus, codicum Frontinianorum condicionem circumscribere, instituendae editioni haec paraui subsidia: atque ut exemplo tamquam probarem, qui spectatissimi textus recognoscendi essent testes, quartum quem ferunt librum strategematon adiecto apparatu critico subieci.

Caput I: De codicibus.

Strategematon codicum duo sunt genera: unum (α) plenius et diligentius scriptum, alterum (β) mutilum atque multifariam corruptum: illi pauci tantum sed uetustissimi libri adnumerantur, huius permagnus numerus exstat assecularum, quorum tamen plerique recentioris potius aetatis sunt. Neutrum autem in quarto et ceteris libris tradendis ullum discrepantiae uestigium prae se fert. Ac pariter in utroque pars quaedam libri secundi (cap. IX §§ 8—10, cap. X, cap. XI, cap. XII, §§ 1—2)*) exstat in extremo

*) Cf. p. 161 ~~124~~.

quarto: nam quod in nonnullis codicibus, ut in Leid. no. 128, Burneiano no. 173 aliisque inferioris aetatis, suo loco ea inueniuntur, propterea non esse maiorem eis auctoritatem tribuendam iam alii uiderunt: quem errorem ante saeculum fere tertium decimum notatum non fuisse ac ne recte quidem correctum esse, Hedickius*) dilucide explicauit. Ipsum denique uerborum contextum si perlustraueris, in uitiis tam multis utrumque genus inter se consentire animaduertes, ut ex uno eodemque archetypo (x) eoque iam deprauato α et β fluxisse manifestum sit. Is autem ad quod usque saeculum promouendus sit parum liquet: maiusculis tamen litteris eum fuisse exaratum, certa indicia demonstrant. Praeter strategemata Frontini in eodem sine dubio inerat 'Eutropi breuiarium ab urbe condita', quia id in codicibus utriusque generis (Γ—DBO) exstat.

Pergens ad archetyporum utriusque generis naturam et condicionem explanandam ab eo incipiam quem α nominaui. Eum qui exarauit censendus est eximia diligentia summaque fide suo munere functus esse. Etenim non solum uerba accuratissime transcripsit ex eo quem habuit codice, sed ne in litteris quidem socordiae ac neglegentiae locum dedit ampliorem: quod ne uidear iusto studiosius iudicasse, argumentum luculentum habeo afferre. Fuit enim iam in omnium codicum archetypo altera lectio iuxta genuinam quibusdam locis notata: ea in genere β neglecta et omissa est, sed qui α descripsit eam uerbis immixtam tradidit. Unde fit ut IV, 7, 29 β 'galeiculis', α 'galei oculis' (= galeiculis = galeiculis alias galeolis) et IV, 6, 4 β 'causa eductum', α 'causae deductum' (= causa [e]deductum = deductum alias eductum) nobis praebeant. Eadem fide tantum non ubique hoc genus praestare alteri ex locis nonnullis suppositis facile cognosces:

	α	β
IV, 1, 1	gaio (g̃ Γ) memmio	gaio nemmio DG gaio nae͂mio O gaionẽ mio B.
IV, 1, 3	dilectatori ΓC delectatori A	delectori
IV, 1, 18	redegit petites ad	redegit ad
IV, 1, 21	initia	initio
IV, 1, 36	Aquilius AC Aquilegius Γ	Aquirius (Aquarius O)

*) Cf. Herm. VI, p. 156.

IV, 3, 15 prouincias	prouinciam
IV, 3, 5 in maxima paupertate	maxima paupertate
IV, 2, 4 innumerabiles	innumeras
IV, 6, 3 resedisse	redisse (*in* O r *in* s *correcta*) sedisse B
IV, 7, 31 ne aut negato	ne abnegato
ibid.: ut ileregetum *Γ* utile regetum *A*	uti legetum
IV, 7, 35 interfectis	intectis
IV, 7, 37 pythian	pitiam.

Neque tamen archetypus *α* prorsus immunis fuit mendis, quamquam leuia ea sunt, uelut: *praef.:* ‘descriptione’ pro ‘descriptioni’, similiter 7, 28 ‘agmine’, 7, 29 ‘mediocres’ — 7, 39 ‘uirgas’ pro ‘uirgis’ — 1, 44 ‘ex’ pro ‘ea’ — *praef.:* ‘ordine’ pro ‘ordinem’ — 7, 20 ‘exercitum’ pro ‘exercitu’, 1, 18 ‘sententiam’, 1, 32 ‘iniussum’ — 5, 5 ‘ammisso’ pro ‘amisso’ — 7, 6 ‘lacerauit’ pro ‘lacerabit’ — 5, 8 ‘grassus’ — 1, 4 ‘sed’ pro ‘se’ — 1, 13 ‘praessus’ — 1, 7 ‘honus’, 1, 4 ‘habituros’ pro ‘abituros’ — 1, 28 ‘idemque’ pro ‘eidemque’ — 1, 10 commigrare dixit’ pro ‘c. edixit’ — 6, 3 ‘concenditur’ pro ‘conceditur’, 7, 24 ‘adficerent’ pro ‘adficeret’, 7, 22 ‘habebant’ pro ‘habebat’ — 1, 18 ‘pedem’ pro ‘peditem’ — 7, 38 ‘signatae’ pro ‘obsignatae’ — 5, 7 ‘decunctantem’ pro ‘decunctantibus’ — 7, 26 ‘crispinum hannibal’ pro ‘crispinus hannibalem’.

Tres ad hoc genus pertinent libri: *A* = Harleianus no. 2666 saec. IX, *Γ* = Gothanus no. 101 saec. IX, C = Cusanus C 14 saec. XII. Hic quamuis propter bonitatem eius codicis unde excerpta strategematon desumpta sunt haud abiciendus sit, tamen pauca exempla eaque saepe praecisa exhibet. Ac ne *Γ* quidem maioribus opibus nos adiuuat, ut solus *A* huius generis testis restet integer. Quod ualde dolendum est, quia traditarum lectionum origo minus perspicuus est: fauente tamen fortuna contigit, ut eis quae *A* et *Γ* una tradunt inter se expensis naturam illius uirtutemque quodam modo perscrutari atque diiudicare possimus. Itaque locos quibus *A* et *Γ* a se distent grauissimos in comparationem uocabo:

A	*Γ*
1, 16 tradidit	tradit
7, 20 excitauerant	excitabant

1, 39 remissio	remisso
4, 2 Fabricium	Fabricium autem
5, 18 et igne/// (r *erasa*)	et in igne
6, 1 idoneum	idoneorum
1, 26 L. piṣso. c̃. tit^{i}um (*corr. man. 2*)	L. piso coñs. titium
5, 1 qua licentia	quam licentiae
5, 14 non c. caelum	non claudium caeliũ
5, 23 dominum (domuum *corr. man. 2*)	domum
1, 18 iussit	iussis
1, 43 postero	postera
1, 44 cõmitiis	committi is
7, 22 reposcentibus	reponentibus
7, 22 uoluntate	uoluptate
7, 24 fuissent	fudissent
7, 41 interfectus	interceptus
7, 42 hispania	italia
7, 8 aduo^{l}uerent	admouerent
7, 18 promi^{s}sis id ea persuasione	promissi site apersuasione
7, 35 magna summae his promitteretur	magnae summae is promittereñtur.

Vides eorum quae attuli pleraque in *A* aut recte aut certe ita tradi, ut facile restitui possint.

Iam qualis in *A* et *Γ* orthographia conspiciatur, haud alienum uidetur memorare. 'Prehendere' non contrahitur nisi 7, 7 'deprendisset' *AΓ*; sed 7, 23 *A* deprensa *Γ* deprehensa — 3, 11 *Γ* nonagensimus *A* nonagẹssimus — 7, 33 *AΓ* Voccaei, 3, 7 uocabat, 1, 44 *A* uocaret *Γ* uacaret — 2, 3 *A* paucissimis *Γ* paucis sumụ̇s — 5, 5 *AΓ* equom, 6, 2 *A* equum *Γ* equom, 7, 36 *A* reliquum *Γ* reliquom, 7, 34 *A* quum *Γ* quom, 5, 16 *AΓ* uiuosque, 5, 5 *A* uulneratus *Γ* uolneratus — *AΓ* adulescens 1, 13. 6, 4. 7, 39, sed *AΓ* epistolis 7, 38, *A* scauros 3, 13, *Γ* pugnatụ̄ros 7, 21, *A* munitione *Γ* monitione 7, 38 — *Γ* hannenses 7, 22 (bis) — *Γ* Lisander 1, 9, dirrachium 1, 43, cyneas 3, 2, epyrotarum 3, 2. 4, 2, *A* thermopilas 2, 9 — i et e in utroque saepe commutantur: *Γ* athenienses 7, 21; *A* aeliam *Γ* eliam pro 'Elaeam' 5, 16; *A* delectator *Γ* dilectator 1, 3; *A*

spicies *praef.*, acceperet 7, 39, expeditione 1, 1; *Γ* ordinare 1, 8, obsiditque 5, 9, recolligisset 5, 17, redigisset 7, 25 — in verbis per 'ae' vel 'e' scribendis et *A* et *Γ* saepissime peccant, ut longum sit singula enumerare.

Ex declinatione uerborum haec notaui:

A cohortium *Γ* cohortum 1, 37 — *Γ* domum (*gen. pl.*) *A* domu///um (*sed a man. 2*) 5, 22 — *Γ* Iuli *A* Iuli^{i} (*corr. man. 2*) *praef.*; *AΓ* Cassi 2, 1 (bis), *AΓ* fului 7, 29, *AΓ* principis 1, 16; *AΓ* is 1, 44. 5, 22; *A* hi *Γ* hii 7, 34; *AΓ* redit 5, 17; *AΓ* perisse 5, 20; *A* uenisse *Γ* ueniisse 5, 20; — accusativi plur. qui *is* finiuntur: *AΓ* nauis 1, 15, hostis 5, 3. 5, 4. 7, 33; deprecantis 5, 2; deposcentis 7, 6; transnauigantis 7, 19; *Γ* omnis 7, 19 praetereuntis 6, 3.

Aspiratio in utroque abundat raro: *AΓ* honus 1, 7 habituros 1, 4 *Γ* pyrhrus 1, 3; 1, 14; pyrrho 4, 2; *A* pyrrhus 1, 14; pyrrhi 4, 2; pyrrho 1, 18; Ptholemeus 7, 20 — l pro ll: *Γ* mile 2, 6 — ss pro s: *Γ* nassica 1, 15. 1, 20; assia 5, 16; *A* pisso 1, 26 uespassianus 6, 4; contra *Γ* promisum *praef.* remise 1, 18 dimisa 5, 13 — tt pro t: *Γ* cottidiane 1, 1; *A* cottidiae 7, 34; contra *A* cõmitiis *Γ* committi is 1, 44, *Γ* retulit *A* rettulit 5, 4 — rr pro r: *A* interrim 7, 31 — n pro nn: *Γ* hanibalem 7, 26 — ff pro f: *Γ* affricanus 1, 5. 7, 4. 7, 16 — f pro ph: *Γ* triumfaturum 5, 1 xenofontem 6, 2 elefantos 7, 18 — b pro p: *Γ* inobs 7, 37 prolabsus 5, 17 opsidionem 5, 12 — r pro l: *Γ* gradiatorem 7, 5 exproratorem (= exploratorem) 7, 7 — c *pro* g: *A* incenti 1, 1 *Γ* acmen 1, 7, sed *Γ* Gn̄. 3, 4 — ci cum ti confunditur: *A* hospicium 1, 10 internitionem 7, 16 — d et t confunduntur: *Γ* inquid 1, 10. 5, 12. 6, 1. 7, 6. 7, 37; uelud 1, 14. 1, 25. 1, 43; aliquod 5, 17. 7, 25; *AΓ* ad pro at 5, 14; contra *Γ* repetentis 4, 1 testinatum 6, 2 quot 7, 37 *A* hastrubale 3, 8 — s pro x: *Γ* artaxerxen 2, 7; contra *A* sexcentorum 2, 6; extiua 1, 6 — g pro i: *Γ* agebat 2, 9 egecerunt 5, 18.

Praepositionum in uerbis compositis numerus haud exiguus immutatus inuenitur, qua in re nullum fere inter *A* et *Γ* discrimen exstat, sed ratione usus caret: adsiduus, adsuefacere, adsistere — aspicere; adfligere, adfirmare, adficere — affectus; adgredi; adleuare — alligare; adpetere; adtemptauerit *Γ* attempt. *A* 7, 6; conlatis — collega; conmilitones *A* 1, 16 — commigrare; conplectere, conprehendere — compellere; inmuniti — imminere;

inposuit, inprudens — imperare; inrupit, inridentibus; optulit, optinuit (*Γ* obtinuit).

Ex hisce speciminibus satis apparet, antiquam scribendi rationem in neutro codice constanter seruari. Sed si formas quasdam peculiares ut ‘omnis’ pro ‘omnes’ vel ‘quom’ pro ‘quum’ exceperis, in quibus retinendis *Γ* pertinacior est, etiam rerum orthographicarum A testem esse certum negari non potest.

Venio ad alterius generis archetypum quem nota *β* indicaui. Cuius pleraque uitia esse a neglegentia inscitiaque librarii profecta apparet. Eorum autem quattuor potissimum species discerni possunt: nam ille 1) singulas litteras confudit: ‘damnato’ pro ‘damnati’ 1, 20; ‘initio’ pro ‘initia’ 1, 21; ‘nemmio’ pro ‘memmio’ 1, 1; ‘motus’ pro ‘modus’ 3, 12 — 2) uerba perperam disiuncta transcripsit: ‘in ordinem herere (aerere D arᵉere O)’ pro ‘in ordine merere’ 1, 11; ‘ipsum eruerant’ pro ‘ipso meruerant’ 2, 2 — 3) sigla falso intellexit: ‘pitiam’ (= pitiã) pro ‘pythian’ 7, 37; ‘innumeras’ pro ‘innumerabiles’ (= innumerãs) 2, 4; ‘abnegato’ pro ‘aut negato’ (= $\overset{t}{a}$ negato) 7, 31 — 4) omisit litteras: ‘.c. denariis’ pro ‘cc denariis’ 5, 20; ‘uti legetum’ pro ‘ut ilergetum’ 7, 31; — uel syllabas: ‘delectori’ pro ‘dilectatori’ 1, 3; ‘redisse’ pro ‘resedisse’ 6, 3; ‘intectis’ pro ‘interfectis’ 7, 35; ‘Cizi cum’ pro ‘Cyzicum cum’ 5, 21 — uel verba: ‘pedites’ 1, 18; ‘in’ 3, 5, ‘quod’ 7, 6, ‘percussis’ 5, 2.

In orthographia ei qui *β* scripsit fides omnino abroganda est, cum inferioris iam aetatis indoli obnoxius de suo permulta mutauerit. Mitto nomina per ‘ae’ uel ‘oe’, ‘y’ uel ‘i’ scripta, aut talia uelut ‘aruspices’ 5, 14; ‘graccus’ 7, 24, ‘iugurtino’ 1, 2, sed praepositiones, quarum non paucae in *α* integrae remanserunt, principibus uocum consonis subiecit. Formas quoque uerborum corrupit, ut ‘recuperare’, ‘accersere’, ‘tentare’, ‘adolescens’, ‘nonagesimus’ in *β* legamus, ubi *α* peculiares formas tuetur. Neque *β* talia atque ‘Cassi’ 2, 1, ‘equom’ 5, 5, ‘uiuosque’ 5, 16 seruauit.

Grauius uero est, quod iste ea, quae iam corrupta inueniret aut non ita probe mente assequeretur, suo arbitrio emendare conatus est. Quam rem ut melius possis diiudicare, pauca exempla subiciam:

β	*α*
5, 14 non dubitauit dare pecuniam qua nostro...	non dubitauit de ea re pecunia- quae nostro...

7, 6 uniuersos	uniuersas
7, 6 eosdem	easdem
7, 18 poscentibus promisit et ea persuasione	poscentibus promi^{s}sis id ea persuasione *A* poscentibus promissi site apersuasione *Γ*
7, 29 incipere	recipientibus
7, 42 redire	nere

Haec de archetypo disserenda existimaui, antequam ad singulos codices transirem. Horum numerus satis magnus est, cum praeter tres illos qui genus α efficiunt omnes, quotquot lectionum specimibus mihi innotuerunt, huc pertineant. Neque tamen ex eis nisi quattuor fere digni sunt qui in censum uocentur: reliqui maxima ex parte saeculo quarto uel quinto decimo exarati lacunis non carent adeoque uitiis ineptissimis scatent aut a curiosis librariis uanis emendationibus inquinati sunt, ut merum auctoris textum ex eis nemo possit agnoscere. Nonnulli profecto ex libris melioris notae passim correcti sunt, ut Burneianus no. 173 ex codice nescio quo generis α: in aliis uelut in Leidensi Voss. F 59 uitia quaedam ab ingenioso homine eleganter sublata sunt; sed, quamuis primo aspectu ad eos inuiteris, superfluentibus indiciis uilitas eorum non in occulto est.*)

Primores igitur huius generis sunt D = cod. Parisinus 7240 saec. X uel XI in., G = Gudianus 16 saec. XIV in., B = cod. Harlei. 2729 saec. XII, O = cod. Oxoniensis saec. XII. Deteriorum autem librorum quibusdam locis hunc uel illum in apparatum admisi, ut quorum auctoritate textus niteretur editionibus uulgatus illustrarem. Ipsi autem hi codices in duas secedunt classes: alterius (μ) testis primarius est D, secundarius G; alteri (λ) adnumero B et O, quorum B mihi uidetur praestantior: cum hac autem plerique faciunt deteriorum librorum. Omnes ex eodem archetypo β procul dubio fluxerunt; sed in μ loci non pauci, in quibus illius classis asseculae deprauati sunt, sani incorruptique sunt, ibique μ plerumque consentire cum α item recta tradente consentaneum est. Quod ex hoc grauiorum discriminum indice euidenter elucebit:

praef.: hec erant μ	et erant $\lambda\alpha$
1, 19 Otalicius μ	Otacilius $\lambda\alpha$
1, 27 stationem $\mu\alpha$	stationes λ

*) Cf. de codice Vaticano 3408 pag. 103.

1, 32 coñs. μ	censor $\lambda\alpha$
3, 4 filiarum $\mu\alpha$	feminarum λ
5, 10 latera omniaque $\mu\alpha$	omnia latera B (*in* O *lacuna*)
5, 19 eadem omnia $\mu\alpha$	omnia eadem B (*in* O *lacuna*)
6, 2 munera reseruaret $\mu\alpha$	munera reuellet B (*in* O *lacuna*)
7, 5 posse eum uitam $\mu\alpha$	eum uitam posse λ
7, 14 ad alia usus $\mu\alpha$	ad alias usus λ
7, 16 muniendam $\mu\alpha$	muniendum λ
7, 12 ut hoc permitterent $\mu\alpha$	ut per hoc permitterent λ
7, 39 ipse se primus $\mu\alpha$	ipse primus λ
7, 39 metu ceteros $\mu\alpha$	metu ne ceteros λ
7, 40 a uirgultis $\mu\alpha$	a uirgulas B
	a uirgula O
7, 13 omnem μ	omnium $\lambda\alpha$
7, 18 numida μ	numidia $\lambda\alpha$

Ex his igitur quae de archetyporum α et β condicione disserui, hoc statuo colligi, recensendi strategematon textus fundamentum fore genus α vel potius codicem A, in dubiis genus β maximeque codicem D in consilium adhibendum, in orthographicis codicis A scripturam adoptandam esse. Atque nunc iam stemmatis ut dicunt imaginem paucis describam lineis, ut quemadmodum singuli codices ex uno orti inter se cohaereant, oculis possis percurrere.



His igitur praemonitis ipsorum codicum qui quidem mihi noti fuerunt recensum exhibebo.

A. Codices adhibiti: I. Genus α.

1) A = cod. Harleianus no. 2666 in Museo Brit. seruatus, saeculi IX (in catalogo fertur saeculi VIII), continet Frontini stra-

tegemata. Foliis constat quaternariis pergamenis 37. Singula exempla minusculis litteris exarata capitalibus quas uocant litteris incipiunt, quae paucis locis atramento, plerisque rubro colore membranae inductae sunt semperque in marginem prominent. Tituli omnes maiusculis litteris, raro uncialibus per atramentum scripti sunt, saepius capitalibus per rubrum colorem, qui fere ubique detritus est sicut in exemplorum initialibus. Scriptura, compendiis admodum paucis impedita, rasuris atque emendationibus non uacat. Ipse enim librarius quae falso descripserat saepe correxit, sed in ipso scribendo, ut demonstrari potest. Saeculo autem X° vel XI° altera manus, quae infra est man. 2. appellata, toti libro magnum emendationum numerum iniecit. Ei debemus, quod pleraeque praepositiones uerbis cum eis compositis assimulatae nunc leguntur et narratio est signis interpuncta, quibus textus antea fere carebat: sed atro liquore quia utebatur, bene discerni potest a prima manu, cuius scriptura fusco colore est. Praeter hanc liber est etiam alias manus emendatrices expertus, quae tamen in collatione negleguntur. Peccauit librarius perquam frequenter uerba per 'ae', non per 'e' scribens, uelut 'praessus', 'statuisquae', 'caecidit' cet. Neque id silentio praetereo, quod interdum complura uerba aut omisit aut omissa in margine adscripsit, ut 1, 2: 'seueritate restituit cum insuper' et similiter 1, 31. 2, 6. 7, 38 . . qui hiatus cum omnes prope eiusdem ambitus sint, librarium suspicor in describendo quem habuit codice oculis nimis properantibus singulos uersus transiise. Collationem huius codicis itemque quattuor aliorum eximiae debeo liberalitati Walteri Giles M. A. Oxoniensis, qui eo munere grato acceptoque artissime me obstrinxit. Nonnullos locos iterum meam in gratiam inspexit Paulus Schroeder, pro qua humanitate gratias ei ago maximas.

2) Γ = codex olim Fuldensis, nunc inter codices bibliothecae ducalis Gothanae 101 numeratus, quo cum undecim aliis Maugérardi abbatis mercatu anni 1796 mense Ianuario peruenit*). Folia maioris formae membrana crassa luridaque insunt 49 (duo folia numero 15 signata sunt) quorum 1^r—8^v breuiarium Rufi, 9^r—39^r breuiarium Eutropii, 39^r—48^v excerpta ex Frontini libris continent. Singulis paginis triginta lineae 16^{cm} longae stilo inductae sunt, in quibus textus saeculo nono minusculis litteris pulchre scriptus est; neque tamen ab una manu, sed duae certe, eiusdem tamen aetatis, discernuntur, quarum altera priorem partem libri usque ad fol. 35^r

*) Cf. Philol. XXIX p. 285.

uersum 19 (= Eutrop. IX, 20 *reformauit*), altera reliquam partem exarauit: illius scriptura maior est et antiquiore specie, huius nitidior et compendiis saepius impedita. Fol. 39^{r} subscriptionem 'ЄVTROPI LIBЄR X ЄXPLICIT' excipiunt haec: 'Et facies et pennas per quattuor partes habebant iunctaeque erant pennae eius alterius ad alterum non reuertebantur cum incederent. Sed unum quodque ante faciem suam gradiebatur. Iuncta sunt sibi euangelia herentque mutuo et in toto orbe uolitantia huc illucque discurrunt nec habent finem uolatus. Nec aliquando superabuntur et recedunt. Sed semper ad ulteriora procedunt. Unde et inpaulus dicit. Praeteritorum obliuiscens et in futurum me extendens. Hoc idem et de uirtutibus animae possumus dicere et de uolatu temporum commixtioneque elementorum quod praeterita relinquentes semper ad priora festinent. Quod autem tempora labantur et fugiant breui uersiculo demonstratur: Sed fugit inter ea fugit inreparabile tempus*) et in carmine lyrico: Eheu fugaces postume postume labuntur anni.'**) His statim nullo addito titulo adnectuntur strategematon liber quartus 'Multa lectione sqq.' cum parte illa libri secundi, deinde praefatio et 'cap. I §§ 1—2 libri primi, tum praefatio et cap. I 1—3 libri secundi, denique praefatio et cap. I, cap. II, cap. III §§ 1—7 libri tertii. In calce libri recentior manus, quae in Eutropii textu multa correxit, uersum adscripsit: 'Utilis iste liber si correctus foret esset. mpdp f^{a}bllbck^{1} (= modo fallaci);' altera quoque manus, tironis puto, pauca appinxit. Quae in excerptis strategematon correcta occurrunt, omnia ipsius librarii sunt. Color ruber non existit. Tituli uncialibus exarati sunt. Hic illic 'a' longobardica conspicitur. Uoces per 'e' vel per 'ae' scriptae crebro confunduntur. Compendia librarius in describendo passim soluit, neque semper recte, uelut 7, 1: Titus (T. *A*), 1, 26: coñs. (c̃. A), 5, 14: claudium caelium (c. caelium A), 1, 24 hiemen 1, 43 inermen 1, 31 messam 1, 21 ignomia; atque uerba falso distinxit 1, 2: assae lixaue; 1, 7: acme noneratur; 7, 26: castrarum morem; 7, 30: quoquem adentibus; 5, 17: sere colligisset. — Collationem huius codicis, sed minus accurate factam, publici iuris fecit Jacobsius***) a. 1838; ipse eum beneuolentia bibliothecae Goth. praefecti Pertschii Ienam transmissum excussi.

3) C = codex Cusanus C 14 membranaceus in folio min.

*) Verg. Georg. III, 284.

**) Hor. od. II, 14, 1.

***) Cf. 'Beiträge zur ältern Litteratur' ed. Fr. Jacobs et F. A. Ukert (Lipsiae 1838) fasc. V, p. 215.

saec. XII, binis columnis exaratus.*) Praeter alia multa in eo insunt nonnulla strategematon excerpta, quae post Ciceronis Paradoxa fol. 17^{v} col. 1 — fol. 18^{v} col. 1 occurrunt et inscribuntur: ex LIBRIS IVLII FRONTINI | STRATEGEMATON. Numquam tota capita, sed singula tantum exempla, eaque frequenter praecisa exhibentur, quibus tamen suus titulus plerumque non deest. Series excerptorum haec est: liber I praef.: 'Si qui erunt quibus . . . opprimendus hostis sit'. Cap. I, 12. 13. 4. II, 7. V, 1. VI, 4. VII, 2. 3. VIII, 8. X, 4. XI, 5. 8. 19. XII, 1. 5. 12. — Liber II: cap. I, 1. 2. 13. 17. II, 2. V, 41. VI, 3. VIII, 6. 7. 11. IX, 6. 7. XIII, 2. 3. 8. — Liber III: cap. VII, 6. IX, 6. — Liber IV: cap. I, 3. 5. 17. 29. 35. 36. 38. 42. 45. III, 1. 2. 3. 9. 10. 12. IV, 1. 2. V, 12. 13. VII, 1. 4. 10. 14. 15. 37. — Liber II: cap. XI, 2. — Tum haec adduntur: 'Multiplici bonorum ducum magnificentia iusticiaeque fama copiosa mox adquiritur gloria. — Hasdrubal frater hannibalis africae imperator gisgonis filius. — NOMINA DVCVM SECVNTVR.

Themistocles. Pericles. Agesilaus . . .' sequitur igitur index nominum duodeoctoginta, qui quamquam non ad exempla in codice tradita pertinet, tamen ordinem quendam librorum capitum exemplorum tuetur. Haec excerpta, quae ex libro probae notae fluxerunt, ea quae A et Γ tradunt bene confirmare solent.

Orthographica in C exstantia fere omisi. Sed librorum $A\Gamma$ minutissima etiam discrimina adnotare religionis esse putaui.

II. Genus β: 1. classis μ.

4) D = cod. Parisinus no. 7240 (quondam Colbertinus 3001, Regius 4940. 3), scriptus saec. X° vel XI° ineunte (in catalogo fertur saeculi XII.) singulis columnis, constat foliis membranac. 40, quorum mensura est 33^{cm} in altit., 23^{cm} in latit. — Incipit fol. 1^{r} nullo titulo 'Cum ad instruendam rei . . .'; fol. 14^{v} (lib. II, 9): 'DVO CAPITVLA SVNT REQVIRENDA'; ea igitur in libro IV extremo reperiuntur, sed ibi ut mox in G falsis capitum numeris signantur. Finitur opus fol. 25^{v}; pars folii 25^{v} et folium 26 uacant; in summa parte folii 26^{v} legitur subscriptio: 'Iulii Frontini strategematon liber quartus explicit. Incipit Breuiarium Eutropii'. — Verba librarius ferme recte scripsit, ut perraro 'e' cum 'ae' (maetu,

*) Cf. 'Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues' auctore Iosepho Klein (Berolini 1866), pp. 5—6 et 87—91, ex quo libro quae de hoc codice protuli assumpsi.

aequites, — hec), uel 't' cum 'c' (Portius) confusas, aliaque inuenias. — Hunc codicem iam contulerat Fridericus Haase*); collationem quarti libri diligentissime curatam accepi a uiro doctissimo Aemilio Chatelain Parisiensi, qui studiis meis summa cum benignitate hanc operam nauauit.

5) G = codex Gudianus 16, in bibl. Guelferbytana asseruatus, in fol. maiore 'anno 1332 manu Bricii Briton. clerici exaratus, cohaesit enim olim cum cod. Gud. 15 ab illo librario scripto'**). Constat foliis pergamenis 30, singulae paginae lineis in altitudinem quaternis, binis in latitudinem plumbo leuiter ductis in duas diuisae sunt columnas, quarum utraque 35 uersus habet, qui ipsi in lineis transuersis nituntur. In margine externo tria intercolumnia lineis definiuntur, quorum id quod textui proximum est, emendationes primae et secundae manus continet, in medio paragraphorum signa inscripta sunt, in extremo hic illic notae tertiae manus conspiciuntur. — Fol. 1^{r} in margine summo titulus rubro colore: 'Sexti Julii frōtini strategematō lib· p̂m^{9} ĩcipit.' — Textus diligenter et nitide ductu gotico exaratus compendiis ut ita dicam scatet; liquor quo librarius utebatur nunc fuscus apparet; tituli omnes librorum capitumque rubro colore eodemque ductu picti sunt, sed in praefationibus indices atramento scribuntur, numeris rubris postpositis et signis ℱ (alternatim rubris ceruleisue) praepositis. Princeps cuiusque libri littera albo caeruleo rubro colore pulcherrime picta atque excepto quarto libro exornata auro est. Capitum initiales rubro caeruleoue colore membranae illitae lineolis caeruleis aut rubris magna arte ductis excellunt. Titulis numerorum signa addi solent; sed, cum libri IV caput quintum suo numero notetur, reliqua mox ita numerari pergunt 'De effectu et disciplina. IIII.' sqq. 'Que facienda sunt pro . . . VIII.' (= lib. II, 12) — fol. 17^{v} (= lib. II, 9) in margine a tertia manu haec notata sunt: 'hic deficiũt duo capta seu due rubrice itẽ hic ĩ isto titulo duo capta sed uide eas ĩ fine huius libri in libro IIII.°' iam reliquiae capitis XII suo titulo inscriptae numerantur caput X, atque quod sequitur, inscribitur 'De effugiendo. XI'. — Fol. 30^{r} col. 2 subscriptio exstat: '~~Lyber~~ (*in marg:* S. Iulii *man.* 2) Frontini Strategematon Lyber quartus explicit'. — Ipse librarius complura in textu erasit atque correxit; altera autem manus, eiusdem certe aetatis, totum librum cum eo

*) Cf. Mus. Rhen. XII p. 312.

**) Cf. F. A. Ebert, bibliothecae Guelferbytanae codices graeci et latini classici (Lipsiae 1827) pag. 73.

unde erat descriptus contulit ductuque simillimo multa et in textu et in margine correxit. Tertia manus saeculi XV cineraceo liquore imprimis in priore libri parte supra uersus et in margine emendationes adscripsit, quae ex codice Vossiano F 59 Leidensi uel ex aliquo ei simillimo haustae sunt. Praeter has etiam aliae manus in margine occurrunt, quae nullius momenti sunt: e quibus una ubi exemplum fusius narratum deprehendisset adnotauit: fol. 1^{v} (= lib. I, 1, 4) 'Titus liui^{9} ab urbe condita libro primo circa finem per duo folia' — fol. 5^{v} (= lib. I, 8, 1) 'titus liuius ab urbe condita libro secundo circa medium li.' — fol. 12^{v} (= lib. II, 5, 1) 'titus liuius ab urbe condita libro primo circa inicium per sex folia'. — Collationem huius codicis ab Ioh. Chr. Wolfio leuius factam adhibuit Oudendorpius; officiosa cura bibl. Guelferb. praefecti de Heinemann translatum eum in bibl. Ienensem ipse excussi.

2. Classis λ.

6) B = cod. Harleianus no. 2729 in Museo Brit. seruatus, saeculi XII teste Eduardo Sievers, secundum catalogum saeculi X. — Numerantur folia 109 membranacea, quorum 2—50 strategemata Frontini, 51—109 breuiarium Eutropii continent. Folium 1 deperditum est; fol. 2^{r} incipit a uerbis 'cum hoc opus sicut cetera . . .' (= lib. I praef.). Post lib. II. cap. 9 in margine ab alia manu haec adscripta sunt 'hic deest totum caput decimum et 11^{m} et maior pars capitis duodecimi' et exemplis 3 et 4 capitis XII titulus datus est 'capitis 12^{mi} reliquiae'. Capiti X libri II, quod cum capp. XI et XII § 1—2 in fine operis occurrit, titulus deest et in margine manus saec. XVII rubro liquore adscripsit 'hec plura exhibet . . . r^{9} [Petrus?] Scriueri^{9} qui cum aliis rei bellici scriptori Frontinū post Stewechiū et fr. Modiū Lugduni-Batauorum an. 1607 edidit'. — De aetate huius codicis et Harleiani 2666 (= *A*) Eduardus Sievers cum Londini uersaretur, benigne me edocuit. Contulit Walter Giles.

7) O = cod. Oxoniensis, in collegio Lincolniensi asseruatus et no. 100 signatus, membr., formae minoris, saeculo XII binis columnis exaratus, continet foliis 93 Vegetium, Frontinum, Eutropium. Fol. 34^{v} 'Incipit iulii frontini de exemplis rei militaris. Lib. I'. Post librum II extremum in margine haec adnotata sunt: 'capitula quae hic desunt in fine quarti libri inuenies p̃t^{7} illud De effugiendo qd̃ nusquam est' (immo caput XIII 'de effugiendo' integrum suo loco extat). Fol. 69^{r} 'Expt̃. liber. IIII. Iulii Frontini.

Inciꝑ liber. I. Breuiarii Eutropii de rebus Romanis'. Librorum capitumque tituli rubris litteris uncialibus scripti sunt, itemque exemplorum initiales plurimae. Folium unum (65?) periit, ita ut uerba IV, 5, 7 'fusis ad Cannas' usque ad IV, 6, 3 'dixitque ei' in codice desiderentur. Uidetur liber non ab una manu exaratus esse, nam scriptura post istum hiatum maior apparet atque minus compendiis impedita quam antea. Praeter ea, quae ipse librarius correxit, alia multa exstant, quae posterior manus ex codice interpolato uel proprio Marte emendauit; eadem textum interpunctionis signis passim instruxit: noscitur litteris flauentibus. — Contulit Walter Giles. — Orthographica et manifestos errores librorum DGBO fere omisi.

B. Codices qui raro aut omnino non adhibiti sunt.

8) Cod. Monacensis no. 5321 chartaceus saeculi XV., fol. 324. — Fol. 1^{r} 'Blondi flauii forliuiensis uiri eruditissimi triumphantis Romae liber primus de religione urbis ad Sanctissimum Papam Pyum Secundum ffeliciter. z. Prologus'. — Fol. 277^{r} 'Incipit Iulius frontinus strategematon De instructione bellorum liber primus'. — Fol. 323^{v} 'Et sic est finis pro quo laudatur deus in ymis. Expliciunt quatuor libri Iulii frontini Strategematon de instructione bellorum'. Spatio relicto ab eodem librario haec subiciuntur: 'In primo libro erunt exempla que competant prelio nondum commisso. In secundo que ad prelium et confectam pacacionem pertineant Tercius inferende soluendeque obsidionis habebit strategemata'. Quibus capitum index quattuor librorum adnectitur. — Liber sine ulla arte scriptus fluxit ex gemino codicis G, sed ualde interpolatus est. — Post singula exempla, nonnumquam etiam media in narratione leguntur nomina scriptorum Romanorum, rubro colore exarata: Titus liuius, Salustius, Quintus curcius, Iustinus, Orosius anneus florus (ita haec nomina semper coniuncta citantur), Eusipus (sic! sed solum II, 1, 16—17), Iulius Celsus. Leguntur igitur lib. I, 1 post §§ 1 et 2 'Titus liui^{9} 2^{a} decade', post § 3 'Titus liuius prima decade', post §§ 4 et 5 'Iulius celsus'*), post § 6 'Orosius anneus florus', post § 9 'Titus liuius 3^{a} decade', post § 10 'Iustinus li^{o}'. — Hic index fontium nimirum ab homine

*) Hoc nomen cum iuxta Caesaris exempla maxime collocatum appareat, Iulii Celsi uidetur uel potius Francisci Petrarcae 'historia Caesaris' intellegenda.

docto saeculi XIV vel XV compositus est. — Post Georgium Thomas Onoldinum (a. 1844) ipse hunc codicem Halmii V. Cl. humanitate Ienam transmissum contuli.

9) Cod. Leidensis no. 128 bibliothecae Leidensis, membr. in folio min., saec. XV. constat foliis 100, quorum 98 tantum numeris signata sunt. Fol. 1^{r} 'Incipit Vegescius de re militari'. Fol. 54^{v} 'Explicit IIII. Elauius Eutropius emendaui sine exemplario constantinopolim consulatu ualentiniani augusti. Explicit deo grãs'. Fol. 55^{r} 'Iulii frontini strategematon lib' incip^{t} p̂m9'. Fol. 98^{v} (proprie 100^{v}) 'Iulii frontini strategematon liber explicit. Deo grãs'. Liber una columna ab eodem librario diligenter, sed scriptura crassiore exaratus est. Capitum tituli omnes atramento in margine adscripti exstant. Fluxit liber ex apographo aliquo Oxoniensis, quod nonnullis locis interpolatum erat. Oudendorpius, qui eum uocat 'Leidensem primum', lectiones eius non semper accurate adnotatas pluris aestimauit. Eximia Leidensis bibliothecae praefecti Du Rieu beneuolentia mihi contigit, ut hic codex et ceteri tres Leidenses Ienam transmitterentur ibique duos menses remanerent.

10) Codex Vossianus Latinus F 59 (apud Oudendorpium 'Leidensis secundus') in bibl. Leidensi asseruatus, membranac. in folio, binis columnis ductu gotico saec. XIV exeunte exaratus. Fol. 1^{r} in margine summo: 'Ce Manuscrit appartient à Mr de Ualauez'. Titulus: 'Sexti Iulii frontini stragematõ liber primus Incipit'. Lib. II capp. X, XI, XII §§ 1—2 suo loco reperiuntur. Fol. 45^{r}: '. . . uicti sunt: deo grãs. Iulii frontini de re militari liber explicit deo gracias'. Fol. 46^{r}: 'Incipit Tullius de re militari' et in margine a manu recentissima 'in aliis codicibus inscribitur Modesti Libellus de uocabulis rei militaris ad Tacitum'. Folia 51 et 52 chartacea notis Holstenii ad codices Vegetianos pertinentibus repleta sunt. Fol. 53^{r} (membr.) 'flauii uegetii renati uiri illustris comitis ecolii epitoma rei militaris libri numero quinque incipiunt. Primus liber'. Fol. 99^{v} 'Explicit tractatus uegetii de re militari. Incipit quidam alius tractatus de re militari excerptus a secretis secretorum aristotelis'. Fol. 103^{r}: 'finito libro sit laus et gloria $\overline{\text{xpo}}$'. Nonnullis in foliis scriptura inuersa conspicitur, quae ita uidetur orta, ut liquore nondum sicco membrana altera superponeretur alteri. Liber ab ingenioso homine emendationibus refertus, sed perquam neglegenter scriptus est.

11) Codex Burmanni Q 4, in bibl. Leidensi seruatus, membranac. foliorum 52 quaternariorum, certe saeculo XV exaratus,

etsi scriptura formam prae se fert antiquiorem. Fol. 1^{r} Scriuerius inscripsit: 'IVL FRONTINI Strategematω̃ν lib. IV'. Fol. 3^{r} 'Iulii frõtini ĩ strategemata pręfatio' — dimidium paginae uacuum relictum et pulcherrime picturis ornatum est. In margine imo: 'Petri Burmanni Secundi'. Subscribitur codex 'Iulii frontini liber ·IIII· Strategematicon explicit'. Tum sequitur a recenti manu additum nomen nisi fallor possessoris 'G^{m} Arbaleste'. Librarius maxima diligentia librum descripsit summaque arte exornauit. Altera manus in margine nomina scriptorum (eadem atque in cod. Monac. no. 5321) adscripsit atque intra uersus pauca correxit. A recenti manu, Scriuerii puto, hic illic ad uerba lineolis subducta emendationes in margine adiectae sunt. In margine imo tituli capitum, quasi index continuus, tenuissimis litteris inscripti sunt. Conspirat hic accuratissime cum eo codice Hillensbergii, quo Oudendorpius usus est, saepius etiam cum Monacensi 5321.

12) Codex Perizonianus ('ex legato Perizoniano') F 17 in folio maiore (apud Oudendorpium 'Leidensis tertius'). Frontiniana huius codicis saèculo XV conscripta sunt.*) Fol. 21^{r} 'Incipiunt capitula libri qui uocatur sextus frontonius in quo tractantur q̃dã ualde utilia et necessaria ad opus bellicum'. Fol. 32^{v} 'Sextus Frontonii liber explicit'. Sunt 46 exempla excerpta ex strategematibus, sermone barbaro ab homine inepto composita ac ne aspectu quidem digna. Fol. 33 'Incipiunt uocabula rariora super frontoneo de re bellica', fol. 37 'Incipit tabula frontonii de re militari in qua nomina et uerba atque quaedam dictiones secundum ordinem alphabeti collocantur' sqq. (e. g. 'ilico ·ϟ· statim, papauer secũdũ uirgilium est herba languentibus soporem faciens'). Utraque tabula sine ullo pretio est. Tum fol. 41—62 ab altera eiusdem aetatis manu sequuntur eadem Frontiniana.

13) Codex Regius XII C 21 in Museo Brit. asseruatus, chartac., foliorum 62 in quarto minore, saec. XV. — Fol. 1 'De re militari li. ·I· incipit liber frontini, sequitur primo prologus'. — Fol. 61 'Explicit liber frontini dere militari foeliciter scriptus per Iohannem Stagnensem de florentia sub anno. MCCCCLVIII. die prima Iulii Bononiae. Laus deo omnipotenti'. Liber nitide ac sine rasuris scriptus, sed nomina propria misere mutilata sunt neque raro factum est ut librarius complura uerba, quia non intellexit, lacuna relicta omitteret. Contulit Walter Giles.

---

*) De reliquis quae insunt cf. Flauii Vegeti Renati epitoma rei militaris, rec. Carolus Lang (Lipsiae 1869) pag. XXVII.

14) Codex Burneianus no. 173 in Mus. Brit. asseruatus, chartac. in quarto, saec. XV. Numerantur paginae 152. Pag. 1 'Sexti Iulii Frontini STRATEGEMATon liber primus incipit'. Capp. X, XI, XII §§ 1—2 libri secundi in suum locum restituta sunt. Subscribitur codex 'Finis ãõ MCCCC61 die. XIII. Februarii. petrus leo Ortinus scripsit. Qui me furatur in tribus lignis suspendatur. Deo gratias'. Compendia scripturae habet perpauca, sed interpunctionis signis ferme distinctus est. Nonnullae ei lectiones ex codice aliquo generis α iniectae sunt, sed ita ut fructum inde percipere non liceat. Cum hoc ea quae Oudendorpius ex codice quodam Palatino attulit mire consentiunt. Contulit Walter Giles.

15) Codex Egerton no. 1867, in Museo Brit. seruatus, 107 fol. membr. in 8°, saec. XV. — Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Stratagematon liber primus feliciter incipit'. — Fol. 98: 'Don Lope de Urrea a su muy preciado amigo don Lope'. Tum sequitur oratio Isocratis ad Nicoclem latine uersa, praemissa interpretis epistula: 'Laurentii Lippi Florentini in Lupum Ximenium Urream, illustrem regni Siciliae proregem, in Isocratem de regni gubernatione prefatio feliciter incipit . . .'. — Collationem huius codicis perquam uilis Gustauus Masson publici iuris fecit.*)

16) Escorialensis O II 5 (olim 27. 7 signatus) membranac. in folio, binis columnis saec. XIV ineunte exaratus, 63 foliorum, initio mutilus. Fol. 45ᵃʳ rubris litteris: 'Sexti Iulii frontini state gematicon. lib̃ .ȷ. Incip̃ ꝛ ꝯtinꝛ exᵃ q̄ spectant p̄lio n̄dū ꝯmisso scd's q̄ ad p̄liū etiam ꝯfectā pagat'oeꝫ ꝑtineāt Tercius q̄ ad ĩferãdã et soluendã obsidionem ual'āt.

Incipit ꝑlegus [sic!] seq̄tis opis.

Cum ad instruendam' . . . — Fol. 63ʳ B: . . . 'et nauali et pedestri p̃lio uicti sunt. Explicit deo grãs. Amen'. Illa igitur capita libri secundi in suum locum restituta sunt. Liber ab homine indocto scriptus nullius pretii est.

17) Escorialensis O III 9 (olim signatus 28. 15 et π 39) membr. in 8°, saec. XIII ineuntis, 116 foliorum, 2 col. — Fol. 81ᵛ maiusculis: 'Sexti lutii frontini strategematon liber ·I· incipit. prefacio incipit' — minusculis: 'Cum ad instruendam' . . . — Fol. 115ᵛ A: . . . 'eodem die et nauali et pedestri p̃lio uicti s̃t. (maiusculis:) Iulii frontini strategematon liber quartus explicit'. Capita libri II restituta sunt. Codex interpolatus est.

*) Cf. Revue Archéologique: XIX 447—451, XX 116—119, XXI 19—22 (a. 1869—1870).

18) Escorialensis*) Q I 10 (olim signatus 17. 14 et π 70) membr. in folio, 1 col., saec. XV, 81 foliorum. — Folium tertium (a quo strategemata incipiunt) saeculo XVI suppletum est; fol. 4r ‘ent non argui crędamus’ sqq. (= praefatio libri I). Fol. 81r . . . ‘et nauali et pedestri prelio uicti sunt. (tum rubris maiusculis:) ΤΈΛΟϹ. iulii frontini de re militari liber quartus et ultimus finiit. :· ∼’. Capita libri secundi restituta sunt. Posteriori inuolucro primum folium codicis saec. XV membr. 2° agglutinatum est, quod sic incipit: ‘um ad instruendam rei militaris scientiam unus ex numero studiosorum eius accesserim eique destinatio quantum cura nostra’....

19) Escorialensis*) N II 20 (olim signatus 22. 14 et π 4) 2° membr., binis col. saec. XIV, 173 foliorum. Fol. 131r a: ‘Iulii Frontini strategematon liber primus incipit. Cum ad . . .’ accuratissime cum Leidensi no. 128 conspirat.

20) Escorialensis*) G III 8 (olim signatus IV. 1. 17 et IV F 6) 4° membr., saec. XIV, 48 foliorum. Fol. 1r: ‘Sexti iulii frontini strategematon. Cum ad instruendum’. . . . fol. 48v: . . . ‘et nauali et pedestri p̃lio uicti sunt. Amen deo gr̃as’. Manus saec. XV addidit: ‘Explicit Iulius Frontinus’. Multa in margine a manu saec. XV adnotata, capita libri II item restituta sunt. Quae de his codicibus Escorialensibus disserui, ea debeo Gustauo Loewe, qui summa cum beneuolentia et comitate specimina eorum mihi misit, e quibus sperni posse omnes satis apparet.

De libris 21—44 iam enumerandis quae profero omnia desumpsi ex schedis Gulielmi Du Rieu. Is enim qua est eximia humanitate, ubi de hoc studio meo audiuit, quae de strategematon codicibus collegerat una cum excerptis ultro ad me misit: pro quo beneficio summam ei ago et semper habebo gratiam.

21) Vaticanus lat. 3408 (Fulv. Urs. 108), 8° membr. saec. XV, foliorum 74. — Fol. 1r: ‘Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber primus incipt feliciter. Prologus. Cum ad instruendam’ . . . — Subscribitur codici: ‘Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber quartus explicit feliciter. (Tum ab eadem manu:) Hic Frontinus est Iohannis Tuscanellae et Amicorum’. Scriptus est nigris litteris uulgo obuiis in codicibus Mediceis. Pauca occurrunt compendia. Altera manus quae prima omiserat suppleuit et simul emendationes adscripsit. Tertia autem, multo recentior, quam Panormitae manum esse credunt, altero codice collato plura cor-

*) Cf. Gustauus Haenel, Catalogus librorum mss. qui in bibliothecis Galliae cet. asseruantur. Lipsiae 1830. pag. 950.

rexit, quae maxime consentiunt cum Mediceis 53. 12 et 45. 15. — Totum examinauit Du Rieu, ut ex hoc uno uilitatem cognoscere possis multorum. Fluxit enim cum Leidensi Voss. F 59, Burneiano 173, Reg. XII C 21, aliis ex eodem libro interpolato: quem qui exarauit, IV, 1, 8 pro 'Theagenes' correxit 'Theogenes' (fortasse ex Polyaen. V, 28, 1 Θέογνις) — IV, 1, 14 pro 'mappalia' scripsit 'in apulia' — IV, 1, 24 ex codicum lectione 'serinum' vel 'seruium' finxit 'firmum' aliaque multa mutauit. In quibus qui Vaticanum 3408 tractauerunt ita non acquieuerunt, ut ex aliis codicibus uel de suo eiusmodi ineptias interpolarent: lib. IV praef.: 'sicut antea' — IV, 5, 10 'erant' post 'superiora' — IV, 5, 14: 'auem occidit qua occisa' — IV, 6, 2 'pedestri' post 'cursu ipse' — IV, 7, 7 'adiecit' post 'terrendique hostis causa' atque eiusdem generis innumerabilia. Scilicet non desunt quae bene isti emendauerint, uelut IV, 1, 33 'ter dato' pro codicum scriptura 'tardato' — IV, 7, 8 'uarianam' pro 'ualerianam'. — Neque pauca eidem propter inscitiam corruperunt: litterarum graecarum quia ignari erant, alii lib. I praef. uerba 'strategematicon et strategematon' graece exarata omiserunt, alii ex eis finxerunt 'ut parent graciam' vel 'et patent graciam'. — Huius generis ineptiae, quarum officina in Italia, fortasse Florentiae, uidetur fuisse, adeo mox plurimos strategematon codices occupauerunt, ut uix ullum recentiore aetate scriptum inuenias purum atque integrum. — Quae postea correcta sunt, cuncta una nota 'man. 2' indicaui. Excerpta eius, quibus Oudendorpius usus est — errore ab illo in praefatione Vatic. no. 5408 signatur —, minus diligenter aut facta aut relata sunt.

22) Cod. Vaticanus lat. 2193 membr. in folio maiore, saec. XIV, fol. 156. — Continet Apuleii opera, Frontini strategemata, Vegetii epitomam, Palladii Rutilii Tauri Aemiliani de re rustica libros cum indice locupletissimo; deinde ab alia manu Ciceronis orationes pro Marcello et pro Ligario; denique in folio ultimo (156) obseruationes quasdam de agricultura uel potius notata quaedam de cultura horti S. Ambrosii, qui est Mediolani annis 1329, 1340, 1343, 1349, 1359 a diuersis manibus scripta. Liber binis columnis ductu gotici simili exaratus est; compendia frequentissima sunt. Cuiusque operis littera initialis eleganter picta est: conspicitur Apuleii effigies, depictus inuenitur Frontinus sedens, in Vegetii opere eques more medii aevi armatus cet. fol. 85: 'Sexti Iulii Frontini Stractegematicon prologus primi libri incipit'. Fol. 101: 'Sexti Iulii Frontini Stractegematicon liber quartus et ultimus explicit feliciter'. In praefationibus librorum desunt indices

capitum. Altera quae inuenitur manus hunc librum cum Vaticano 3408 uidetur contulisse et alterum ex altero correxisse. Totum eum excussit Du Rieu.

23) Vaticanus lat. 4494 membranaceus saec. XV. Continet fol. 1—45 Vegetium, fol. 46—85 Frontini strategemata. Fol. 46: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris liber'; fol. 85: 'Deo grãs. Sexti Iulii Frontini de re militari liber explicit'. Compendia in codice nitide scripto crebra reperiuntur. Praefatio libri tertii omittitur.

24) Vaticanus lat. 4495 membr. saec. XV. — Strategematon libris (fol. 1—45) tituli et subscriptiones desunt. Excipiunt eos Plutarchi apophthegmata ad Traianum imp. latine reddita*), praeeunte praefatione ad optimum principem nomine non appellatum: cuius operis titulus quamquam non exstat, tamen aliquid lucis inde affulget, quod princeps dicitur nuper liberasse et amplificasse maximos et potentissimos reges et duces, quos memorabili inauditaque uictoria maritimi unius ac terrestris proelii Caietani captiuos habuisset. Transtulit ea fortasse Franciscus Philelphus, qui epistulam ad Ludouicum Mariam Sfortiam ducem Mediolanensium a. 1481 praemisit.

25) Vaticanus lat. 4496 chartaceus, saec. XV exeuntis. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon liber primus feliciter incipit'. Pars illa libri secundi in hoc codice nondum in suum locum redacta est. Fol. 45: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon liber quartus explicit feliciter. — Telos —

Dux fuit hic clarus Sextus Frontinus in armis
Inscriptum titulo quem breuiore legis.
Quod si operam dederis studioso pectore lector
Ingenio poterit quam profuisse tuo.
Hadriani felix decessit tempore diui
Formię et emeritum cum tenuere senem'.

Strategemata sequuntur Vibii Sequestris de fluminibus, fontibus, lacubus cet. libellus; Leonardi Aretini de re militari liber; Aeliani opus de instruendis aciebus ex graeco in latinum conuersum a Theodoro Gaza Thessalonicensi, praemissa praefatione ad Antonium Panormitam, Alfonsi regis praeceptorem.

26) Vaticanus lat. Palatinus 1556 membranaceus saec. XV exeuntis. Fol. 1: 'Angelus Roscius Reatinus suo et amicorum

*) Cf. S. F. W. Hoffmann, Bibliographisches Lexicon der gesammten Literatur der Griechen (Lipsiae 1845) III pag. 203.

commodo quae ipse a Fabio Io. Bap^{ta} q$\overline{\text{ꝫ}}$ fratribus accepi 1556'. Praeter Frontini strategemata inest 'Plinii secundi de uiris illustribus' libellus. Codex ab eadem manu neglegenti atque Vaticanus 4496 exaratus est.

27) Vaticanus Palatinus lat. 1563 chartac. saec. XV. — Folia 1—95 continent Vitruuii libros; fol. 96: 'Sexti Iullii Frontini Strategematicon liber incip^{t} feliciter'. Lib. II, 5, §§ 19—43 desiderantur. Fol. 131: 'Sexti Iulii Frontini Rei militaris Strategematicon'. Is codex cuius excerptis a Grutero anno 1598 factis Oudendorpius usus est inter Palatinos Vaticanae non reperitur; immo conferas quae ad cod. no. 14 dixi. —

28) Vaticanus lat. 7227, membranaceus saec. XIV. — Fol. 1 litteris rubris: 'Gasparis Volaterrani Acolythi apostolici et secretarii diui pr$\overline{\text{is}}$ Bessarionis Car. E$\overline{\text{pi}}$ Tusculani Legati Bono$\overline{\text{n}}$. liber iste exsistit emptus Bo$\overline{\text{n}}$. aureis duobus. Tertio Idus Iun. MCCCCLI'. Codex cum diligentia littera gallica scriptus continet fol. 1—37 opus Vegetii; fol. 38: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber incipit'. Fol. 65: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon liber explicit'.

29) Vaticanus Urbinas 1160 membranaceus saeculi XV. — Fol. 1^{v} pulcherrime ornatum est: index enim libri 'In hoc codice continentur Stratagemata Frontini et Vegetii de re militari' auro depictus et corona e lauro conecta ornamentisque cinctus conspicitur. Fol. 2: 'Incipiunt Stratagemata Frontini de re militari'. Fol. 64: 'Telωc. Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon'. Maxime conspirat cum Vaticanis 4494, 4495, (Palat.) 1563. — Florentiae exaratus est, summa adhibita cura et diligentia: initiales eximie pictae sunt, titulum librarius angelis, auibus aliisque picturis ornauit; in margine stemma Urbinatium domus splendet, quod efficitur columnis transuersis aureis caeruleisque uicissim, in quarum prima aquila aurea nigraque uolans appicta est.

30) Vaticanus Reginae 812 (Bourdelot no. 272. 1656) membr. 'Anno 1487 die 15 m. martii apud Urbem Neapoli$\overline{\text{ı}}$ scripsit j. ditt$\overline{\text{u}}$ Cormilli'. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Artis militaris liber incipit'. Fol. 47: 'Telos'. Praeterea in hoc libro inueniuntur sex sententiae ex Liuio, Tullio, Isidoro excerptae.

31) Vaticanus Reginae 1782, chartaceus saec. XV. Fol. 1: 'Iulii Frontini Strategematicon liber incipit'. Fol. 93: 'Finis'. Post strategemata leguntur Sallustii libri de Catilinae coniuratione et de bello Iugurthino, a diuersis manibus scripti.

32) Ambrosianus B 63 sup., non saeculi XIII, ut scripsit auctor catalogi recentioris, sed saec. XV, quod colligitur ex scriptura haud ita diligenti, colore tituli, imagine principi litterae codicis appicta. Huc accedit quod in margine stemma, quod postea deletum est, duo angeli tenent quales saeculo XV pingebantur. Titulus: 'Sexti Iulii Frontini Stratagicmathicon incipit prologus'. Subscriptio: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon liber explicit'. In margine et intra uersus passim apparent glossae recentiores ac nullius momenti.

33) Ambrosianus B 161 sup., chartac., saeculo XV littera italica exaratus; fuit 'S. Mariae Coronatae Mediol. Ill.'; patres religiosissimi Card. Frid. Borromaeo, bibl. Ambros. conditori, eum tradiderunt a. 1601. — Continet Aristotelis rhetoricam, Plutarchi apophthegmata in latinum conuersa, Frontini strategemata (titulus: 'Sexti Iulii Frontini Renati stratagematon lib. primus incipit'), Sicconis Polentoni exemplorum librum.

34) Patauinus B 47 in bibliotheca eccl. capitul., membr. saec. XIV—XV, ductu gotico exaratus. Maius, cum eum laudaret tamquam uetustissimum, lapsus est.

35) Mediceus*) plutei LIII no. 12, membranaceus, anno 1405 binis columnis scriptus. Collationem eius adhibuit Oudendorpius (= 'Mediceus primus').

36) Mediceus*) plutei XLV no. 20, membranaceus saec. XV, eleganter scriptus. Uterque Mediceus nullius pretii est.

37) Venetus no. CCCLXX . XV membr., scriptus a. 1453 litteris cursiuis; insunt Florus, Dictys Cretensis, Frontinus.

38) Venetus XIV no. CXXX. chartac. saec. XVI. Insunt opera Leonardi Bruni Aretini, Isidori, Petrarchae, Brunonis Astensis, Vegetii, Frontini.

39) Bernensis**) 438, partim membr. partim chartaceus saec. XV; fuit Iacobi Bongarsii Bodnaei. Fol. 1—109 Ciceronis Tusculanae; fol. 109—167 Frontini strategemata (tituli desunt). Eius libri collationem diligentissime confectam a Bremio possedit Fridericus Haase.

40) Bernensis**) 400, membranaceus saec. XV; fuit P. Danielis Aurelii; Fol. 1: 'Iulii Frontini stratagematon liber primus. Incipit'. Fol. 46 opus finitur.

41) Sangallensis 1329, chartaceus, scriptus Mediolani a.

*) Cf. Bandini, Catalogus codicum mss. bibliothecae Mediceae Laurentianae.

**) Cf. Hagen, Catalogus codicum Bernensium.

1448 in usum Gasparis Garimberti. — Ex dono D. Abrahami Iacobi Lutz a. 1792. — Titulus: 'Sexti Iulii Frontini Renati Stratagematon primus liber incipit feliciter'. — Examinauit eum a. 1849 G. M. Thomas, professor Monacensis.

42) Vindobonensis 3095*) (in catalogo no. 261), chartac. saec. XV exeunt. — Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Stratagematon li. prim^{9} incip^{t}'. Fol. 54: 'Explicit liber Frontini de re militari'.

43) Vindobonensis 3191**) (in catalogo no. 262) chartac. saec. XV. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini stratagematon liber, latine de re militari incipit'. Fol. 40: 'Nomina eorum qui gesserunt et nomina eorum aduersus quos gesta sunt bella'. Sequitur deinde index ducum. Fallitur Endlicher, cum nullam operis in libros diuisionem esse in catalogo dicat; nam in libros diuisum est opus, etiamsi tituli desunt.

44) Pragensis VIII H no. 25 in bibl. Uniuers. Clementinae, membr., saec. XIV (pars prior quae Valerium Max. continet, saec. XV), binis columnis scriptus. Insunt Valerius Maximus, Frontinus, Dares Phrygius. Fol. 147: 'Iulii Frontini Strategematon liber primus incipit de re militari'. Fol. 189: 'Iulii Frontini Stratagematon liber $\overline{\text{q}}^{9}$ explicit de re militari'.

C. Codices qui post Oudendorpium non excussi aut nondum examinati sunt.

45) Mediceus plut. XLV cod. 21 (cf. Bandini l. l.) membr. 4. saec. XV. Fol. 1—76: Vegetius de re militari. — Fol. 77—149 'Frontinus de re militari'.

46) Mediceus plut. XLV cod. 17 (cf. Bandini l. l.) membr. 4. saec. XV. Constat foliis scriptis 50. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon rei militaris libri quattuor'. Subscribitur codex: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon rei militaris libri IV et ultimi finis VIII Ianuarii 1459 Neapoli'. Contulit hunc librum interpolatum a. 1728 M. A. Biscionius in usum Oudendorpii, qui falso eum in praefatione plut. 45 no. 15 signat.

47) Mediceus, bibl. Leopoldinae Strozzianae no. LXVI. membr. in 8^{0}, scriptus a. 1464, foliorum 86: Frontini strategematon libri IV. (Cf. Bandini l. l.)

48) Cod. Parisinus ('du fonds latin') 13955 saec. X f. 130^{v}

*) Cf. Endlicher, catalogus codd. mss. bibl. Palatinae Vindobonensis I sub no. CCLXI.

**) Cf. Endlicher l. l. sub no. CCLXII.

nonnulla e Iulio Frontino continet. (Cf. Delisle, Inventaire des mss. de S. Germain-des-Prés p. 123).

49) Parisinus no. 5802 (cf. Catalogus codicum mss. bibliothecae regiae Parisiensis, IV vol. Paris. 1729—1744) membranac., uidetur saeculo XIII exaratus; insunt Suetonius, Ausonius, Florus, Frontinus, Eutropius, Ciceronis Philipp. et Tuscul.

50) Parisinus 6106, scriptus a. 1435: Caesar, Frontinus, Vegetius.

51) Parisinus 7241, membr. saec. XIV, Frontinns.

52) Parisinus 7242, saec. XIV, Frontinus, Vegetius.

53) Parisinus 7243, saec. XIV, Frontinus, Vegetius.

54) Parisinus 7244, saec. XIV, Frontinus, Quintiliani decl.

55) Parisinus 7245, saec. XV, Frontinus.

56) Parisinus 7388, scriptus a. 1370, Frontinus.

57) Parisinus 7389, saec. XV, Frontinus.

58) Parisinus 7390, saec. XV, Frontinus.

59) Middlehillensis (cf. Haenel, l. l. p. 895) chartac. in folio, saec. XIV: Frontinus de aquae ductibus, eiusdem strategemata, Isidori Hisp. chronicon, alia.

60) Harleianus 4921 in Mus. Brit., membr., scriptus a. 1463: Frontini strategematon libri IV.

61) Harleianus 5221 in Mus. Brit., membr. foliorum 102, saec. XV: Sexti Iulii Frontini de re militari libri IV.

62) Cantabrigiensis, in bibliotheca publica Mm II 18 signatus, saec. XIV, continet Frontini strategemata fol. 115^{r}—130^{v}. — De hoc et ceteris codicibus Cantabrig. summa cum humanitate me edocuit Guilelmus Wright, professor Cantabr. — Apud Oudendorpium 'Cantabrigiensis secundus'.

63) Cantabrigiensis, in collegio S. Ioannis servatus, D. 22, saec. XIV. — Apud Oudend. 'Cantabr. tertius'.

64) Cantabrigiensis, in collegio S. Petri servatus 2. O. O., saec. XV.

65) Cantabrigiensis, in collegio S. Petri servatus, 2. 5. 3. saec. XIV. — Collatio codicis 'Petrensis' qua Oudendorpius usus est, utrum ad hunc an ad illum pertineat nescio; perquam interpolatum eum esse omnis paene lectio in apparatu illius allata testatur. Ceteri quoque Cantabrigienses, quos Oudendorpius adhibuit, deteriores sunt.

66) Cantabrigiensis, in collegio S. Trinitatis seruatus (Gale ms.) O. 3. 28, saec. XV.

67) Vratislauiensis in bibliotheca urbana no. 10, scrin. I

series 2) chartac., forma maiore, scriptus a. 1474: Aelianus, Vegetius, Frontini stratagemata (sic!). — De codicibus Vratislauiensibus O. Rossbach benigne certiorem me fecit.

68) Vratislauiensis, in bibl. urbana seruatus, no. 79 (scrin. I, series 5), membr., forma quadr., a Nicolao Gualdo saec. XV scriptus: Sexti Iulii Frontini stratagematum (sic!) libri IV.

69) Vratislauiensis, in bibliotheca uniuersit. reg. seruatus, IV, fol. 38a, membr., elegantissime saec. XIV ab una manu scriptus: L. Annaei Flori epitome, S. Rufus, Frontini strategemata.

70) Collatio codicis Posnaniensis in editionis Schwebelianae exemplari inscripta a Friderico Iacob, seruata in bibl. Bonnensi; inerant in eo codice: 'Ruffus, Florus, Frontinus'. (Cf. Klette, codices lat. bibl. Bonn. 1858, no. 166 33 f.).

71) Codex qui seruatur in bibl. Fuerstenbergiensi (in oppido Donaueschingen) no. 19, chartac. fol. 18 in 2^0, saec. XVI: Frontini Strategematicon libri IV.

72) Cod. Salemitanus, chart. saec. XV. Fuit olim 'B. Mariae in Salem', in monasterio quod est prope Constantiam, unde Parisios delatus est. Inde Fridericus Haase emptum eum in taberna libraria in patriam reduxit. — Lib. II c. 9 rubris litteris librarius addidit: 'Nota hic deftm magnū' — recens manus in margine adnotauit capitula quae deficiunt in fine libri descripta esse.

Restat ut Ioannis (Parui) Saresberiensis Policraticum s. de nugis curialium et uestigiis philosophorum libros VIII hoc loco afferam, quippe in quibus multa ex Frontino desumpta legantur. Is magna quam ei attribuit Oudendorpius auctoritate omnino non dignus est: nam et codex seu codices, quibus usus est, a genere deteriore β maximeque classe λ stant (IV, 1, 18 *om.* 'pedites') neque exempla ad uerbum transcripsit, sed ualde mutata refert (cf. IV, 1, 16 'aut si benignius' pro 'aut si leuius' — 1, 36 'addixit securi' pro 'securi percussit' — 2, 4 'fudit' pro 'uicit' — 3, 7 'socios ad coenam uocabat' pro 'ad cenam uocabat' — aliaque multa).

In ea autem quae sequitur quarti libri recensione notis usus sum hisce: Δ = Harleianus 2666; Γ = Gothanus I no. 101; C = Cusanus C 14; D = Parisinus 7240; G = Gudianus 16; B = Harleianus 2729; O = Oxoniensis 100; codd. = $\Delta\Gamma$[C]DGBO; codd. dett. = codices deteriores uel omnes uel plerique, ut Vat. 3408, Vat. 2193, Burneian. 173, Leidenses, alii; Leid. pr. = Leidensis 128; Leid. sec. = Leidensis Voss. F 59; Leid. tert. = Leidensis Burmanni Q. 4.

IULI FRONTINI

STRATEGEMATON LIBER QUARTUS.

Multa lectione conquisitis strategematibus et non exiguo scrupulo digestis, ut promissum trium librorum implerem, si modo impleui, hoc exhibebo ea quae parum apte descriptioni priorum ad speciem alligata subici uidebantur et erant exempla potius strategicon quam strategemata: quae idcirco separaui, quia quamuis clara diuersae tamen erant substantiae: ne, si qui forte in aliqua ex his incidissent, similitudine inducti praetermissa opinarentur. Et sane uelut res residua expediendi fuit, in qua et ipse ordinem per species seruare conabor.

I. De disciplina.
II. De effectu disciplinae.
III. De continentia.
IV. De iustitia.
V. De constantia.
VI. De affectu et moderatione.
VII. De uariis consiliis.

1 Iuli Frontini strategematon liber quartus *scripsi.* IVLI FRONTI. STRATEGE.TICON. LIBER. III. EXPLICIT. INCIP EVSDEM LIB. IIII. FELICITER (*rubro colore, sed* I, INI, S, MA *atramento add. m.* 2) A Iuli (Iulíi G) Frontini strategematicon (strat. *om.* G) liber tertius explicit. Incip eiusdē liber quartus feliciter DG *titulum infra exhibet* Γ *omittunt* CBO 4 promisū Γ 5 hoc] in hoc *Vat. 3408* hic *codd. dett.* aeaque A aperte *Vat. 3408* descriptione *A*Γ discrecioni G 6 et] hec DG 7 strategemate Γ strategematicon *Scriuerius* qua *A* 8 clar& Γ 9 iis DB inducti *Om. 2 et Leid. sec.* indocti *codd.* indocte *uulgo* praetermisa Γ 10 et sanae O et sana DGB uelud Γ ‖ res *addidi duce Oudendorpio* ‖ res,idua O *corr. m. 2* expedienda O in qua sicuti antea et ipse *Vat. 2193* et sane res uelut residua expedienda fuit, in qua sicut antea et ipse *Oudend.* et sane uelut residua expedienda sunt; in quo sicut antea et ipse *uulgo* 11 ordine *A*Γ spicies *A* 12 Incipiunt capita libri. IIII. De disciplina O 13 effecto D 17 affectu *Burnei. 173* effectu *codd.*

I. DE DISCIPLINA.

1. P. Scipio ad Numantiam corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus cotidiana exercitatione militibus, quibus cum frequens iniungeret iter portare conplurium dierum cibaria imperabat, ita ut frigora et imbres pati, uada fluminum pedibus traicere adsuesceret miles, exprobrante subinde imperatore timiditatem et ignauiam, frangente delicatioris usus ac parum necessaria expeditioni uasa: quod maxime notabiliter accidit Gaio Memmio tribuno, cui dixisse traditur Scipio: Mihi paulisper, tibi et rei publicae semper nequam eris.

2. Q. Metellus bello Iugurthino similiter lapsam militum disciplinam pari seueritate restituit, cum insuper prohibuisset alia carne quam assa elixaue milites uti.

3. Pyrrus dilectatori suo fertur dixisse: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

4. L. Paulo et C. Varrone consulibus milites primo iure iurando adacti sunt; antea enim sacramento tantummodo a tribunis rogabantur: ceterum ipsi inter se coniurabant, se fugae atque formidinis causa non abituros neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi feriendiue hostis aut ciuis seruandi causa.

5. Scipio Africanus cum ornatum scutum elegantius cuiusdam

1 IVLI FRONTINI STRATEGEMATICON LIB. IIII. INCIP. DE DISCIPLINA *Γ* DE DISCIPLINA IN MILITES C. Incipit lib· .IIII. P. scipio .... O. 2 Publius *Γ* 3 incenti A 4 cottidiane *Γ* cũmfrequens O 5 iter iniungeret B cõpluriũ A 6 traicere (e *prior ex* i *corr.*) A trahicere D traiecere *ΓO* 7 exprobrantes *Γ* subinde *add. in marg.* B imperatorem *Γ* 8 fragẽte (*corr. m. 2*) delicatoris (e *ex* ic *corr. m. 1*, i *add. m. 2*) A dilicationis *Γ* ãparum A expeditione A expeditionẽ O 9 notabiliter *Leid. sec.* nobiliter *codd.* Gaio] G. *Γ* memmio *AΓ* nemmio DG nãemio (a *semirasa*) O gaio,nẽ mio B 10 mihi paulisper et rei publicae, tibi semper *Oudend. ex Plut. apophth. Scipionis min. 17* tibi *om* D 11 nequaquam BO 12 Quintus *Γ* iugurtino BOG 13 seueritate r. c. insuper *om.* A 14 assae lixaue *Γ* elixaue O quam a se assa elixaue *Scriuerius* 15 Pyrhrus *Γ* Pyrrhus C dilectatori *ΓC* delectatori A delectori DGBO 16 eos] uero *Leid. tert.* 17 Paulo *Schelius ad Polyb. de castris Rom. p. 177, coll. Liv. 22, 35, 3. 38, 1.* flacco *codd.* 18 adacti *Woelfflinus (Herm. uol. IX p. 81) ex Liv. 22, 38* facti *codd.* ante ‖ ea O 19 inter (ter *add. m. 2*) O iurabant *Γ* se] sed *AΓ* 20 habituros *AΓ* 22 affricanus *Γ*CDGBO scitũ A

uidisset, dixit non mirari se, quod tanta cura ornasset, in quo plus praesidii quam in gladio haberet.

6. Philippus cum primum exercitum constitueret, uehiculorum usum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos calones habere permisit, peditibus autem denis singulos, qui molas et funes ferrent: in aestiua exeuntibus triginta dierum farinam collo portare imperauit.

7. C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, uasa et cibaria militis in fasciculos aptata furcis inposuit, sub quibus et habile onus et facilis requies esset: unde et prouerbium tractum est: Muli Mariani.

8. Theagenes Atheniensis cum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum. Deinde clam equites praemisit eosque hostium specie impetum in socios retorquere iussit. Quo facto cum hauebat, tamquam ad hostium occursum praepararentur, permisit ita ordinari aciem, ut quo quis uoluisset loco consisteret: cum inertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, ut quemque inuenerat stantem, ita ad ordines militiae prouexit.

9. Lysander Lacedaemonius egressum uia quendam castigabat: cui dicenti, ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit: Ne speciem quidem rapturi praebeas uolo.

10. Antigonus cum filium suum audisset deuertisse in eius domum, cui tres filiae insignes specie essent, Audio, inquit, fili, anguste habitare te pluribus dominis domum possidentibus: hospitium

1 se] sed C 5 calones *uulgo* lacones *codd.* molas *Γ* 6 in extiua A inaestiuae *Γ* 7 portare *Vat. 2193 et Leid. sec.* portari *codd.* 8 C.] G. O recidendorum (i *ex* e *correcta*) O impedim.] imperatorum *Γ* 9 acme noneratur *Γ* honeratur D militum *uulgo* furtis O honus *AΓ* 11 et in prouerbiũ DO muli *uulgo* multi *codd.* 14 impatũ DG impatum O in] ut G 15 hauebat *scripsi* habebat *AΓDG om.* B *expunxit* O cum quos habebat *Monac. 5321 et Leid. tert.* incursũ *Vat. 3408* 16 praepararentur *om* O ꝑparaentur *Γ* praeparentur A praepararentur D premisit O ordinare *Γ* 17 et cum *Vat. 2193* incertissimus quisquis G se retro A strenui A 18 ro siluissent *Γ* prosiluiss& et ut A 20 Lisander lacedemonius *Γ* egressum A 21 didicenti A 23 ntigonus *Γ* euertisse A diuertisse B diuertisse audisset *uulgo* eius] uiduae *Eussner ex Plut. apophth. Antig. 5* 24 inquid *Γ* 25 angustae habitaret_epluribus A domus G hospiciũ A

laxius accipe; iussoque commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matrisfamilias uteretur.

11. Q. Metellus consul quamuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.

12. P. Rutilius consul cum secundum leges in contubernio suo habere posset filium in legione militem fecit.

13. M. Scaurus filium quod in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum uenire uetuit: adulescens uerecundia ignominiae pressus mortem sibi consciuit.

14. Castra antiquitus Romani ceteraeque gentes passim per corpora cohortium uelut mapalia constituere soliti erant, cum solos urbium muros nosset antiquitas. Pyrrus Epirotarum rex primus totum exercitum sub eodem uallo continere instituit: Romani deinde uicto eo in campis Arusinis circa urbem Maluentum castris eius potiti et ordinatione notata paulatim ad hanc usque metationem, quae nunc effecta est peruenerunt.

15. P. Nasica in hibernis, quamuis classis usus non esset necessarius, ne tamen desidia miles corrumperetur aut per otii licentiam sociis iniuriam inferrent, nauis aedificare instituit.

16. M. Cato memoriae tradidit, in furto conprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si lentius animaduertere uoluissent, in principis sanguinem missum.

17. Clearchus dux Lacedaemoniorum exercitui dicebat, imperatorem potius quam hostem metui debere, significans eos qui

1 latius B accipere O comigrare Γ dixit AΓ 3 quin] q^N in D inpediretur Γ 5 in ordinem herere (aerere D ar^c,ere O) DGBO 7 filium habere posset *uulgo* legionem DGBO 8 tridentin hoc loco DG 9 adolescens BOG 10 ignomiae Γ p̃ssus Γ praessus A 12 corp^o era A uelud Γ mappalia AΓOG 13 ^r ubiũ Γ Pyrrhus AB pyrhrus Γ 14 continere^i O 15 Maluentum *Scaliger* statuentum (fatuentũ Γ) *codd.* Beneuentum *Modius* 16 usque *om* O n^unc ṇoṇ O metatione Γ 18 nassica Γ esse D 19 ^a ut A 20 p̣ ọtịị lịcẹṇtịã O per opulentiam B *et in marg.* O inferret *Vat. 2193 et Leid. pr.* naues DGOB 21 tradit Γ 22 conmilitones AB aut si lentius *uulgo* aut silentius ΓDB aut ut silentius (sic ie lentius G) AG aut ^ut ịṇsilentius O aut si leuius *Leid. sec.* aut si lenius *Lipsius* at si lentius *Stewech.* 23 uoluisset B principiis *Tennulius* an. vol. in principes, sanguinem m. *Stewech.* 24 Clearcus BOG lacedem. *I* exercituo Γ 25 ^de ḥabere C

in proelio dubiam mortem timuissent, certum si deseruissent manere supplicium.

18. Appii Claudii sententia senatus eos, qui a Pyrro rege Epirotarum capti et postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam, omnibus extra uallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.

19. Otacilius Crassus consul eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra uallum iussit, ut inmuniti adsuescerent periculis et aduersus hostem audentiores fierent.

20. P. Cornelio Nasica Decimo Iunio consulibus, qui exercitum deseruerant, damnati uirgis caesi publice uenierunt.

21. Domitius Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quae ad castellum Initia hostibus cesserant, extra uallum iussit tendere, donec adsiduo labore et prosperis excursionibus redimerent ignominiam.

22. Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere eorumque pars detractasset imperium, questus apud censores effecit, ut notarentur: a patribus deinde optinuit, ne eis praeterita aera procederent: tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt omniumque consensu stabilita disciplina est.

23. Q. Metellus Macedonicus in Hispania quinque cohortes, quae hostibus cesserant, testamentum facere iussas ad locum reciperandum remisit, minatus non nisi post uictoriam receptum iri.

24a. P. Valerio consuli senatus praecepit, exercitum ad Sirim

1 in proelio subire mortem dubitauissent, certum *Dederich. ex Val. II, 7, 2* 3 sententiam *AΓ* qui a] quia *Γ*D pyrrho AD 4 remise *Γ* peditem] pedem *Γ* pedēs (pedem *ex* pedes *corr. man. pr.*) A 5 pedites *om.* DGBO peditos A peditem ad leuem O iussit A 7 Otalitius DG 8 inminuti *Γ* 9 audientiores (*prior* i *erasa* O) DO audaciores G 10 nassica *Γ* hi qui O 11 deseruerat A dampnato (damnatō O) DGBO publicae A 12 armoenia *Γ*D 13 initia *AΓ* initio DGBO cum Paccio *vel* cum Itio *Oudend. ex Tac. ann. 13, 36* in acie *Herelius* 14 adsiduo A prosperis (*priorem* s *add. m. 2*) O 15 ignomiam *Γ* 16 Aaurelius A 17 cogente] exigente B detrectasset DG 18 quaestus A 19 optinuit ABO obtinuit *Γ*DG 20 consensus ADG 23 cessarent O 24 reciperandū A recuperandū DGBO 26 Sirim] firmi G

uictum ducere Saepinum ibique castra munire et hiemem sub tentoriis exigere.

24b. Senatus cum turpiter fugati eius milites essent, decreuit, ne auxilia eis summitterentur nisi captis eius † legionibus.

25. Duobus milibus, quae Punico bello militiam detractauerant, in Siciliam uelut relegatis per septem annos hordeum ex senatus consulto datum est.

26. L. Piso C. Titium praefectum cohortis, quod loco fugitiuis cesserat, cincto togae praeciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis cotidie stare dum uigiles uenirent iussit conuiuiis et balneo abstinere.

27. Sulla cohortem et centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos et discinctos perstare in principiis iussit.

28. Domitius Corbulo in Armenia Aemilio Rufo praefecto equitum, quia hostibus cesserat et parum instructam armis alam habebat, uestimenta per lictorem scidit eidemque ut erat foedato habitu perstare in principiis, donec mitterentur, imperauit.

29. Atilius Regulus, cum ex Samnio in Luceriam transgrederetur exercitusque eius obuiis hostibus auersus esset, opposita cohorte iussit fugientes pro desertoribus caedi.

30. Cotta consul in Sicilia in Valerium nobilem tribunum militum ex gente Valeria uirgis animaduertit.

1 uictũṛụm O Saepinum *scripsi* serinum *AΓ*BOD seruũ G firmũ *Vat. 3408 Burnei. 173. Reg. XII C 21* in Samnium *Deder. secutus Niebuhrium (hist. Rom. III p. 584)* ubique A hiemen *Γ* 3 *hoc exemplum a proximis libri non distinguunt* Idem senatus *Deder.* eius] consulis *Dederichius* 4 eis] ei DGBO *plura uerba uidentur intercidisse;* nisi captis eius † legionibus *distinxi et mox* duobus milibus *addidi ex Liv. 24, 18.* nisi captis eius (eis B hiis *in marg. G. man. 3*) legionibus quae *AΓ*DGB sũmitterentur Le///// gionibus (*complura uerba erasa sunt*) quae O nisi captis et uictis hostibus; iis uero legionibus quae *Tennulius ex cod. Voss. et Reg. pr.* nisi captis et uictis hostibus. 25) Eis legionibus quae *Oudend.* 6 uelud *Γ* religatis (*priorem* i *ex* e *corr. in A man. 2*) AGD 8 L.] R. B pisso A *corr. man. 2* C.] coĩs *Γ* consul C. *Dederich* titum A *corr. man. 2* 9 cincto *codd.* cinctu *Guietus* 10 cotidiae *Γ* cotidiãe A conuiis *Γ* conuiuiisque *editiones* 12 Sullam A Sylla B Silla (i *ex* u *corr.*) O stationes BO 13 p̃rupat OG galeatos] discalceatos *Stewech.* gladiis aptatis *Deder.* 14 armoenia *Γ*D 15 quia] qui ab DG quiaḅ O qui B 16 idemque *AΓ* 17 mitteretur *Deder.* 18 Attilius B regulus cum ex *Γ* in] ad *Deder. ex Liv. 10, 35* lucernã O Atilius regulus cum exerc. eius (*omissis intermediis*) C 19 aduersus *AΓ*COG obuis C 20 defectoribus BOG cedi *Γ* 21 P. cotta *Leid. sec.*

31. Idem P. Aurelium sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Lipararum, ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus praefecerat, cum agger incensus et capta castra essent, uirgis caesum in numerum gregalium peditum referri et muneribus fungi iussit.

32. Fuluius Flaccus censor Fuluium fratrem suum, quia legionem in qua tribunus militum erat iniussu consulis dimiserat, senatu mouit.

33. M. Cato ab hostili litore in quo per aliquot dies manserat, cum ter dato profectionis signo classem soluisset et relictus e militibus quidam a terra uoce et gestu expostularet uti tolleretur, circumacta ad litus uniuersa classe, conprehensum supplicio adfici iussit et quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius inpendit.

34. Appius Claudius ex his qui loco cesserant decimum quemque militem sorte ductum fusti percussit.

35. Fabius Rullus consul ex duabus legionibus, quae loco cesserant, sorte ductos in conspectu militum securi percussit.

36. Aquilius ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit.

37. M. Antonius, cum agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant duarum cohortium militem decimauit et in singulos ex his centuriones animaduertit, legatum cum ignominia dimisit, reliquis ex legione hordeum dari iussit.

38. In legionem quae Regium oppidum iussu ducis diripuerat animaduersum est ita, ut quattuor milia tradita custodiae necarentur: praeterea senatus consulto cautum est, ne quem ex eis sepelire uel lugere fas esset.

39. L. Papirius Cursor dictator Fabium Rullianum magistrum

2 lispararũ *Γ* lippararum DGO ipse ad ausp. repetenda *om.* A messã *Γ* 5 Euluius *Γ* censor] coñs. DG 6 legione *Γ* in quam A iniussum A*Γ* 7 senatum A 8 littore DGBO 9 ter dato *Leid. sec. et Vat. 3408* tardato *codd.* relictis O 10 e] a G uti] ut B 11 cõnprehensum A supplicio *Γ* 14 Apius D 15 militem (e *ex* u *corr.*) O 16 Rullus] ruttus O 17 uicenos *ante* sorte *add. Oudend. ex Io. Saresb. Policrat. VI, 12* 18 Aquilegius *Γ* Aequirius DGB Aquarius O 21 cohortum *Γ* 23 ignominiam A darẽ *Γ* M. Antonius. IIII. ob rem male ab eis gestam necari iussit praeterea senatus consulto (*intermediis omissis*) C 24 iussu DGBO iniussu A*Γ* diripuerat *Casaubonus* diruerat *codd.* 26 catum *Γ* sepeliri BOG eis] his B 28 dictatorem A Rullianum *scripsi* rutilium *codd.* Rullum *Oudend.*

equitum, quod aduersum edictum eius quamuis prospere pugnauerat, uirgis poposcit, caesum securi percussurus: nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem eumque profugientem Romam persecutus est, ne ibi quidem remisso prius supplicii metu quam ad genua eius et Fabius cum patre prouolueretur et pariter senatus ac populus rogarent.

40. Manlius cui Imperioso postea cognomen fuit filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnauerat, quamuis uictorem in conspectu exercitus uirgis caesum securi percussit.

41. Manlius filius exercitu pro se aduersus patrem seditionem parante negauit tanti esse quemquam, ut propter illum disciplina corrumperetur, et obtinuit, ut ipsum puniri paterentur.

42. Q. Fabius Maximus transfugarum dextras praecidit.

43. C. Curio consul bello Dardanico circa Dyrrachium, cum ex quinque legionibus una seditione facta militiam detractasset secuturamque se temeritatem ducis in expeditionem asperam et insidiosam negasset, quattuor legiones eduxit armatas et consistere ordinibus, detectis armis uelut in acie, iussit. Post hoc seditiosam legionem inermem procedere discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare, postero autem die similiter fossam discinctos milites facere nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit, ne signa eius summitteret nomenque aboleret, milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret.

44. Q. Fuluio Appio Claudio consulibus milites ex pugna Cannensi in Siciliam a senatu relegati postulauerunt a *pro*consule M. Marcello, ut in proelium ducerentur. Ille senatum consuluit: senatus negauit sibi placere committi is rempublicam quam de-

1 aduersus B dictum ADGBO 2 pugnauerit B uirgas AΓ saecuri A uirgis poposcit, caesum sec. perc. *distinxi* uirgis pop. caesum, sec. perc. *uulgo* uirgis pop. caedendum, caesum sec. perc. *Deder.* ne contentioni A 3 cumque A 4 ibi] sibi Γ remissio ADGB nec ibi quidem remissionem prius supplicii meruit quam *Vat. 3408* 5 et *om.* B 6 populus] pps G pop. rs. O Romanus *add. Dederich.* 8 is *ex* bis *corr.* O his D 10 exercitus A seditione Γ 11 illum] ipsum B 12 optinuit BD 13 dexteras *editiones* 14 dirrachiũ Γ dirachiũ DGBO consul] *fortasse* proconsul *ex Liv. epit. 95: C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit.* 15 detraectasset Γ 16 s&_emeritatem (*corr. man. pr.*) A temeritate Γ 18 uelud Γ aciãe A post haec *uulgo* seditionem legiosam A 19 inermen Γ inhermẽ OD 20 postera Γ 24 consule B 25 rẽlegati A religati BD proconsule *scripsi ex Liv. 25, 7* consule *codd.* 27 committi is ΓD cõmitiis A is] his B iis OG

seruissent; Marcello tamen permisit facere quod uideretur, dum ne quis eorum munere uocaret neue donaretur neue quod praemium ferret aut in Italiam reportaretur, dum Poeni in ea fuissent.

45. M. Salinator consularis damnatus est a populo, quod praedam non aequaliter diuiserat militibus.

46. Cum ab Liguribus in proelio Quintus Petilius consul interfectus esset, decreuit senatus, uti ea legio in cuius acie consul erat occisus tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, aera reciderentur.

II. DE EFFECTU DISCIPLINAE.

Fragmenta Aristophanis grammatici diligentissime collegit ac disposuit Augustus Nauck.[4]) et ceterorum quidem operum pauca supersunt testimonia; de iis vero celeberrimi grammatici studiis quae in lexeon et glossarum interpretationibus versabantur accuratius nobis iudicare licet per Eustathium. multis locis excitat Eustathius Aristophanem grammaticum, pluribus tacite exscripsit. nihilo vero secius omnia fere λέξεων Aristophanearum fragmenta Eustathiana felici coniectura collegit Nauck tenui nisus fragmento Parisino, quod e codice Regio 1630 primus edidit Boissonade post Epim. Herod. p. 283 (Nauck p. 79). sed erravit Nauck de fonte unde hauserit Eustathius, cum contenderet: 'alia ex Athenaeo deprompsit alia eaque graviora ex scholiis Homericis: quod cum haud paucis in locis etiam nunc demonstrari possit (cf. Eust. p. 711, 29 fr. V. item fr. VIII. LIX. LXI all.)[5]), de ceteris indubia ratiocinatione colligitur' (p. 79 not.). quae opinio cum non confirmatur scholiis Homericis, tum refutata est invento nuper in Atho monte codice, ubi fere exstant quae prius tantum ex Eustathio erant cognita. iam excerptis quae ex libro Athoo edidit Emmanuel Miller constat Eustathium ad manus habuisse λέξεων Aristophanearum exemplar vel (quod magis credo) excerpta.

Statuerat Nauck λέξεων libri Aristophanei capita sex: 1. περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν. 2. περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων. 3. περὶ προσφωνήσεων. 4. περὶ βλασφημιῶν. 5. Ἀττικαὶ λέξεις. 6. Λακωνικαὶ γλῶσσαι. quorum duo priora in codice Athoo exstant, reliqua desunt, capita dico περὶ προσφωνήσεων, Ἀττικαὶ λέξεις, Λακωνικαὶ γλῶσσαι; nam caput περὶ βλασφημιῶν Aristophani Byzantio abiudicandum est (cf. Fresenius p. 72 sqq.). novum vero caput ex illo codice innotuit περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς inscriptum. cuius capitis glossae apud Eustathium cum alio titulo exstant. codicis Athoi simillimus ex eodemque archetypo deductus est cod. Laurentianus plut. LXXX 13, quem descripsit Fresenius: sed is codex unum tantum caput Aristophaneum (περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων) exhibet. quorum codicum notitia ideo maxime utilis est,

---

[4]) Περὶ αἰγίδος commentatio (Nauck p. 271) ab ipso Nauckio addubitata Aristophani abiudicanda est. nam quae ex Aristophane Eustathius p. 603, 28 sese proferre simulat, ea in Porphyriano scholio codicis Veneti B (ad B 787) nunc leguntur. pro Aristotele a Porphyrio laudato scripsit Eust. Ἀριστοφάνης. cf. Rose, Aristot. pseudepigr. p. 162. schol. Iliad. ed. Dindorf. — [5]) E scholiis Eust. unum fr. LIX deprompsit (p. 150, 17 coll. schol. A 567), reliqua scholia a Nauckio laudata ex Eustathio descripta sunt: schol. L ad E 266 ex Eust. p. 546, 27 (fr. LXI); Cram. An. Par. III 229 ex Eust. p. 711, 29 (fr. V); Cram. An. Par. III 221 ex Eust. p. 648, 53 (fr. VIII). idem valet de ceteris quae huc pertinent scholiis et Lipsiensibus et a Cramero l. l. editis. nam scholiasta Lips. et scriptores codicum Paris. 2681 (Cram. p. 29—96) 2767 (p. 179—246) 3058 (p. 371—389) multa ex Eustathi copiis descripserunt. cf.

quod multa fragmenta quae apud Nauckium, quod titulis carebant, sedis erant incertae nunc certam obtinent sedem (cf. Fresenius p. 20).[6]) archetypum eorum multis locis corruptum et mutilatum fuisse codicibus illis inter se et cum Eustathio collatis luculentissime apparet. Eustathi exemplar multo erat plenius: testimonia scriptorum (χρήσεις) frequenter ab Eustathio laudata omnia fere a codd. ML absunt.[7])

1. Περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς.

Eustathius p. 1761, 20 plures glossas deinceps profert his verbis: ὁ δὲ τὸν κάνναν τοῦτον παρασημηνάμενος Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς[8]) καὶ ἄλλας ἐκτίθεται καινοφώνους λέξεις, οἷον ἄσιλλαν κτλ. similibus p. 279, 38 . . . ὡς ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης παρέπηξεν οἷς ἔφη περὶ καινοτέρων λέξεων. quibus titulis nihil tribuit Nauck, cum diceret (p. 181 not. 1): 'sed quas Eust. p. 279, 38, p. 1761, 19. 23 affert καινοτέρας et καινὰς καὶ ἀσυνήθεις sive καινοφώνους λέξεις, iis nemo amplius opinabitur ordinem indicari ab Aristophane institutum: immo Eust. nil praebet nisi syllogen variorum nominum sive glossarum e diversissimis Aristophanei operis partibus conflatam'. itaque glossas ab Eustathio p. 1761, 22 prolatas fragmentis sedis incertae ascripsit (frg. XLIII—LVIII). Naucki sententia improbata Otto Schneider (Neue Jen. Litt.-Ztg. 1848 p. 977) peculiare caput περὶ καινοτέρων λέξεων fuisse coniecit eique fragmenti Parisini paragraphos 1—11, undecimam haud recte, aliaque fragmenta vindicavit. quam coniecturam veram esse docuit exc. M, ubi omnes fere glossae ab Eustathio l. l. congestae in capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων leguntur, ut dubitari nequeat, quin idem caput indicet Eustathius, idem excerptum M: Eustathius nempe titulum capitis suis verbis circumscripsit.

Habemus igitur tres huius capitis Aristophanei fontes, Eustathi commentarios excerptum M fragmentum Parisinum. fragmenti Parisini

---

Fresenius p. 23. 71 n. 4. — [6]) Fresenius certas sedes vindicavit fragmentis apud Nauckium sedis incertae 37—58. 60. 61. 65—68. 70—74. 82. 85. 89. de reliquis quoque coniecturam equidem facere audeo. de frg. 36. 79 capiti π. τ. ὑποπτ. tribuendis infra dicam (p. 297). frg. 75 Λακωνικαῖς γλώσσαις assignandum videtur coll. frg. 31. 34. ex Ἀττικαῖς λέξεσι desumpta opinor frg. 64. 69 (cf. Nauck p. 182 n. 4). 76. 77. 78. 81 (cf. Erot. p. 57, 3 Klein). 86. 90, indidem fortasse frg. ex Erot. frg. 65 (Klein p. 19) Aristophaneis addendum κοχώνη. restant observationes quaedam ad interpretationem et prosodiam vocum Homericarum spectantes, quae in scholiis Homericis commemorantur, frg. 62. 80. 83. 84. 87. 88, quibus accedit notatio prosodiaca in schol. Ar. Nub. 1150 servata (frg. 63): quas observationes ab λέξεων libro, quo recepit Nauck, prorsus alienas eoque removendas puto. videntur autem haec adnotamenta sicut cetera quae feruntur ad exegesin Homeri spectantia per discipulos fuisse propagata (Nauck p. 21. 23). de sede frg. 59, quod unum superest, infra dicam. — [7]) M et L litteris Fresenium secutus Athoum et Laurentianum codices significavi. — [8]) Sic Eust. Aristophanem omnibus locis laudat, ubi glossarum exemplar adiit.

huic capiti vindicandae sunt decem paragraphi priores et paragraphus septima decima. quarum glossarum duae neque apud Eustathium neque in exc. M comparent (§ 1 Ἀθηναία, § 4 καταφαγᾶς). M exhibet glossas viginti tres, quarum quattuor et ab Eustathio et a fragm. Par. absunt (μεγαλοψυχεῖν, μεγαλοψυχία, ἄρχειν, τάγηνον), Eustathius glossas huius capitis plurimas congessit p. 1761, 16, quas vel repetiit vel supplevit his locis: p. 279, 38. 546, 27. 728, 51. 916, 51. 1034, 13. 1469, 47. 1402, 1. 1405, 34. 1455, 33. 1479, 43. 1770, 11. 1535, 21. 1599, 14. 1627, 43. 1680, 24. 1731, 55, 1752, 56. 1827, 47. 1863, 49. 1915, 16, omnes glossas triginta septem, quarum quattuor (ἀμύνεσθαι, ἐπικύλλωμα, ἐπιστάτης, κόλλοψ), quae neque in excerpto M neque in fragmento Parisino exstant, probabili coniectura Fresenius (p. 21 sqq. 70) propter argumenta huic capiti vindicavit. decem glossarum auctor non laudatur ab Eustathio (βλακεύεσθαι, γόμος, ζωή, κοκκύζειν, λεπύχανον, πλεονεξία, ψευδολογία, σπανοσιτία, φερνή, ψελλός), quarum octo (βλακεύεσθαι, γόμος, κοκκύζειν, λεπύχανον, πλεονεξία, ψευδολογία, σπανοσιτία, φερνή) Aristophaneas esse testatur exc. M, duae reliquae (ζωή, ψελλός) huic capiti Aristophaneo vindicandae sunt propter consensum fragmenti Parisini. de ψελλός glossa (Eust. p. 1535, 21. cf. frg. Par. § 6) consentire videtur Fresenius (p. 115 not. 3), glossam ζωή (frg. Par. § 17 Eust. p. 1752, 56. 1758, 29) ex Aristophanis reliquiis ille removit. mirum sane locum ζωή glossa obtinet in fragmento Parisino; nam cum reliquae huius capitis glossae continuo sese excipiant (§ 1—10), deinde sequatur una glossa capitis περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν (§ 11), tum quinque glossae capitis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων (§ 12—16), una ζωή glossa (§ 17) separata a ceteris eiusdem capitis finem efficit excerptorum ex Aristophane Byzantio (sequuntur glossae Suetonianae). hanc ipsam ob causam 'quod locus quam maxime refragatur', Fresenius (p. 78) Aristophani glossam tribuere non ausus est, etsi eius argumentum capiti περὶ τῶν ὑποπτευομένων convenire non negavit. itaque aliam viam exploravit ad difficultatem tollendam, confugit ad Zenodorum, cuius libri περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας epitomen codices ML exhibent (cf. Miller Mélanges p. 407 sqq. Fresenius p. 38). ex his Zenodoreis, quorum in codice illo Regio Parisino nec vola nec vestigium, fluxisse statuit Fresenius fragmenti Parisini glossam ζωή et qui conveniant locos Eustathianos p. 1752, 56. 1758, 29. iam igitur conferamus Zenodorum fragm. Par. Eustathium:

Zenodori epitome ML (Miller p. 408): ζωή· παρ' Ὁμήρῳ οὐκ ἐπὶ τοῦ ζῆν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν χρημάτων καὶ κτημάτων καὶ ἁπλῶς τοῦ πλούτου.	frg. Par. § 17 ζωὴ λέγεται καὶ ἐπὶ τῆς περιουσίας ὡς παρ' Ὁμήρῳ (Ξ 96) 'ἦ γὰρ οἱ ζωή γ' ἦν ἄσπετος, οὔ τινι τόσση, δώδεκ' ἐν ἠπείρῳ ἀγέλαι'.

Eust. p. 1752, 56 (ad Ξ 96) . . . οἷα διχῶς τῆς ζωῆς λεγομένης

κατὰ τοὺς παλαιούς, ἐπί τε τῆς συνήθους δηλαδὴ καὶ ἐπὶ τῆς περιουσίας. id. p. 1758, 29 λέγει δὲ καὶ ζωὴν ἐν τούτοις, καθὰ καὶ πρὸ ὀλίγων, τὴν εἰς τὸ ζῆν περιουσίαν, εἰπὼν ‘οἱ δὲ ζωὴν ἐδάσαντο’ (ξ 208). vides indidem fluxisse Eustathii locos et fragmenti Parisini glossam, neutrum congruere cum Zenodoro. Zenodorus enim unum Homerum respiciens vocabulum ζωή nisi de pecunia vel divitiis a poeta non usurpari docet, Eustathii et fragmenti Parisini auctor generalem vocabuli usum illustrans passim idem esse quod περιουσίαν observat, cum vulgo ‘vitam’ significet (cf. Ellendt Lex. Soph. s. v.), et exemplum affert ex Homero. quae observatio capiti περὶ τῶν ὑποπτευομένων optime convenit. tractavit enim Aristophanes Byzantius hoc capite eas notationes, quae ut barbarae vel noviciae ab ‘antiquis’ (i. e. classicis, ut vulgari verbo utar) scriptoribus usurpatae non esse existimabantur, et vocabulorum quorundam novas vel insolitas significationes et ipsas ‘veteribus’ falso abiudicatas. itaque ζωή glossam quin capiti Aristophaneo tribuam facere non possum.

Altera glossa, quam Fresenius in indicem non recepit, ego item Aristophani assigno, est λέμφος, quae exstat in ampliore illo loco Eust. p. 1761, 16: δῆλον δὲ ὅτι τε λέμφος [διὰ τοῦ φ οὐ μὴν διὰ τοῦ β] ἡ πεπηγυῖα μύξα κατὰ τοὺς παλαιοὺς [ἐκ τῶν μυκτήρων v. Nauck p. 173 not. 22], ὅθεν καὶ λέμφος ὁ εὐήθης, ἐπειδή, φασιν, εἰς μωρίαν διέσκωπτον τοὺς ῥεομένους ἐκ τῶν μυκτήων· ὅθεν καὶ ἀπομύξαι τινὰ τὸ ἐξαπατῆσαι, καὶ ὅτι καὶ τὰ μυξώδη κρέα λέμφοι ἐκαλοῦντο. καὶ ὅτι ὥσπερ ὁ λέμφος ὁ προσεχῶς ῥηθεὶς καινὴ καὶ τοῖς πολλοῖς [παλαιοῖς coni. Nauck Mélanges Gréco-Romains III p. 173] ἀσυνήθης λέξις ἐστίν, οὕτω καὶ ὁ παρὰ τῷ κωμικῷ Κρατίνῳ σάννας. αὐτὸς μέντοι οὐ τὸν εὐήθη ἁπλῶς δηλοῖ, ἀλλὰ τὸν μωρόν .... ὁ δὲ τὸν σάνναν τοῦτον παρασημηνάμενος Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς καὶ ἄλλας ἐκτίθεται καινοφώνους λέξεις, οἷον ἄσιλλαν κτλ. — λέμφος et σάννας ut Aristophaneas glossas inter βλασφημιῶν fragmenta recepit Nauck (frg. 22). sed apparet λέμφος glossam ab Eustathio ex eodem capite esse sumptam unde σάννας. nam unde scire potuit, λέμφος esse λέξιν καινὴν καὶ τοῖς πολλοῖς (vel παλαιοῖς) ἀσυνήθη nisi e capite ‘περὶ καινοτέρων λέξεων’? interpolavit sane Eust. more suo Aristophanis verba alienis; ex Aristophane descripsit verba ὅθεν καὶ λέμφος — ἐξαπατῆσαι, reliqua aliunde.[9])

[9]) Locus e quattuor glossis compositus est hisce: 1. λέμφος ἡ πεπηγυῖα μύξα. 2. λέμφος ὁ εὐήθης, ἐπειδὴ εἰς μωρίαν διέσκωπτον τοὺς ῥεομένους ἐκ τῶν μυκτήρων. 3. ἀπομύξαι τὸ ἐξαπατῆσαι. 4. λέμφοι τὰ μυξώδη κρέα. primam glossam eisdem verbis interpretantur Hesych. Phot. Moeris, itaque e lexico rhetorico ab Eustathio sumptam esse arbitror. in altera glossa, quam Aristophaneam censeo, explicanda nemo verbis cum Eustathio conspirat (cf. Suet. βλασφ. εἰς μωρούς ap. Miller Mélanges p. 421, Hesych. Phot. λέμφος). tertia glossa, etsi ab Aristophanis consilio per se aliena, tamen memorari potuit: solet enim Ar. Byz. doctas suas disputationes minoribus ornare observationibus (cf. Hesych. ἀπομύττειν· ἐξ-

Quo consilio quemque ad finem Aristophanes hoc caput scripserit supra iam dixi. quo de consilio certiores facti sumus titulo capitis in M exhibito. ratio autem, qua rem suam Aristophanes egerit, perspici non potest nisi ex Eustathio. exc. M et fragmentum Parisinum nullam fere utilitatem praeberent, nisi per Eustathium supplerentur. etenim quod in grammaticorum veterum libris pretiosissimum litterarum antiquarum cognitioni utilissimum doctis illorum temporum studiis recte iusteque iudicandis commodissimum est, testimonia dico veterum scriptorum (χρήσεις), id incredibili compilatorum Byzantinorum neglegentia frequenter silentio praetermissum est. idem Aristophani Byzantio accidit in M et frag. Paris., ubi ne unum quidem testimonium exstat. eo maiorem Eustathio debemus gratiam, quod omnes fere quas in exemplari suo legit χρήσεις descripsit ac tot tamque bona fragmenta e veteribus scriptoribus petita memoriae prodidit.

Verum enim vero testimonia ab Aristophane Byzantio ad illustrandas glossas allata sine dubio uberiora fuerunt quam tradita ab Eustathio. etenim ne Eustathi quidem excerpta lacunis carere — quae Eustathio an priori cuidam epitomatori debeantur nihil refert —, cum e comparatione cum frg. Parisino et excerpto M supra instituta iam apparuit[10]), tum ipsa excerptorum forma docet. Aristophanem huius quidem capitis glossas ad unam omnes testimoniis ornavisse scriptorum neminem spero futurum qui neget, nisi forte grammaticorum aetatis suae principem non praestitisse putas id quod ipso capitis titulo quasi promisit. atqui cum κοκκύζειν, ut exemplum afferam, quattuor testimoniis muniatur Sophoclis Cratini Platonis Diphili, glossae ἀπόστα, ἐλέγοσαν, ἐπικοκκάζειν[11]), ἐπικύλλωμα (κατακύλλωμα), ἐπιστάτης[12]), λέμφος, μαγίς, μοιχή (μοιχίς), στεγανόμιον testimoniis apud Eustathium carent: nimirum Eustathi exemplar non iam integrum fuit.

Accedunt alia vitia ac diversae corruptelae, quibus non integrum caput Aristophaneum ad nos pervenisse probatur. aliquot exempla proferam. Eust. p. 1761 . . . συνάπτει δὲ τούτοις ξενικὸν καὶ τὸ ἀρδαλῶσαι ἤγουν μολῦναι, προφέρων καὶ τὸ 'τὴν μὲν ἄρδαν ἀπ' ἐμοῦ σπόγγισον' καὶ τὸ 'Αἰγύπτιος θοιμάτιον ἠρδάλωσέ μου' prior versus non ἀρδαλῶσαι verbum illustrat, sed vocem ἄρδα. nempe omissa sunt ab Eustathio vel in eius exemplari omissa erant

---

απατᾶν, γοητεύειν). verba καὶ τὰ μυξώδη κρέα λέμφοι ἐκαλοῦντο iure Nauck Aristophani abiudicavit (cf. Phot. s. v. λέμφοι). — [10]) Absunt ab Eustathio glossae frg. Par. Ἀθηναία, καταφαγᾶς, exc. M μεγαλοψυχεῖν, μεγαλοψυχία, ἄρχειν, τάγηνον. — [11]) Derivatum ab ἐπικοκκάζειν verbo nomen ἐπικοκκάστρια ab Aristophane (Thesm. 1059) usurpatum esse dicit Eust. p. 1761, ἐπικοκκάζειν quis dixerit ignorat. ceterum verba παρὰ Ἀριστοφάνει τὸ 'ἀοιδὸς [immo ἀντῳδὸς] ἐπικοκκάστρια' num Aristophanis sint sine causa dubitat Nauck p. 202. cf. βαυβᾶν glossam. — [12]) Ἐπιστάτης glossam Aristophanes ap. Eust. p. 1827, 47 primum ex aliorum sententia explicat (δοκεῖ τοῖς πολλοῖς τάττεσθαι) eorumque nomine laudat Homerum, tum de suo alteram vocis significationem addit, cuius testem non nominat Eust.

ante ἀρδαλῶσαι verba ἄρδα ὁ μολυσμός. cf. Hesych. ἄρδα· μολυσμός. — Eust. p. 1761 . . . λέγει δὲ καὶ λαπίζειν παρὰ Σοφοκλεῖ τὸ συρίζειν.[13]) est glossa difficillima. συρίζειν sine dubio corruptum est[14]); nam λαπίζειν, si ceteris fontibus fides habenda, 'gloriari, iactare' significat. cf. Nauck p. 202, qui pro συρίζειν legendum esse coniecit ὑβρίζειν, coll. Hesych. λάζειν· ἐξυβρίζειν, in λάζειν latere λαπίζειν. at ὑβρίζειν minime idem est quod ἀλαζονεύεσθαι, quod γαυροῦσθαι. corruptela quo modo tollenda sit adhuc nescio. — Eust. p. 1761 . . . ἔφη δὲ καὶ ὅτι ἡ μαγὶς [ἀπὸ τῆς μάζης ἢ τοῦ μαστεύειν ῥηθεῖσα][15]) παράγει τὸν μάγειρον, ὃς οὕτω, φησί, λέγεται παρὰ τὸ μαγίδας αἴρειν ἤγουν προσφέρειν. mira observatio[16]), quae quid sibi velit in capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς inscripto non perspicuum. atque hoc quidem loco Eustathius videtur neglegentiae arguendus; nam comparatis ceterorum grammaticorum testimoniis (quibus de infra dicemus) id egisse videtur Aristophanes, ut 'mensae' significationem vocis μαγίς sua aetate vulgarem iam antiquis scriptoribus cognitam fuisse demonstraret.[17]) quod ad confirmandum μάγειρος vocabuli notationem adiecerit. Eust. igitur glossae μαγίς interpretatione et testimoniis, si quae erant, neglectis additamentum minus memorabile exscripsisse satis habuit. idem paullo ante commisit in glossa ἐπικοκκάζειν[18]) (v. not. 11), ubi quod addiderat Aristophanes ex hoc verbo formasse Aristophanem comicum verba 'ἀντῳδὸς ἐπικοκκάστρια' (Thesm. 1059), hoc descripsisse satis esse putavit. atque hac neglegentia non semel utiles veterum observationes silentio praetermisit, inutiles alias vel adeo ineptas oblivioni eripuit.

Sed forte fortuna Aristophani Byzantio subvenire et aliunde hoc eius glossarum caput supplere licet. ac primum quidem lexicon illud quod Ἀντιαττικιστής nomine inscripsit Bekker (Anecd. Gr. I 77—116) similitudinem quandam habere cum capite Aristophaneo animadvertit Fresenius (p. 15 n. 3). exstant apud Antiatt. hae tredecim glossae Aristophaneae:

1. Ἀθηναία (frg. Par. § 1): Antiatt. 77, 5
2. ἀπόστα (κατάβα): Antiatt. 81, 12
3. βαυβᾶν: Antiatt. 85, 10
4. βλακεύεσθαι: Antiatt. 84, 4
5. ἐλέγοσαν ἐγράφοσαν ἐσχάζοσαν: Antiatt. 91, 14
6. ἐπιστάτης: Antiatt. 96, 12

---

[13]) Eustathium 'sua habere indidem atque Photium nempe e lexicis rhetoricis' Naberum (ad Phot. λαπίττειν) existimare satis mirum. — [14]) Corruptelam Eustathio esse antiquiorem docet M: λαπύζειν (sic). τὸ συρίζειν. — [15]) Verba ἀπὸ—ῥηθεῖσα inclusit Nauck p. 205. — [16]) 'annotatiuncula parum digna nostro grammatico': Nauck p. 205. — [17]) cf. O. Schneider, Jen. Litt.-Ztg. 1848 p. 977. — [18]) Eust. p. 1761 . . . καὶ τὸ ἐπικοκκάζειν ὕβρει, M ἐπικοκκάζειν· τὸ κράζειν· Ar. Byz. fortasse scripsit τὸ ὕβρει κράζειν.

7. καταφαγᾶς (frg. Par. § 4): Antiatt. 105, 20
8. κοκκύζειν: Antiatt. 101, 4
9. κόλλοψ: Antiatt. 102, 33
10. μεγαλοψυχία (M): Antiatt. 108, 26
11. μόμφος: Antiatt. 107, 19
12. στίμμις: Antiatt. 114, 7
13. ψελλός: Antiatt. 116, 18.

Admodum conspirant inter se Aristophanes et Antiatticista s. v. ἐλέγοσαν (uterque laudat Lycophronem)[19]), κοκκύζειν (uterque Diphilum laudat), κόλλοψ (uterque Eubulum laudat: cf. Meineke Com. III 209), μόμφος (uterque laudat Euripidem). unde sequitur, ut invicem sese suppleant: nam ne Antiatticistam quidem integrum tulisse aetatem primo oculorum obtutu intellegitur. simul memoravit Aristophanes imperativi formas rariores ἀπόστα κατάβα, ἀπόστα testimonio caret apud Eustathium: addit Antiatt. ἀνάβα δίαβα et laudat Menandrum. — s. v. βαυβᾶν tragici cuiusdam poetae testimonium attulit Eustathius (v. Nauck frg. trag. adesp. 136): Antiatticista laudat Euripidem et Cantharum. — μεγαλοψυχία glossae nihil in M superest nisi lemma: iam conferamus Antiatt. 108, 26 μεγαλοψυχίαν οὔ φασι δεῖν λέγειν, ἀλλὰ μεγαλοφροσύνην. qui Antiatticistae dicendi rationem norunt, non integram esse glossam intellegent. sine dubio ille veterum testimoniis allatis ostenderat μεγαλοψυχία vocabulum pro μεγαλοφροσύνη esse usurpatum. atque idem Aristophanes egerat: praecedunt enim in M haec: τὸ μεγαλοψυχεῖν τάττουσι καὶ ἐπὶ τοῦ ὑπερηφανεύεσθαι. tertius eandem observationem tradidit Hesychius, cuius glossa adhuc corrupta facili coniectura restituenda est. inter μεγαλοφυέστερος et μεγαλώνυμον voces exhibet Hesych. hanc: μεγαλουχία· μεγαλαυχία. ὑψηλοφροσύνη, quam frustra temptavit Schmidt. ψ littera inserta scribendum est μεγαλοψυχία. testem huius vocabuli μεγαλοψυχία usus neque Hesych. neque Antiatt. attulit. cf. Plat. Alcib. II 140c. — de ψελλός glossa non satis perspicue disputat Eust. p. 1535, 21: εἰ δὲ τοῦ ἄρκτου ὑπεξαιρεθέντος τοῦ τ, ὡς εἴρηται, οὐ γέγονε σημασίας ἐναλλαγὴ οὐ μὴν οὐδὲ [οὐ μὲν οὐ δὲ vulgo] γελοιασμός, ἀλλ' ὁ κωμικὸς τὸ κ ἐξελὼν γέλωτα ἐκίνησεν εἰπὼν οὕτω·

ʿψελλόν ἐστι καὶ καλεῖ
τὴν ἄρκτον ἄρτον, τὴν δὲ Τυρὼ τροφαλίδα
τὸ δ' ἄστυ cῦκα' (Ar. frg. 536 Dindorf).

ταῦτα δὲ τί δηλοῖ, περιττόν ἐστι φράσαι. ἀρκεῖ δὲ μόνον ἐπισημήνασθαι. ὡς οὐ ψελλὰ τὰ εἰρημένα κυρίως, εἰ μή τις πᾶν παιδίον μὴ σαφῶς διαλεγόμενον ψελλίζεσθαι λέγει, ὁποῖόν τι καὶ Αἰσχύλος φαίνεται δηλοῦν ἐν τῷ ʿψελλόν τε καὶ δυσεύρετον' (Prom. 816). καὶ τοιοῦτον μὲν καὶ τοῦτο. ψελλός glossam exsti-

[19]) Sed Aristophanes barbaras eiusmodi formas Chalcidensibus tribuit, Antiatticista Alexandrinis.

tisse in capite Aristophaneo constat ex frg. Par. § 6, ubi: καὶ ψελλός, nec plura. sed quae descripsi Eustathium ex Aristophane habere fidem facit Antiatticista, qui eundem Aeschyli locum excitat 116, 18 ψελλός· Αἰσχύλος Προμηθεῖ. τέθεικε δὲ τὴν λέξιν ἐπὶ τοῦ σαφῶς μὴ εἰρημένου. ac similiter Aeschyli locum eius scholiasta explicat: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ψελλιζόντων παιδίων καὶ ἄγνωστον ποιούντων τὸ λαληθέν. proprie enim ψελλός 'blaesus' est; Aristophanes igitur Byzantius testimoniis Aristophanis comici et Aeschyli allatis ψελλός vocabuli usum generalem iam antiquis scriptoribus cognitum fuisse demonstravit.[20])

Rationem quae inter Aristophanem et Antiatticistam intercedat vides. itaque propter Antiatticistae consensum nescio an capitis Aristophanei glossis addi possit κῦμα. quattuor locis (p. 656, 58. 1234, 42. 1640, 60. 1681, 42) κῦμα vocabulum a veteribus ἀντὶ τοῦ κύημα esse usurpatum adnotavit Eustathius eamque observationem testimonio ex Euripidis Cercyone petito 'γέμουσαν κύματος θεοσπόρου' (frg. 107 Dindorf) ornavit[21]), nullo tamen loco unde haec derivarit indicavit. Aristophanem Byzantium eius auctorem fuisse suspicor propter Antiatt. 104, 9 κῦμα· ἀντὶ τοῦ κύημα.

Iam quaeritur num Antiatticista auctore usus sit Aristophane Byzantio. affirmavit Bergk (Poet. lyr. Gr. I[4] 372) propter Ἀθηναία glossam. insignis est de hoc vocabulo disputatio Suidae s. v. Ἀθηναίας, de qua Bergk l. l. haec adnotavit: 'Haec Suidas neque ex Phrynicho neque ex Pausaniae Aeliive Dionysii lexicis repetiit, sed ex Antiatticista, qui ut Atticistarum notissimum illud praeceptum Ἀττικήν sive ἀστήν, non Ἀθηναίαν esse dicendam redargueret, adhibuit hunc Pindari versum'. Suidam autem integriore opusculo, quam nunc exstat, esse usum. 'Antiatticista autem videtur hoc exemplum ex Aristophane grammatico descripsisse.' quam sententiam equidem probare non possum. Suidae enim glossa e duabus partibus est composita, quarum prior ex Aeli Dionysi Pausaniaeque lexicis (coll. Eust. p. 84, 18. 1456, 50), posterior (ὁ Φρύνιχος μέντοι κτλ.) ex Oro Milesio[22]) deprompta est. cf. Naber Phot. Proleg. p. 98. Ori enim de usu vocis Ἀθηναία disputationem exhibere videtur (cf. Ritschl de Oro p. 58 sive Opusc. I 646) Stephanus Byzantius s. v. Ἀθῆναι· . . . ὁ πολίτης Ἀθηναῖος καὶ θηλυκὸν Ἀθηναία. ἡ δὲ θεὸς Ἀθηναία λέγεται

[20]) Eodem fere modo Aristophanis consilium explicavit Otto Schneider (Jen. Litt.-Ztg. 1848 p. 978) 'von ψελλός (möchte Ar. bemerkt haben), dass es nicht blos den blaesus und balbus, sondern auch jede andere in einem Fehler der Zunge nicht begründete Undeutlichkeit der Rede mitunter bezeichne'. — [21]) Praeterea afferre potuit Aesch. Cho. 128 Eum. 659. saepius illud vocabulum usurpant posteriores ut Apoll. Rh. IV, 1492. Leon. Tar. Anth. Pal. VI, 200. — [22]) Qua via Suidas (vel si mavis Photius) Ori excerptum nactus sit nescio. ipsi certe nec Photius nec Suidas Ori librum habuerunt. coniecerim finem glossae e Stephano Byzantio esse interpolatum. nam Stephanum a Suida adhibitum esse non memini.

μονογενῶς. λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ γυναικός, ὡς ἄλλοι μὲν πολλοί, Φιλήμων δὲ οὕτως ἐν Πτερυγίῳ.

ʿΝυνὶ δ'ὅταν λάβῃ τις εἰς τὴν οἰκίαν
τὰς Ἱππονίκας τάσδε καὶ Ναυσιστράτας
καὶ Ναυσινίκας, τὰς Ἀθηναίας λέγω.'

Δίδυμος δέ φησιν ὅτι Ἀθηναίας λέγουσιν ἀντὶ τοῦ Ἀττικάς. ὁ δὲ Φρύνιχος ἀνάττικόν φησιν εἶναι τὴν φωνὴν καὶ θαυμάζει πῶς ὁ Φερεκράτης ἀττικώτατος ὢν χρῆται. ἀστὰς δὲ τὰς γυναῖκας ἔλεγον οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λέγειν Ἀθηναίας, ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τοὺς ἄνδρας ἀστοὺς ἐκάλουν.[23]) ex hoc Stephani loco apparet Orum ad Phrynichum refutandum Didymi copias adhibuisse, Didymum vero Aristophane Byzantio usum esse auctore. itaque Antiatticistam, quem vix quisquam Oro Milesio antiquiorem existimabit[24]), ipsum Aristophanis grammatici λέξεις adiisse ut credamus nulla ratione postulatur. namque apud Didymum et qui hunc sequebantur[25]) lexicographos satis multa invenit, quibus Atticistas posset refutare. grammaticorum illius aetatis mos non fuit, ut in auctoribus eligendis regrederentur ad antiquissimos, immo vero novissimos exscribere maluerunt.[26]) quam rem confirmant ceteri lexicographi, quorum nemo Aristophanis λέξεις ipse inspexit, qui tamen multis locis eius observationes tacite tradunt, Pollucem dico Hesychium Photium alios, quibus accedunt scholiastae. exempla quaedam afferre liceat.

---

[23]) Eust. p. 84, 21 excerptis ex Aelio Dionysio et Pausania haec adiunxit: ἕτεροι δὲ τῶν παλαιῶν οὕτω συντόμως εἶπον· ἀνάττικον Ἀθηναίαν γυναῖκα εἰπεῖν· ἀστὰς δὲ τὰς Ἀττικὰς γυναῖκας ἔλεγον ὡς καὶ τοὺς ἄνδρας ἀστούς. haec Eust. non ex Oro habet, ut contendit Naber (p. 98), sed ex Stephano Byzantio. nam Orum Eust. non nisi technicorum (h. e. Choerobosci) fide laudat: cf. p. 859, 52 παρὰ δὲ τοῖς τεχνικοῖς κεῖται καὶ ὅτι ὁ μὲν Ὦρος οὐχ Ἑλληνικὴν λέξιν τὴν ἰατρίνην εἶναί φησιν, Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Κοττυαεὺς πρὸς ἀκρίβειαν λαλῶν μὴ Ἀττικὴν εἶναι αὐτὴν λέγει. quae ex Ori κατὰ Φρυνίχου libro petita esse coniecit Ritschl de Oro p. 42 (Opusc. I 627). praeterea duobus locis Orum laudat Eust. p. 837, 45. 857, 42, utroque loco ex Choerobosco: cf. Et. Mg. 411, 53. Choerob. Orthogr. 235, 27. Et. Mg. Voss. 567, 4. — [24]) Antiatticistam qui vocatur Orum esse ipsum, id quod Ruhnkenius olim coniecit, demonstrare studuit Naber (l. l. p. 97 seqq.). quam opinionem nec defendere nec refellere huius est loci. Ritschl (de Oro p. 43. 58 sive Opusc. I 628. 646) ex Ori contra Phrynichum libro non nulla in Antiatticistae libellum transisse suspicatus est. — [25]) Aelium Dionysium et Pausaniam non sequi Megaclidem (quo de cf. Sengebusch diss. Hom. I p. 88) ex Eustathi Suidaeque locis apparet: scilicet Didymi auctoritatem sequuntur, qui Aristophanis doctrinam qua Megaclidem is refutaverat suam reddidit. Phrynichus vero acrior ille puri sermonis Attici propugnator Megaclidem secutus Atticam esse Ἀθηναία formam noluit. sed idem diligens Aeli Dionysi lexici lector non mirari non potuit, quod Pherecrates antiquae comoediae poeta Ἀθηναία dixerat. nam novae comoediae poetas (Philemonem Diphilum) non tantidem fecit: ubique fere Menandrum castigat propter barbarismos: cf. Ecl. p. 196 Epit. p. 331. 363. 387, aliis locis. de Philemone cf. Epit. p. 355. — [26]) Accedit quod Antiatticista semel (p. 96, 12 ἐπιστάτης) ab Aristophane discrepat: qui cum ἐπιστάτης de omni magistrorum genere dictum esse affirmare non auderet, ille affirmavit.

Scripserat Aristophanes de imperativi formis ἀπόστα κατάβα sim.; Antiatticistam vidimus ἀπόστα laudavisse e Menandri Ἐπικλήρῳ: alia duo exempla e Menandro afferunt Suid. lex. Bekk. 436, 14 (Aeli Dionysi fide ni fallor) ἀπόστα· οὐ μόνον ἀπόστηθι λέγουσι.[27]) καὶ παράστα. Μένανδρος Παιδίῳ· ‘ἐνταῦθ’ ἀπόστα μικρόν’ (Mein. Com. IV 182). Διὶ ἐξαπατῶντι· ‘ἐμοὶ παράστα. τὴν θύραν κόψας ἐγὼ | καλῶ τιν’ αὐτῶν’ (Mein. Com. IV 105). Didymum agnoscimus ap. schol. Ar. Ran. 35 (quem versum ipse Aristoph. Byz. laudavit) κατάβα πανοῦργε· τὸ χ, ὅτι κατάβα φησί· πρὸς τοὺς ἀξιοῦντας ὅτι κατάβηθι λέγεται μόνως. — ἄρδα et ἀρδαλῶσαι vocabula Pherecratis et Philemonis versibus allatis iam veteribus cognita fuisse observavit Aristophanes. utrumque poetam laudat, omissis tamen versibus, Erotianus Voc. Hippocr. p. 56, 9, Pherecratis versum iterum affert Eust. p. 707, 31 e Pausaniae lexico. — leviter corrupta est glossa ἐμίας: (Eust. p. 1761 . . .) καὶ οἱ ἔμετοι ἐμίαι ὡς κοχλίαι. Εὔπολις δέ, φησιν, ἐπὶ τοῦ κακοφώνου τὸν ἐμίαν τίθησιν. pro ἔμετοι scribendum esse ἐμετικοί intellexit Nauck p. 211 coll. Eust. p. 996, 39 (ubi technicum sequi videtur) ἰστέον δὲ ὅτι τε ἐκ τοῦ ἐμεῖν .... καὶ ἐμίας ὡς κοχλίας ὁ ἐμετικὸς ἢ εὐεμής. eadem corruptela in M: ἐμίας· ὁ ἔμετος. sed multo eam esse antiquiorem docet qui solus hanc glossam praeter Aristophanem exhibet Galenus Gloss. Hippocr. p. 466 ἐμίαι· ἔμετοι. Ἀττικὸν τὸ ὄνομα. — μαγίς glossa maxima cum neglegentia ab Eustathio tractata (v. sup. p. 292) optime potest illustrari ceterorum grammaticorum testimoniis adhibitis. diximus Aristophanem observasse videri μαγίς vocabulum iam apud veteres idem valuisse quod τράπεζα. quae sententia confirmatur Pollucis disputatione, quam fere Aristophaneam dixerim: VI 83 αἱ δ’ ἐπιτιθέμεναι καὶ αἰρόμεναι τράπεζαι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν. ἔστι μέντοι καὶ τὸ τῆς μαγίδος ὄνομα παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν χρήσει [Χρύσῃ coni. Dindorf] ‘τὰς Ἑκαταίας μαγίδας δόρπων’ (frg. 651). accuratius X 81 καὶ μὴν καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς τρίποσι τράπεζαι καλοῦνται καὶ μαγίδες .... ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ εἴρηται ‘τὰς Ἑκαταίας μαγίδας δόρπων’. Κρατῖνος ἐν Βουσίριδι εἴρηκεν ‘ὁ βοῦς ἐκεῖνος χἡ μαγὶς καὶ τἄλφιτα’ (Mein. Com. II 31). παρὰ μέντοι Ἐπιχάρμῳ ἐν Πύῤῥᾳ ἢ Προμηθεῖ καὶ κατὰ τὴν ἀνθρώπίνην χρῆσιν εἴρηται ‘κύλικα μαγίδα λύχνον’ (frg. 81 Ahrens). eadem fere tradit Helladius ap. Phot. Bibl. p. 533[b].[28]) — quo iure

[27]) Ἀλλά ante καί apud Suidam delendum. — [28]) Photi glossam μαγίδες· μᾶζαι. καὶ τὰ τῇ Ἑκάτῃ συντελούμενα δεῖπνα. οὕτως Ἀριστοφάνης Nauck p. 206 grammatico tribuere maluit quam comico (frg. 644). sed haec dicendi formula οὕτως ὁ δεῖνα ubique ad scriptorem aliquem spectat, non ad grammaticum. idem valet in μάθος glossam, qua de idem coniecit Nauck p. 207 [ceterum μάθος glossa in editione Naberi non exstat]. in μαγίδες glossa equidem potius crediderim pro οὕτως Ἀριστοφάνης scribendum esse οὕτως Σοφοκλῆς coll. Polluc. l. l.; eandem confusionem Photius commisit s. v. τάλιδος, ubi οὕτως Ἀριστοφάνης, intelleg. Soph. Ant. 629.

Pollucis de μαγίc glossa disputationem ad Aristophanem grammaticum rettulerim, cτίμμιc glossa docet. observavit Aristophanes veteres formam vocabuli femininam usurpasse[29]) et Ionis versum attulit. cum Aristophane facit Pollux V 101 καὶ ἡ cτίμμιc παρ' Ἴωνι ἐν Ὀμφάλῃ· ‘καὶ τὴν μέλαιναν cτίμμιν ὀμματογράφον’. cave autem ne Pollucem ipsum Aristophanis λέξειc adiisse credas. Choeroboscum certe eas non inspexisse concedes, qui idem tradit Dict. in Theodos. p. 373, 16 ... εὑρέθη δὲ καὶ τὸ cτίμμι θηλυκῶc λεγόμενον οἷον ἡ cτίμμιc τῆc cτίμμιδοc. Ἴωνι Ὀμφάλῃ ‘καὶ τὴν μέλαιναν cτίμμιν ὀμματογράφον’. Antiphanem laudat Phot. s. v. cτίμην.[30]) — de Attico vocis cτεγανόμιον usu tacite cum Aristophane consentiunt Pollux Hesych. Phot. lex. rhet. Bekk. (cf. Nauck p. 201).

Exemplis quae protuli satis demonstrasse mihi videor, quemadmodum ab Aristophane pendeant lexicographi superstites, quorum nemo caput περὶ τῶν ὑποπτευομένων laudat, nemo vidit. memorabili igitur fortuna per saeculorum XII et XIV (cf. Fresen. p. 11) homines Byzantinos eius memoria ad nos pervenit, cum plus mille annos oblivione fuisset obrutum.

Aristophanis grammatici fragmenta sedis incertae cum perlustrarem, num quae alia huic capiti tribuenda essent, in duas incidi glossas Aristophanis nomine explanatas, quae optime huc pertinere mihi videntur. sunt autem frg. 36 et 79, glossae κωλακρέτηc et ὀρείχαλκοc. priorem exhibet schol. Ar. Av. 1541 ‘τὸν κωλακρέτην’... Ἀριcτοφάνηc ὁ γραμματικὸc τούτουc ταμίαc εἶναί φηcι τοῦ δικαcτικοῦ μιcθοῦ. οὐ μόνον δὲ τούτου τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο, ὥc φηcιν, ἀλλὰ καὶ τὰ εἰc θεοὺc ἀναλιcκόμενα διὰ τούτων ἀνηλίcκετο, ὡc Ἀνδροτίων γράφει οὕτωc· ‘τοῖc δὲ ἰοῦcι Πυθῶδε θεωροῖc τοὺc κωλακρέταc διδόναι ἐκ τῶν ναυκληρικῶν ἐφόδιον ἀργύρια, καὶ εἰc ἄλλο ὅτι ἂν δέῃ ἀναλῶcαι. ταμίαι δὲ ἦcαν καὶ προεcτῶτεc τῆc δημοcίαc cιτήcεωc.’[31]) quae docta observatio cuinam capiti convenit nisi capiti περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆcθαι τοῖc παλαιοῖc?[32]) hanc glossam Didymo debere scholiastam

[29]) Aristophanem τὸ cτίμμι damnasse tradunt Eust. frg. Par.; discrepat M: cτίμμιc καὶ cτίμμι. τὰ εἰc ὄμματα χρήcιμα· λέγεται δὲ καὶ θηλυκῶc καὶ οὐδετέρωc, quae ex librarii cuiusdam commentis orta esse consentio cum Fresenio (p. 31). Aristophanis sententiam falsam esse iudicavit Nauck p. 205: τὴν cτίμμιν esse accusativum heteroclitum nominativi τὸ cτίμμι. adversus Nauckium formam ἡ cτίμμιc iure defendit O. Schneider (Jen. Litt. Ztg. 1848 p. 979). cf. Moeris 209, 12 cτῖμιc [cτίμμιc l.] Ἀττικοί, cτῖμι Ἕλληνεc. — [30]) Formas vocabuli cτίμη cτίβι iure librariorum errori tribuerunt Meineke Com. III 103 Nauck p. 205. cτίβη scriptum est apud Phryn. Bekk. 68, 18 Hesych. Phot. Antiatt. 114, 7. in minuscula quae dicitur scriptura confusio litterarum β et μ facillima. — [31]) Nauck nihil nisi verba Ἀριcτοφάνηc — μιcθοῦ Aristophani Byzantio tribuit: meo quidem iudicio illud ὥc φηcιν docet omnia esse Aristophanis verba. — colacretarum munera post Clisthenem apodectas suscepisse idem testatur Androtio ap. Harp. s. v. ἀποδέκται. — [32]) Aristophanis doctrinam tacite omnes lexicographi tradunt: Hesych. Tim. lex. Plat. p. 171. Phot. lex.

argumentis probari non opus est. altera certo testimonio Didymo tribuitur: schol. Apoll. Rh. IV 973 ὀρειχάλκοιο· φασὶν ὀρείχαλκον εἶδος χαλκοῦ, ἀπὸ Ὀρείου τινὸς γενομένου εὑρετοῦ ὠνομασμένον. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν Τελεταῖς φησι μηδὲ ὑπάρχειν τὸ ὄνομα μηδὲ τὸ τούτου εἶδος. τὸν γὰρ ὀρείχαλκον ἔνιοι ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι μέν, μὴ εἶναι δέ. τῶν δὲ εἰκῇ διαδεδομένων καὶ τοῦτο. οἱ γὰρ πολυπραγμονέστεροί φασιν αὐτὸν ὑπάρχειν. μνημονεύει καὶ Στησίχορος (frg. 88) καὶ Βακχυλίδης (frg. 68), καὶ Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς σεσημείωται τοῦτο. [ἄλλοι δὲ ἀνδριαντοποιοῦ λέγουσιν ὄνομα, ὡς Σωκράτης [ὁ Κράτης coni. M. Schmidt] καὶ Θεόπομπος ἐν εἰκοστῷ πέμπτῳ]. οὕτως ἦν ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ. Didymus totum locum ex Aristophane descripsit, verba tantum ἄλλοι δέ — πέμπτῳ de suo adiecit. Aristophanes Byzantius Aristotelem[33]), qui vocabulum exstare negaverat, Stesichori et Bacchylidis testimoniis prolatis refutavit. quae refutatio sine dubio aptissimum locum habuit in capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς.[34]) — duo haec exempla melius demonstrant qua diligentia quaque doctrina rem suam egerit Aristophanes, ut facile intellegatur, quam bonam veterum studiorum frugem haberemus, si Aristophanis disputationem in manibus teneremus talem, qualis e grammatici manibus prodiit.

2. Περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν.

Eustathius quinque locis Aristophanem laudat ἐν τῷ περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν: p. 772, 58. 1625, 32. 1720, 23. 1752, 11. 1817, 18, quinque locis omisso capitis titulo: p. 877, 49. 962, 8. 1404, 59. 1784, 22. 1828, 56, ceteris tacite grammaticum exscripsit: p. 727, 14. 711, 35. 753, 54. 763, 20. 1592, 56. 1648, 53. 1821, 34. 1872, 13. tractavit Aristophanes grammaticus hoc capite varias aetatum et hominum et animalium appellationes eo ordine dispositas, ut initium efficerent ἡλικίαι hominum sexus virilis et muliebris, sequerentur ἡλικίαι animalium mansuetorum, tum ferorum, denique avium.

Disputatio de aetatum sexus virilis appellationibus eisdem fere verbis traditur in M et apud Eust. p. 727, 14 (partes disputationis repetiit Eust. p. 763, 20. 962, 8. 1592, 56. 1720, 23). sed eadem per alterum rivulum ad nos pervenit, per Didymi συμμίκτων

Cantabr. lex. rhet. Bekk. 275, 22. cf. schol. Ar. Vesp. 695. — [33]) Aristotelem pro Aristocle librariorum errore laudari censet Val. Rose, Arist. pseud. p. 619, qui non vidit omnia ex Aristophane habere Didymum; Aristoclem Aristophanes laudare non potuit. cf. Heitz, Verlor. Schr. d. Arist. p. 295. — [34]) Hesychius quanto opere ab Aristophane pendeat hoc quoque loco egregie ostendit: ὀρειχάλκων· τῶν εἰκῇ διαδεδο[νη]μένων εἶναι τοὔνομα. οἱ δὲ πλείους ὑπάρχειν αὐτόν. ἔστι δὲ [καὶ] ὕλη ὁμοία χαλκῷ, nisi quod auctor Hesychi Aristophanis Byzantii verba τῶν δὲ εἰκῇ διαδεδομένων καὶ τοῦτο falso interpretatus est, cum ad glossam ille referret, quod de Aristotelis sententia dixerat Aristophanes.

epitomen ab Alexione confectam et ab Ammonio p. 35 Erennio Philone ap. Eust. p. 1788, 52[35]) Et. Gud. 124, 2 Et. Angel. (ed. Ritschl Opusc. I 684) adhibitam. atque Ammonius quidem et Etymologica sic auctorem denuntiant: γέρων καὶ πρεσβύτης καὶ προβεβηκὼς διαφέρει. Ἀλεξίων δηλοῖ ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Διδύμου Συμμίκτων λέγων οὕτως· ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους περὶ ἀνθρώπου γενέσεως καὶ αὐξήσεως ἄχρι γήρως. βρέφος μὲν γάρ ἐστι κτλ., Eust. breviter sic: ... ὧν τὴν ἀκολουθίαν Ἀλεξίων ἐκτιθέμενος γράφει οὕτως· βρέφος κτλ. Alexionis excerptum cum M et Eust. p. 727, 14 fere congruit, nisi quod disputatio de ἀπό praepositione et glossae ἱππεῖς, ἱππαγρέται, νυμφίος, πατήρ, ἀνὴρ νέος ab illo absunt. quod ex hoc consensu collegit Fresenius (p. 25), hanc partem hodie nos ita fere legere, ut ex ipsius scriptoris manu prodierit, equidem probare nequeo. recte dixisset Fresenius, si ipsa Didymi σύμμικτα hoc loco haberemus. atqui συμμίκτων epitomen tantum habemus et ne eam quidem sed excerptum ex epitome. itaque non mirum, quod tanto opere cum excerpto M conspirat. refutatur Freseni sententia eo maxime, quod in hac parte veterum scriptorum testimonia fere nulla exstant, cum Aristophanes Byzantius nihil fere scripserit sine testimoniis. in M et in Alexionis excerpto testimonia desunt. Eust. p. 727, 21 unum laudat Callimachum ad glossam ἀπότριχες. sed hoc loco (quo optime cum M concinit) non omnia se descripsisse quae in exemplari suo legit, ipse demonstrat p. 1720, 25, ubi disputationem de adiectivis cum ἀπό praepositione compositis accuratius repetens ἄπιχθυς vocabulum testimonio ornat ex Euripidis Erechtheo petito.

Aristophanis copias ut in capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων ita hoc loco a Didymo exhaustas videmus. sed quae in illo capite erant tractatae glossarum natura ferebat, ut in hypomnematis et in λέξει κωμικῇ Didymus eas attingeret. ea vero quae hoc capite Aristophanes enarravit nec in hypomnematis nec in λέξεων collectione certis finibus circumscripta locum habebant idoneum; itaque in Miscellaneorum librum recepit. num quae alia Aristophanea ibidem exstiterint, prorsus incertum est, quoniam συμμίκτων libri memoria nullo alio testimonio ad nos propagata est.[36]) ne hoc quidem pro certo potest affirmari, totumne caput περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν descripserit Didymus an primam tantum partem.

Tertius fons, ubi ὀνόματα ἡλικιῶν continuo recensentur, est

---

[35]) Ex Erennio Philone esse hunc locum Eustathianum — qua de re dubitare non debebat Fresenius — patet ex fragmento illius in cod. Ambr. C. 222 inf. servato (cf. Keil Mus. Rhen. nov. VI 109 sive Ritschl Opusc. I 198. Fresen. p. 53 n. 2). omnibus enim locis ubi cum Ammonio conspirat Erennium Philonem Eustathius sequitur. — [36]) Num συμποσιακῶν et συμμίκτων libri idem opus fuerint (quod Schmidt Didym. frg. p. 378 statuit) dubito. titulus ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ (v. sup. p. 298) quid sibi velit, adhuc sub iudice lis est.

Pollucis Onomasticon (II 8—13).[37]) quem si cum Aristophane et Didymo comparaveris, ipsum intelleges nec Aristophanis λέξεις nec Didymi σύμμικτα adhibuisse nec Alexionis epitomen. sed ordo disputationis is est, ut primarius auctor Aristophanes facile agnoscatur. scilicet epitomatores qui celeriter saeculis I et II sese excipiebant multa resecabant alia interpolabant. accedit quod Pollux disputationi suae synonymorum collectiones inseruit, quales per totum Onomasticon ab eo adhibitas esse constat (cf. Rohde l. l. p. 81. Schmidt Qu. Hesych. p. CXXVII). nec praecepta Atticistarum apud Pollucem frequentia ab Aristophane Byzantio non esse aliena consentaneum. sic explicandum est quod Pollucis disputatio in nominum dispositione cum excerptis Aristophaneis congruit, in ceteris vero originem suam dissimulat.

Ceteri quidem lexicographi passim ὀνόματα ἡλικιῶν tractant, ita vero ut non multum ad excerpta Byzantina vel emendanda vel supplenda conferant. omnium maxime Hesychius non nullas Aristophanis doctrinae reliquias servavit. cf. Hesych. ἀντίπαις, βούπαις, τριακάτιοι[38]), ἀποβώμιος, ἀπόθριξ, ἄπιχθυς, ἱππαγρέτας, ὠμογέρων. Creticam vocem ἀπόδρομος in Hesychiano lexico non legimus, synonymam vero ἀπάγελος, cuius mentionem ipsi deberi Aristophani recte Nauck p. 95 existimavit. idem corruptam glossam ἀγελάστους· ἐφήβους. Κρῆτες huc rettulit, emendatio vero quam proposuit (ἀγέλας· τοὺς ἐφήβους. Κρῆτες) vix est probabilis. coniecerim ἀγελάτας· τοὺς ἐφήβους. Κρῆτες. ἀγελᾶται enim videntur appellati fuisse adolescentes eidem ἀγέλῃ adscripti: cf. Heracl. Pont. Polit. 3 (Schneidewin p. 8) Ephor. ap. Strab. X 482. Laconici vocabuli ἱππαγρέτας synonyma exhibet Hesych. ἵππαρχος· ὁ τῶν νέων ἐπιμελητὴς παρὰ Λάκωσιν et παιλαγρέται· ἀρχή τις ἐπὶ ἱππέων (παιδαγρέται coni. Ruhnken ad Tim. lex. Pl. ἱππαγρέται, ἰλαγρέται M. Schmidt). Aristophanis vocabulorum ἀντίπαις et βούπαις explanatio, quae excerptis Byzantinis non iam traditur, servata videtur ab Ammonio p. 109 (Et. Gud. 447) παῖς, ἀντίπαις καὶ βούπαις διαφέρει· παῖς μὲν γάρ ἐστιν ὁ ἐν τῇ παιδικῇ ἡλικίᾳ· ἀντίπαις δὲ ὁ ἐκβεβηκὼς τοῦ παιδὸς τὴν ἡλικίαν καὶ ἤδη πρόσηβος· βούπαις δὲ ὁ μέγας παῖς. ipsum Aristophanem grammaticum videtur laudare loco valde corrupto (cf. Nauck p. 93) Suidas s. v. ἀντίπαις· ὁ ἐγγὺς ὢν τοῦ ἴουλος γενέσθαι, ὁ τὸν πώγωνα ἐκφύων. ὁ δὲ Ἀριστοφάνης ὁ πρόσηβος καὶ ἀνδρόπαις εἶπεν. verba corrupta coll. lex. Bekk. 407, 16 ἀντίπαις· ὁ πρόσηβος καὶ ἀνδρόπαις καὶ ὑπὲρ τὴν τοῦ παιδὸς ἡλικίαν (huic enim compilatori communem cum Suida fontem fuisse apparet)

[37]) Cf. E. Rohde, de Iulii Pollucis in apparatu scaenico enarrando fontibus, p. 14 sqq. Fresenius p. 12 sq. — [38]) Hoc vocabulum excerptis Byzantinis varie corruptum legitur: τριακάπους Eust. p. 727. 1592, τρικάπους M, τρικαδίους Eust. p. 1788. mire Nauck p. 95 formam τριακάδιοι probavit. scripturam unice veram τριακάτιοι exhibent Hesych. et Ammon. (τριακατίοι Ahrens Dial. Dor. p. 281).

equidem sic restituenda puto: ὁ δὲ Ἀριστοφάνης εἶπεν· (ἀντίπαις) ὁ πρόσηβος καὶ ἀνδρόπαις καὶ [ὑπὲρ] τὴν τοῦ παιδὸς ἡλικίαν (ἐκβεβηκώς).

Aristophanis disputationem de mulierum ἡλικιῶν nominibus unum excerptum M servavit. atque ad hanc Aristophanei capitis partem restituendam et emendandam propter fontium inopiam plus Pollux confert quam ad primam, ut, si aliena additamenta exemeris, excerptum M et Pollux fere invicem sese suppleant.

exc. M: Ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν τὸ μὲν βρέφος καὶ τὸ παιδίον ὁμοίως· μετὰ δὲ ταῦτα παιδισκάριον καὶ παιδίσκιον, καὶ κόριον καὶ κοράσιον[39]), καὶ κορίσκη καὶ παρθενίσκη· μετὰ δὲ ταῦτα παῖς καὶ παρθένος καὶ κόρη· εἶτα ἤδη πάλιν καὶ ταύτη ὁ τοῦ γαμεῖσθαι καιρός, εἴη γὰρ ἂν τὸ ‘πέμπτον ἀμφ’ ἥβης’, ὡς Ἡρόδοτος [immo Ἡσίοδος: Op. 698] ἀξιοῖ, ὅτε δὴ καὶ νύμφη ἂν κληθείη· μετὰ δὲ τὸν γάμον γυνὴ καὶ μήτηρ. ἤδη καλοῖτ’ ἂν καὶ μειραξ· καὶ μετὰ ταῦτα γυνὴ νέα, εἶτα μέση, εἶτα πάλιν ὁμοίως προβεβηκυῖα, προπόλιος, εἶτα γραῦς, καὶ πρεσβῦτις ἡ αὐτή, εἶτα ἐσχατόγηρως.

Pollux II 17. 18: Ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν τὰ μὲν πρῶτα ταὐτὰ μέχρι τοῦ παιδαρίου (καὶ γὰρ τοῦτο κοινὸν ἀμφοῖν θηλειῶν τε καὶ ἀρρένων), τὰ δ’ ἐφεξῆς παιδίσκη, κόριον παρ’ Εὐπόλιδι, κόρη, κορίσκιον· τὸ γὰρ κοράσιον εἴρηται μέν, ἀλλὰ εὐτελές, ὥσπερ καὶ τὸ κορίδιον ... καὶ Φρύνιχος μὲν ὁ κωμικὸς τὰς νέας ἀφήλικας λέγει· ‘ἦσαν δὲ καὶ γυναῖκες ἀφήλικες’ (Mein. Com. II 604). Φερεκράτης δὲ τὴν γεραιτάτην ὡς ἀφηλικεστάτην, ὡς καὶ Κρατῖνος ἀφήλικα γέροντα. ἐρεῖς δὲ παρθένος ὡραία γάμου .. μειραξ, μειρακίσκη ... γυνή ... γραῦς, καὶ ὡς Ἰσαῖος γεραιτέρα, γραῖα, καὶ ὡς Θεόπομπος ὁ κωμικὸς πρεσβῦτις, φίλοινος, μεθύση, οἰνοκάχλη, κοχώνη (Mein. Com. II 822), τὰ δὲ λοιπὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἄρρεσιν οἷον ἐσχατόγηρως, βαθύγηρως καὶ τὰ τοιαῦτα.

παιδάριον M omittit: iure Pollux Atticistarum praecepta secutus observat promiscue usurpari, cf. Ar. Vesp. 568 ‘τὰ παιδάρι’ εὐθὺς ἀνέλκει | τὰς θηλείας καὶ τοὺς υἱεῖς’. idem testantur Clemens Alex. Paed. I, 4, 11 (Mein. Com. IV 198) Phot. lex. rhet. Bekk. 298, 10 Moeris 207, 32 Suid. — vocabulum παιδίσκιον (M) alibi nusquam invenitur; itaque Nauck (Mélanges Gréco-Romains III p. 175) e Polluce παιδίσκη legendum censuit. equidem nescio an utrumque tenendum sit, ut παιδίσκη in M παιδίσκιον apud Pollucem exciderit. contrarium accidisse videtur in κορίσκη (M) et κορίσκιον (Poll.). — non iustum locum in M accepit μειραξ vocabulum, quod post κόρη vel παρθένος transponendum est coll. exc. ἐπ’ ἀρρένων

[39]) Unam hanc glossam ex hoc capite servavit frg. Par. § 11 καὶ κοράσιον, ἡ κόρη.

et Polluce. fragmentum huius disputationis exhibere videtur Eust. p. 1164, 20 ὑποκοριστικώτερον δὲ παιδίσκου τὸ παιδισκάριον.[40]) θῆλυ δὲ ἐκείνου ἡ παιδίσκη, ὡς καὶ τοῦ μειρακίσκου ἡ μειρακίσκη. cf. Ar. Ran. 409. Plut. 963. — κόριον κοράσιον κορίσκη sine differentia in M recensentur, Pollux κοράσιον (et κορίδιον) improbat cum Atticistis: cf. Phryn. Ecl. p. 73 κόριον ἢ κορίδιον ἢ κορίσκη λέγουσι, τὸ δὲ κοράσιον παράλογον. Phot. παιδισκάριον· κοράσιον δὲ οὐ λέγεται, ἀλλὰ καὶ κεκωμῴδηκε Φιλιππίδης ὡς ξενικόν (Mein. Com. IV 477). itidem propter ἀφῆλιξ vocabuli usum Phrynichum comicum vituperat Phrynichus Atticista Ecl. p. 84 Phryn. Bekk. 1, 1. cf. lex. Bekk. 470, 21 Suid. ἀφηλικέστερος. — puellarum nominibus nescio an addendum sit vocabulum παλλακή. ad Aristophanem enim referenda videntur quae narrat Eust. p. 763, 23 ... ταὐτὸν πάλλακα εἰπεῖν ἡλικίας λόγῳ καὶ βούπαιδα καὶ ἀντίπαιδα καὶ μελλέφηβον, ἐξ οὗ δὴ πάλλακος ἡ παλλακίς ... σαφέστερον δὲ ταῦτα φράζει ὁ γράψας ὅτι παλλακαὶ καλοῦνται τὸ μὲν ἀκριβὲς τῶν παιδισκῶν αἱ νέαι, καθὰ καὶ τῶν ἀρρένων πάλλακες. [ταύταις δὲ ἡσσώμενοί ποτε διὰ τὴν ἀκμὴν οἱ δεσπόται ἀφιᾶσι καλεῖσθαι αὐτὰς οὕτω, κἂν μηκέτι νέαι ὦσι]. ultima verba Eustathi ingenio videntur deberi. — μεῖραξ vocabulum Aristophanes Byzantius et de adulescentibus et de puellis memoravit: Pollux rursus Atticistas sequitur, qui μείρακας non dici nisi puellas iubent: cf. Ael. Dion. ap. Eust. p. 1390, 52. Phryn. Ecl. p. 212. Ammon. p. 93. Moeris 203, 19. — προπόλιον mulierem senescentem dicit M, ὑποπόλιον virum senescentem Eust. et M; Nauck (p. 97 n. 20) ὑποπόλιον corruptum et προπόλιον legendum esse existimavit. sed videtur Aristophanes utramque formam probasse: quam sententiam confirmat Pollux II 12. — ἐσχατόγηρως de mulieribus dictum ex Aristophane Byzantio affert etiam Eust. p. 1784, 23 ... καὶ ἔστιν οὕτως ὠμογέρων ὁ λεγόμενος προπόλιος [οὗ πέρας ὁ σῦφαρ, ὡς ἐν ἄλλοις δεδήλωται][41]), ὥσπερ γραὸς ἡ ἐσχατόγηρως κατὰ τὴν τοῦ γραμματικοῦ Ἀριστοφάνους παράδοσιν. [ἴσως γὰρ οὐκ ἐχρῆν ἀνδρὶ τὴν τοιαύτην προσρηθῆναι λέξιν διὰ τὸ ἀδρανὲς καὶ δυσοιώνιστον.] extrema verba inepta adiecit Eustathius, qui non meminerat se ipsum ἐσχατόγηρως vocabulum in ἀρρένων ἡλικίαις bis tradere (p. 727. 1788). cf. Fresen. p. 117 n. 3.

[40]) Sed falso Eust. de pueris παιδισκάριον accipere videtur, quod nisi de puellis non dicitur. cf. Menand. Com. IV 169. Hesych. παιδισκάριον· τὸ κοράσιον Ἀττικοί· ἐπὶ τῆς ἡλικίας. — [41]) Remittit Eustathius p. 1330, 7 et p. 1762, 17, ubi ex alio quodam fonte senum nomina recenset ὠμογέρων, γέρων, πέμπελος, σῦφαρ: p. 1330, 7 ὠμογέρων δὲ ἡλικία πρεσβυτική, μεθ' ἣν γέρων, εἶτα πέμπελος, ἔπειτα σῦφαρ, καθὰ καὶ Λυκόφρων οἶδεν. p. 1762, 17 ὠμογέρων μὲν γὰρ ἡλικία γέροντος ἄρτι παραλλάξαντος τὸν ἀκμάζοντα καὶ ἐλευσομένου εἰς τὸ λέγεσθαι γέρων, εἶτα εἰς τὸ πέμπελος, μετὰ δέ γε εἰς τὸ σῦφαρ. πέμπελος et σῦφαρ nomina non memoravit Aristophanes, quod ipse Eust. indicat. p. 1788, 58 ... ταῦτα ὁ Ἀλεξίων, μὴ εἰπὼν καὶ τίς ὁ πέμπελος (Lyc. 125) καὶ ὁ παρὰ τῷ Λυκόφρονι (793) σῦφαρ, ἀλλ' ὡς εἰκὸς διὰ τοῦ ἐσχατόγηρως συνδηλώσας καὶ αὐτούς. nec Pollux memorat.

Altera parte capitis περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν Aristophanes animalium cuiusvis aetatis nomina recensuit. ac de mansuetis quidem animalibus disputationem integriorem quam cetera capita Aristophanea exhibent M et Eustathius p. 1625, 32. initium disputationis tribus locis tractavit Eust.: p. 1625, 32. 877, 49. 1648, 53. singulis animalium generibus in M praecedunt appellationes pastorum gregumque his formulis: οἱ δὲ ... νέμοντες ..., τὸ δὲ πλῆθος ... Eust. p. 1625, 32 consulto eas omisit, omnes vero simul congessit p. 1648, 53. tertio denique loco (p. 877, 49) fideliter fontem expressit, disputationi de μῆλα et μηλωτή vocabulorum usu praemissis nominibus pastoris gregisque ovium; incipit autem a generali observatione αἰπόλων καὶ συβωτῶν καὶ τῶν ἄλλων γένος ὁ νομεύς. quae verba quid sibi velint, ignorare videtur Fresenius. qui cum de priorum locorum (p. 1625. 1648) ratione recte disputaverit, de verbis descriptis sic iudicat (p. 61): 'peculiare autem disputationis Aristophaneae membrum haec verba mihi esse videntur'. in appendice vero his verbis eum locum tribuit (44), ut νομεύς nomen nisi de ovium pastore non dici credas. initium totius disputationis illis verbis significari manifestum est: νομεύς glossa ante num. 33 append. Fresen. transponenda est. Eustathi verba τὰ τοῦ γραμματικοῦ Ἀριστοφάνους ἔχοντα οὕτω πως indicant non continua omnia describi, sed inter νομεύς glossam et verba οὕτω δὲ καὶ ποιμένων aliquid omitti (nempe disputationem de capris). excerpti M quoque verba αἰπόλος μὲν ὁ τῶν αἰγῶν νομεύς vocabulum νομεύς in initio exstitisse demonstrant. nam in ceteris generibus constanter codicis M librarius hac formula utitur: οἱ δὲ ... νέμοντες. verba αἰπόλων καὶ συβωτῶν καὶ τῶν ἄλλων γένος ὁ νομεύς ille omisit, nomen vero νομεύς cum sequentibus coniunxit: αἰπόλος μὲν ὁ τῶν αἰγῶν νομεύς.

Consulto Eust. p. 1625 omnia praetermisit quae p. 877 et p. 1648 satis accurate tractavit. p. 1648 praeter pastorum gregumque nomina nihil fere exhibet, quin p. 877 legatur: atque eadem breviter tertium repetiit p. 1828, 56. Nauck eos locos non receperat in fragmenta capitis περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν (v. Nauck p. 197), nec potuit recipere, quoniam nihil in eis invenitur quod ad animalium ἡλικίας pertinere videatur. exhibent enim praeter collectionem pastorum gregumque nominum doctam de μηλωτή οἰέη μῆλα πρόβατα vocabulorum usu disputationem. depromptos esse locos e capite περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν reliquiae docent in M servatae.

Excursum de μῆλα et πρόβατα vocabulis excipiunt in M equorum pastorum gregumque nomina, adduntur etiam equilium appellationes ἱπποφόρβια μάνδραι, ἡλικιῶν vero equorum nomina exciderunt. apud Eustathium de equis nihil invenimus (nisi quod p. 1648 pastorum nomina ἱπποκόμοι et ἱπποπόλοι memorantur). lacunam supplendam esse conicio glossis λειπογνώμων et ἄβολος ἵππος, quae in excerpto M non commemorantur. λειπογνώμων glossam egregie

illustravit Eust. p. 1404, 59 (Nauck frg. 2): [ἔτι ἐκ τοῦ βάλλειν ἢ τῆς βολῆς καὶ ὁ πρωτοβόλος ἵππος, οὐ χρῆσις ἐν τῷ·] τὰ τέλεια ἐπὶ πλείστων γενῶν καὶ κατηρτυκότα λειπογνώμονα καλεῖται, διὰ τὸ μηκέτι ἔχειν ὀδόντας τοὺς γνώμονας καλουμένους, οἷς ἐπιγινώσκουσιν οἱ ἔμπειροι τοὺς πρωτοβόλους. ὁ δὲ τοῦτο γράψας Ἀριστοφάνης λέγει καὶ Ἀττικήν τινα δωδεκῆδα θύεσθαι λεγομένην λειπογνώμονα, οἷον τελείαν. καὶ ὅτι ἔνιοι τὸν ῥηθέντα ὀδόντα οὐ γνώμονα καλοῦσιν, ἀλλὰ γνῶμα, οἷον ‘νέα δ᾽ ἔτ᾽ ἐστίν· οὐχ ὁρᾷς; καὶ γνῶμ᾽ ἔχει᾽. καὶ πάλιν ‘γνῶμα γοῦν βέβληκεν ὡς οὖς᾽ ἑπτέτις᾽ (Mein. Com. IV 627).[42]) proprie λειπογνώμων de equis dicebatur (cf. Eust. p. 1627, 14), tum vero ad ceteros quadrupedes translatum est. maxime Pollucis consensu (I 182) commoveor ut de λειπογνώμων vocabulo egisse Aristophanem suspicer, ubi equorum nomina illustravit.[43]) cum λειπογνώμων vero glossa coniungendam esse arbitror ἄβολος ἵππος paullo post ab Eustathio p. 1405, 19 his verbis explicatam ... καὶ ὁ ἄβολος ἵππος ὁ μηδέπω, φασίν, ἐκβεβληκὼς πῶλος τὸν εἰρημένον γνώμονα ὀδόντα. verbis τὸν εἰρημένον remittit ad excerptum Aristophaneum paullo ante a se laudatum.

In eis quae sequuntur de mulis asinis bubus invicem se supplent Eust. et M. omisit Eust. glossas ὀρεωκόμοι, ὀρεῖς, ὀνοφορβοί, πῶλοι, M ὑποζύγιοι, πόρτιες, κεράδες[44]) et glossae βούβαλις testimonia ex Aeschylo et Sophocle laudata. de vitulorum nominibus discrepat M ab Eustathio; cum hic in illis recensendis sexum non discernat: τὰ δὲ νέα δαμάλαι καὶ δαμάλιες καὶ μόσχοι καὶ πόριες καὶ πόρτιες καὶ πόρτακες, M distinguit: τὰ δὲ νέα ἄρρενα μὲν μόσχοι καὶ πόριες καὶ πόρτακες, θήλεα δὲ δαμάλαι καὶ δαμάλιες [καὶ βουβάλιες].[45]) quae distinctio num Aristophanis sit valde dubito (cf. Fresen. p. 119 n. 5). nam quod de μόσχος et πόρις nominibus praecipitur falsum est. μόσχος promiscue usurpabant: de vitulo Plat. Apol. 20a. Crat. 393c, de Api Aegyptiorum Herod. III 28, de leone Eur. Bacch. 1184; de vitula Eur. Iph. Aul. 1113. Bacch. 736. Cycl. 389. idem a tragicis poetis de hominibus promiscue usurpatum est: de puero e. g. Eur.

---

[42]) Ab Aristophaneo loco supra descripto prorsus secernendus est alter Eustathi locus p. 1627, 14, cuius gemelli exstant apud Etym. Mg. 3, 54. Zonar. p. 3 (et Eudemum teste Bekkero): quo e consensu efficitur Eustathium p. 1627, 14 hausisse e lexico rhetorico. falso igitur Nauck p. 100 de hoc loco iudicavit: ‘in quo Aristophanis grammatici agnoscimus vestigia’. — [43]) Fresenius (p. 59 n. 1) λειπογνώμων glossa supplendam esse putat lacunam ab Eust. p. 1625, 45 verbis σὺν δὲ ἄλλοις διαφόροις παραδίδωσι καὶ ὅτι indicatam. at eam ipse Eust. supplevit p. 1752, 11 (συῶν ἡλικίαι). — ceterum idem fecit Ar. Byz. cum nomine πῶλος, quod in asini ἡλικίαις profert, cum de aliis quoque dicatur; cf. exc. M τούτων δὲ πάντων τὰ νεώτατα πῶλοι, πρὸς δὲ καὶ τῶν καμήλων καὶ ἐλεφάντων. — [44]) Glossam κεράδες apte βούβαλις glossae adiunctam Fresenius cur συῶν ἡλικίαις postposuerit, non intellego. — [45]) Quod βούβαλις nomen cum vitulis coniunctum est, epitomatoris neglegentiae tribuendum.

Iph. Aul. 1623, de puella e. g. Eur. Hec. 205. 526. πόριc omnibus locis vitulam significat: κ 410 (ubi schol.: πόριες· νέαι βόες, μόσχοι). Eur. Suppl. 629. Bacch. 737. Arat. 1120. πόρτιc vitulam significat E 162. hymn. Cer. 174. Soph. Trach. 539 aliis locis, vitulum duobus locis Aesch. Suppl. 42. 313 (ubi Διὸc πόρτιc appellatur filius Ius et Iovis). cf. Hesych. πόρτιc· δάμαλιc ἢ νέα βοῦc. — πόρταξ non legitur nisi P 4, ubi genus agnosci nequit: scholia πόρταξ idem esse quod πόριc et πόρτιc adnotant.

In disputatione de suum nominibus Eustathius p. 1752, 11 Aristophanem grammaticum laudat ἐν τῷ περὶ ἡλικιῶν, cum aliis locis hoc caput iusto titulo laudet περὶ ὀνομαcίαc ἡλικιῶν. causam perspexit Fresenius (p. 67); Eustathius enim, cum Athenaeum hoc loco excerperet, verba quoque Ἀριcτοφάνηc ὁ γραμματικὸc ἐν τῷ περὶ ἡλικιῶν ex Athenaeo (IX 375 a) descripsit, verba autem grammatici non ex Atheneao sed e suo Aristophanis λέξεων exemplari deprompsit.

Ex hac parte capitis περὶ ὀνομαcίαc ἡλικιῶν unum locum cum Aristophanis grammatici nomine servavit etiam Hesych. ἴννοc· ὁ πῶλοc ὁ ἐξ ἵππου πατρὸc καὶ μητρὸc ἡμιόνου, ἄλλοι δὲ ὄνου Ἀριcτοτέληc δέ φηcιν ἴννον ἡμίονον ἄρcενα τουτέcτιν ὀρέα, τὸν ἐπὶ θηλείαc ἀναβαίνοντα· (γ)ίννον δὲ ἐξ ἵππου νοcηcάcηc (cf. Arist. A. H. VI 24, 1). ἄλλοι δὲ ἡμιόνιον ἢ ἱππάριον ἀναυξές. Ἀριcτοφάνηc δὲ τοὺc ἴννουc γίνεcθαι ἐξ ἵππου πατρός, ὄνου δὲ μητρός. quae cum M et Eust. p. 1625 concinunt. Aristotelem fortasse Aristophanes excitavit, ut qui philosophi celeberrimi libros studiose tractaret (v. sup. p. 298) eiusque Animalium Historiam in epitomen redigeret (Nauck p. 280. Valentin Rose, Anecd. Gr.-Lat. II p. 1 ss.).

Atque duo haec fragmenta nominatim Aristophani tribuuntur ab Athenaeo et Hesychio. sed in Hesychii lexico nec minus apud ceteros lexicographos et apud scholiastas alia non pauca inveniuntur, quae Aristophaneam doctrinam studiose a posteris esse adhibitam demonstrant. agmen ducit Aristarchus Aristophanis discipulus praeclarissimus, cuius observationes Homericae per scholia vetera dispersae non semel discipulum vestigia legisse magistri produnt. quantam vero Aristophanes vel in λέξειcιν carminum Homericorum habuerit rationem, primo oculorum obtutu nemo non videt. de ἰονθάc vocabulo (ξ 50) observavit Aristophanes ὅτι ἐφ' ἡλικίαc τινὸc καὶ μεγέθουc αὐτό φηcιν ὁ ποιητής (Eust. p. 1625): idem igitur esse quod τέλειοc existimavisse videtur. probavit Aristarchus teste Apoll. lex. 91, 30 ἰονθάδοc· ὁ Ἀπίων τῆc δαcείαc ... διὰ δὲ τοῦ Ἀριcτάρχου ὑπομνήματοc ἰονθάδοc ἔνιοι ἀποδιδόαcι τελείου κτλ. alii ἰονθάc idem esse quod νέοc affirmabant, ἴονθον esse πρώτην τριχῶν ἔκφυcιν. cf. Phryn. Bekk. 44, 23. — quae de μῆλα et πρόβατα nominum usu Aristophanes observavit, omnes descripserunt, primus Aristarchus teste Aristonico schol. K 485: ὅτι μῆλα οἱ νεώτεροι

(Aristoph. Byz. Sophoclem et incertum quendam poetam laudat) πάντα τὰ τετράποδα. Ὅμηρος δὲ αἶγας καὶ ὄϊς ʽμῆλ᾽ ὄϊές τε καὶ αἶγες᾽ (ι 184). v. Lehrs Arist.[2] p. 100. cf. Apoll. lex. 11, 7 (Hesych.) μῆλα· κοινῶς μὲν πάντα τὰ τετράποδα, ὅθεν καὶ πᾶσα βύρσα ὅ ἐστι πᾶν δέρμα μηλωτὴ λέγεται, κατ᾽ ἐπικράτειαν δὲ τὰ πρόβατα καὶ αἶγες: Et. Mg. 584, 13 Phot. Suid. lex. Bachm. — πρόβασιν apud Hom. β 75 Aristophanes interpretatur τὴν τῶν τετραπόδων βοσκημάτων κτῆσιν (Eust. p. 877. 1648). item Hesych. Tim. lex. Plat. p. 224 πρόβασις· ἡ τῶν βοσκημάτων κτῆσις. item Aristophanem sequitur Aristarchus ap. Aristonicum schol. Ξ 124 ὅτι πρόβατα πάντα τὰ τετράποδα κτλ. (Lehrs Arist.[2] p. 101): eadem Apoll. lex. 136, 11. nec aliter Hesych. Phot. Suid. πρόβατα· τὰ τετράποδα. Erot. p. 108, 3 πρόβατα· οὕτω καλεῖται κοινῶς πάντα τὰ τετράποδα νῦν. Antiatt. 112, 1 πρόβατα· πάντα τὰ τετράποδα. ʽΗρόδοτος τετάρτῳ (IV 61).[46]) neglegenter sane ab his omnibus πάντα τὰ τετράποδα dictum, cum Aristophanes accuratius τετράποδα βοσκήματα diceret.[47]) — multae glossae praecipue in Hesychi lexico insunt, quarum primarium auctorem haud difficile agnoscas Aristophanem Byzantium: cf. Hesych. πρητῆνας, ἐπιπρητήν, ἄρνες, ἀμνόν, φάγιλος, γνῶμα, λειποτνώμων, λιποτνώμων, ἄβολος, ὀρεοκόμος, ὀρεῖς, ἀστράβη (Aristophanea interpretatio in fine memoratur, sicut in ἴννος glossa supra p. 305 descripta), ἀτιμαγέλας, τρομφάς. Photiani lexici glossae ad Aristophanem referendae sunt hae: λιποτνώμων, ὀρεωκόμος (= Suid.), ὀρεῖς; in eodem olim exstabat (nunc maiore lacuna deperdita) glossa ἀστράβη: cf. lex. Bekk. 454, 18. Et. Mg. 159, 50. Suid. ἀστράβη.[48])

Iam ut ad eum librum transeamus quo res secundum argumenta dispositae tractantur, Pollux de hoc argumento tribus locis disputavit. ac primum quidem duos similes locos inspiciamus.

Pollux I 249 μέρη δ᾽ ἂν εἴη τῶν κατ᾽ ἀγροὺς βουκόλια, αἰπόλια, ποίμνια. καὶ ὅπου μὲν αἱ βόες ἵστανται βούσταθμα, βοαύλια, βουστάσεις· ὅπου δὲ αἱ ὄϊς καὶ

Pollux VII 184 νομὴ νομεῖς νέμειν . . . προβατεῖς . . . πρόβατα, προβατοκάπηλος. καὶ αἱ προβάτων ἡλικίαι· τὸν μὲν ἀπὸ γονῆς εἴποις ἂν μοσχίον, τὸν δ᾽ ἐσθίοντα ἄρνα, εἶτα ἀρνειὸν ὃς

[46]) Eundem Herodoti locum laudat Eust. p. 1648. sed Nauck ea verba iure uncis inclusit; Eust. enim Herodotum scholiorum fide excitavit, cf. schol. (B) Δ 476 μῆλα ὁ ποιητὴς τὰ πρόβατα καὶ τὰς αἶγας, Ἡρόδοτος δὲ (πρόβατα) τὰ τετράποδα πάντα. πρόβατα addendum esse vidit etiam Dindorf (Schol. Il. tom. IV p. 411). — [47]) Itaque recte quidem Nauck p. 200: 'tandem epitomatores tradunt πρόβατα esse πάντα τὰ τετράποδα, qui significatus Homero certe ignotus'. non item τετράποδα βοσκήματα. cf. Ξ 124. — [48]) Ab Aristophane ἀστράβαι dicuntur οἱ καταμόνας σωματηγοῦντες ἡμίονοι. alii nescio qui ἀστράβην 'clitellas' esse voluerunt. Aristophanem sequuntur Pollux VII 186 Harp. Moeris 190, 22, utramque explicationem praebent Hesych. lex. Bekk. Suid. Et. Mg. Hellad. (Phot. Bibl. p. 533a).

αἱ αἶγες αὐλὴ καὶ σηκός. καὶ ὁ μὲν βουκόλος καὶ βουτρόφος ἂν λέγοιτο καὶ βουφορβός, ὥσπερ ὁ ὑποζευγνὺς αὐτὰς βοηλάτης, ὁ δὲ τῶν προβάτων ἡγεμὼν ποιμήν, ὥσπερ ὁ τῶν αἰγῶν αἰπόλος. οἱ δὲ πάντων τῶν τετραπόδων νομεῖς (v. sup. p. 303). τῶν δὲ προβάτων καὶ αἰγῶν τὰς ἡλικίας ὁ ποιητὴς διακρίνων προγόνους καὶ μετάσσας καὶ ἔρσας ὠνόμασεν. καλεῖται δὲ τῶν μὲν βοῶν τὰ νέα μόσχοι, τῶν δὲ προβάτων ἄρνες, τῶν δὲ αἰγῶν ἔριφοι, ὥσπερ τῶν μὲν αἰγῶν ὁ ἡγεμὼν τράγος, τῶν δὲ οἰῶν κριὸς καὶ κτίλος, τῶν δὲ βοῶν ταῦρος. [τὰ δὲ ῥήματα νέμειν . . .] συβώτης δὲ ἐρεῖς καὶ συβόσια καὶ συφεοὶ καὶ συφοὶ καὶ χοιροκομεῖα, ἐργμὸς ὑῶν· χοῖροι, ὕες τέλειοι, ὕες ἀγάλακτοι καὶ γαλαθηνοί, καὶ δέλφακες καὶ τὰ ὀψίγονα μετάχοιρα. καὶ ἀρὴν παρὰ τοῖς ποιηταῖς καλεῖται, εἶτα λιπογνώμονα. ποιμένες, αἰπόλοι, ποίμνια, αἰπόλια, ποιμαίνειν, αἰπολεῖν, ποιμνῖται κύνες, αἰπολικοὶ κύνες. ἱπποφορβοί, ἱπποφορβία, καὶ ὡς Σοφοκλῆς ἱπποβουκόλοι [Εὐριπίδης coni. Valckenaer coll. Phoen. 28], ἱπποφορβεῖς. βοηλάται, βουφορβοί, βουκάπηλοι, ζευγηλάται, Σοφοκλῆς δ' ἔφη· 'ποππύζεται ζευγηλατρίς' (frg. 883). ἀστραβηλάται, καὶ παρὰ τοῖς Δωριεῦσιν ὀνοκίνδιοι καὶ κιλλακτῆρες. ὄνος, ἡμίονος, ἀστράβη, νωτεῖς ἡμίονοι καὶ ζύγιοι .... τὸ δὲ τοῦ ἀστραβηλάτου ῥῆμα ἀστραβεύειν Πλάτων εἴρηκεν ἐν Ἑορταῖς (Mein. Com. II 628) . . . Ἀριστοφάνης δὲ καὶ βοηλατεῖν καὶ ὀνηλατεῖν εἶπεν (frg. 598). ὑοπῶλαι [ὑοπόλοι conicio], ὑοφορβοί, συβῶται, συφορβοί, συβώτριαι, χοιροπῶλαι [χοιροπόλοι conicio] Ἀριστοφάνης ἐν Ὥραις (frg. 485). καὶ ὕες σύες, χοῖροι χοιρίδια, δελφάκια, καὶ τὰ ὀψίγονα καὶ σμικρὰ μετάχοιρα, συφεός, ὑφεός, συφός, χοιροκομεῖον, χοιροτροφεῖον δὲ ὅ τε συφὸς καὶ πλέγμα τι, ἐν ᾧ χοῖροι τρέφονται.

Quos locos si inter se et cum Aristophane Byzantio comparaveris, statim eos e diversis fluxisse fontibus intelleges et alterum locum (VII 184) ab Aristophane omnino esse removendum. nam nihil fere is continet quod ad Aristophanem aliquo modo possit referri: est mera verborum synonymorum collectio sine ulla utilitate confecta. id vero quod unum hoc loco utile narratur, προβάτων ἡλικίας dico, ab Aristophanis Byzantii doctrina prorsus discrepat. Aristophanes duas distinguit προβάτων ἡλικίας, τὰ τέλεια (quibus ὅϊς κριός ἀρνειός nomina tribuit) et τὰ νέα (quibus ἄρνες ἀμνοί φάγιλοι nomina ascribit). Pollux (VII 184) quattuor vel potius quinque ἡλικίας recenset: μοσχίον — ἄρνα — ἀμνόν — ἀρνειόν — λιπογνώμονα. accedit quod λειπογνώμων ab Aristophane alio loco tractatum est. sequitur autem Pollux Istrum Callimacheum, quem ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν illum προβάτων ἡλικιῶν ordinem tradi-

disse testantur Suid. s. v. ἀμνόν Eust. p. 1627, 12: Ἵστρος ἐν ταῖς Ἀττικαῖς (λέξεσιν)· ἄρνα, εἶτα ἀμνόν, εἶτα ἀρνειόν, εἶτα λειπογνώμονα. μοσχίον δὲ τὸν πρῶτον.[49])

Verum priore loco (I 249) Pollux totus fere ab Aristophane Byzantio pendet, si pauca synonyma exemeris. nulla fere observatio, nullum fere verbum, quod non invenias apud Aristophanem. quod autem gravissimum est, etiam errorem Pollux descripsit quem grammaticus Alexandrinus commisit. ubi de capris disputat, Homericos versus ι 221. 222 sic interpretatur: ὁ δὲ ποιητὴς ἐν Ὀδυσσείᾳ τὰ τέλεια μὲν προγόνους καλεῖ, τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μετάσσας, τὰ δὲ ἔτι νεώτερα ἔρσας. at poeta non caprarum aetates distinxit sed haedorum (ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων). recte interpretatur Apoll. lex. 135, 10 πρόγονοι· πρωτόγονοι ἄρνες. αἱ δὲ μετὰ ταῦτα γεννώμεναι μέτασσαι λέγονται. ἔρσαι δὲ αἱ ἁπαλαὶ [καὶ αἱ ἐν τῷ ἔαρι γεγενημέναι]. cf. Et. Mg. 377, 37 ἔρσαι· . . . ἢ αἱ ἁπαλαὶ καὶ τελείως νέαι, μεταφορικῶς, ὡς Ἀριστόνικος ἐν σημείοις. itaque iure Nauck (p. 105) iudicavit: 'si vere Aristophanes scripsit quod scripsisse ab Eustathio traditur, fugacitatis culpa non eximendus est'. errorem non ab Eustathio sed ab Aristophane prodiisse M docet. Pollux (vel potius eius auctor) vero sine ulla dubitatione errorem descripsit: τῶν δὲ προβάτων[50]) καὶ αἰγῶν τὰς ἡλικίας ὁ ποιητὴς διακρίνων κτλ.

Tertius huc pertinet locus Pollucis I 181: Ἱππικὰ ὀνόματα, ἀγέλη ἵππων, ἱπποτρόφος, ἀγελητρόφος, ἱππονόμος, ἱππαγωγός . . . ἱπποφορβός. εἶτα ἵπποι φορβάδες, ἵπποι ἀγελαῖοι . . . πῶλοι ἄβολοι οἱ πώλων καὶ τελείων μέσοι· οὕτω γὰρ Πλάτων τοὺς δευτεροβόλους ὀνομαζομένους ἐκάλεσεν τελείους. οἱ δὲ γεγηρακότες ἀγνώμονες καὶ λιπογνώμονες· γνώμων γὰρ λέγεται ὁ ἀποπίπτων ὀδούς, τῆς ἡλικίας ὧν γνωριστικός. Aristophaneam esse doctrinam facile intellegitur. ἀγέλην etiam de equis usurpari nemo observavit praeter Aristophanem (M) et Pollucem (cf. T 281. Anaxandr. Com. III 182 v. 24). item nemo ἱππονόμος nomen tradidit.[51]) maxime autem ab Aristophane Pollucem pendere demonstrant glossae πῶλοι ἄβολοι, λιπογνώμονες, γνώμων.[52]) itaque hoc praecipue Pollucis consensu commotus in equorum ἡλικίαις eas glossas locum habuisse conieci

---

[49]) Corrupta Eustathi verba ἐλέγετο δὲ καὶ μοχίας ὁ τριέτης κριός e Suida et Hesychio corrigenda sunt in μοχίον (δὲ τὸν πρῶτον)· ἐλέγετο δὲ καὶ (ἀρνειὸς) ὁ τριέτης κριός. cf. Hesych. ἀρνειός· ὁ τριέτης κριός. — falso Lobeck Prol. p. 31 Eustathium p. 1627 ex Aristophane hausisse contendit: quem errorem non refutavit Nauck p. 107 n. 42. — Pollux verbis ὃς καὶ ἀρὴν παρὰ τοῖς ποιηταῖς καλεῖται (quae Eust. Suid. omittunt) quid sibi velit non perspicio. — [50]) Ad oves et capras refert versus Homericos, rectius ille quam excerpta Aristophanea. — [51]) Ἱππονόμος in libris exstat Soph. Ai. 232 ('καὶ βοτῆρας ἱπποκόμους'), sed in cod. Laur. 'ό in litura alius litterae et ους ex ας facto' (Dindorf). e Porsoni coni. legitur ἱπποκόμας. — [52]) Cetera testimonia partim corrupta sunt: Phryn. Bekk. 49, 33. Hesych. ἄβολος. schol. Plat. Legg. VIII 834c. lex. Bekk. 322, 2.

(v. sup. p. 304). Pollucis igitur auxilio equorum ἡλικίαι apud Aristophanem Byzantium fortasse sic restituendae sunt: ἵππων οἱ τέλειοι λειπογνώμονες . . . οἱ δὲ νέοι πῶλοι, μέσοι δὲ ἄβολοι ἵπποι.

Extremam huius capitis partem, disputationem de feris animalibus et de avibus supplere licet ex Aeliani Natura Animantium VII 47. M in hac parte tantam epitomatoris neglegentiam prae se fert, ut nihil fere utilitatis praeberet, nisi Eustathius et Aelianus subvenirent: permulta ille omisit, cetera vel contraxit vel conglutinavit, passim meras glossas servavit interpretationibus omissis. nec Eustathius in his eandem curam diligentiamque praestitit quam in superiore parte. Aeliano vero ne iusto plus fidei habeamus maxime cavendum est: ne is quidem celeberrimi grammatici observationes satis magna fidelitate expressit. sed videtur ipse non iam integrum ad manus habuisse exemplar, perpauca praebet quae in excerptis Byzantinis exstitisse non videantur.

Initio disputationis Aristophanes Byzantius pullorum omnium ferarum nomina congessit: omnia omisit M, pauca descripsit Eust. (p. 1625), multo plura Aelianus.[53]) nominibus pulli leonis quae excerptis Byzantinis et ab Aeliano traduntur addendum videtur δρόcoc vocabulum ab Aeschylo Agam. 141 usurpatum. huc enim refero quod Herodianus schol. A 567 (v. sup. not. 6) memoriae prodidit (Nauck frg. 59): ἐν δὲ ταῖc Ἀριcτοφάνουc γλώccαιc διὰ τοῦ ε̄ ἐγέγραπτο ἀέπτουc. Aristophanes grammaticus δρόcoc vocabuli illustrandi causa Aeschyli versum δρόcοιcιν ἀέπτοιc μαλερῶν τε λεόντων laudaverit. Aristonicus quoque hunc λέξεων Aristophanearum locum videtur respexisse: cf. Et. Mg. 377, 37 ἔρcαι· .... ὡc Ἀριcτόνικοc ἐν cημείοιc. ἔρcη γάρ ἐcτιν ἡ δρόcoc. καὶ Αἰcχύλοc ἐν Ἀγαμέμνονι τοὺc cκύμνουc τῶν λεόντων δρόcουc κέκληκε, μεταφράζων τοῦτο. — secutae sunt ἐλάφων ἡλικίαι in M et apud Eustathium traditae. quod Aelianus eas omisit, causam reperisse mihi videor. huc enim pertinere videntur quae de Anacreontis quodam versu ex Aristophane Byzantio profert Aelianus N. A. VII 39: Ὅcοι λέγουcι θῆλυν ἔλαφον κέρατα οὐ φύειν, οὐκ αἰδοῦνται τοὺc τοῦ ἐναντίου μάρτυρας, Cοφοκλέα μὲν εἰπόντα ‘νομάc τέ τιc κεροῦcc’ ἀπ’ ὀρθίων πάγων | καθεῖρπεν ἔλαφοc’, καὶ πάλιν ‘ἄραca μύξαc _ ⏑ καὶ κερacφόρουc | cτόρθυγγαc εἶρφ’ ἔκηλοc’. καὶ ταῦτα μὲν ὁ

[53]) Aeliani verba παρδάλεων δὲ cκύμνοι τε καὶ ἄρκηλοι ex Eustathio emendanda esse sic: παρδάλεων δὲ cκύμνοι (καὶ παρδαλιδεῖc, ἄρκτων δὲ cκύμνοι) τε καὶ ἄρκηλοι monuit Nauck p. 115. Fresenius (p. 120 n. 3) sequentia verba εἰcὶ δὲ οἵ φαcι γένοc ἕτερον τῶν παρδάλεων τοὺc ἀρκήλουc εἶναι delenda esse censet non dubitans ‘quin addita sint aut a librario qui Aeliani verba aut, quod equidem malim, ab Aeliano qui Aristophanis verba mutilata legerit’. verba illa sana sunt, si pro τῶν παρδάλεων scripseris τῶν ἄρκτων. cf. Hesych. ἄρκηλα· ὠόν [ζῷον Nauck]. Κρῆτεc τὴν ὕcτριχα. iam apparet errorem esse ipsius Aeliani, non librariorum.

τοῦ Σοφίλλου ἐν τοῖς Ἀλεάδαις (frg. 110). ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ (v. Dindorf ad Iph. Aul. 1532)

'ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν ἐνθήσω φίλαις
κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
σφάζειν θυγατέρα'.

ἐν δὲ τοῖς Τημενίδαις τὸν Ἡράκλειον ἆθλον κέρατα ἔχειν ὁ αὐτὸς Εὐριπίδης φησὶ τὸν τρόπον τόνδε ᾄδων

'ἦλθεν δ'
ἐπὶ χρυσόκερων ἔλαφον, μεγάλων
ἄθλων ἕνα δεινὸν ὑποστάς
κατ' ἔναυλ' ὀρέων ἀβάτους ἐπί τε
λειμῶνας ποίμνιά τ' ἄλλη' (frg. 740).

ὁ δὲ Θηβαῖος μουσοποιὸς ἔν τινι τῶν ἐπινικίων ὑμνεῖ λέγων

'Εὐρυσθέος ἔντυ' ἀνάγκα πατρόθεν
χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν ἄξονθ'' (Olymp. III 28).

καὶ Ἀνακρέων ἐπὶ θηλείας φησίν

'οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα
γαλαθηνόν, ὅς τ' ἐν ὕλῃ κεροέσσης
ὑπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη' (frg. 52).

πρὸς δὲ τοὺς μοιχῶντας τὸ λεχθὲν καὶ μέντοι καὶ φάσκοντας δεῖν ἐροέσσης γράφειν ἀντιλέγει κατὰ κράτος Ἀριστοφάνης ὁ Βυζάντιος καὶ ἔμεγε αἱρεῖ τῇ ἀντιλογίᾳ. impugnat Aristophanes Zenodotum, qui ἐροέσσης scripsit pro κεροέσσης teste schol. Pind. Ol. III 52, ubi idem Anacreontis frg. legitur.[54]) totusne locus quem descripsi an Anacreontis tantum versus ex Aristophane deprompti sint ab Aeliano dubitari potest: prius vero probabilius videtur coll. Polluce V 76, ubi Anacreon et Sophocles eodem modo coniunguntur (etsi uterque vituperatur quod cervas κεροέσσας dixerit): Τῶν δὲ ἐλάφων ἄκερως μὲν ἡ θήλεια, ὁ δ' ἄρρην κερωφόρος ἢ κερασφόρος ἢ κεράστης ... καὶ Ἀνακρέων μὲν σφάλλεται κερόεσσαν ἔλαφὸν προσειπών, καὶ Σοφοκλῆς κεροῦσσαν τὴν Τηλέφου τροφόν, Ὅμηρος δὲ ὀρθῶς λέγει 'ἀμφ' ἔλαφον κεραόν' (Λ 475). in capite autem περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν illa exstitisse iure coniecit Nauck (p. 61), quoniam de editione Anacreontis ab Aristophane curata vel diorthosi nihil accepimus. locum vero quem significavi magis illi observationi convenire arbitror quam cui Nauck eam vindicavit.[55])

Cervos sequuntur lepores, vulpes, apri. vulpium nomina omisit Eust., aprorum appellationes uberius tractat quam M et Aelianus. desinunt M et Aelianus in voce μονιοί et omittunt observationem de significatione vocabuli χλούνης bis ab Eustathio traditam (p. 772, 58. 1872, 13).[56])

---

[54]) Idem servavit Athen. IX 396d, unde Eust. p. 711, 34 haec habet: φέρεται δὲ καὶ Ἀνακρέοντος χρῆσις αὕτη· 'οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνόν'. Athenaeo opponit Aristophanem Byzantium verbis ἕτερος δέ τις γράφει οὕτω κτλ. — [55]) Coniungi voluit cum κεράδες glossa a solo Eustathio tradita: sed ea et ipsa falsam sedem obtinere et huc trahenda videtur. cf. schol. Ap. Rh. IV 175. — [56]) Eustathi verba (p. 1817, 18)

Finis capitis valde mutilatus et corruptus ad nos pervenit. M caprearum nominibus δορκάδες ζόρκες πρόκες adiungit haec: τὰ δὲ νέα τούτων ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα, quae ad ὑστρίχους referenda esse testantur Ael. et Eust. p. 1625. tum in M sequuntur haec: τὰ ἔμβρυα δὲ τὰ ἀρτιγέννητα καὶ ψάκαλα. ap. Eust. p. 1625 haec: ἔμβρυα δέ τινα καὶ ἀρτιγενῆ δὲ ψάκαλα λέγει καλεῖσθαι [καὶ ὀρταλίχους[57])], p. 777, 62 ... καὶ ὅτι ψάκαλα τὰ ἔμβρυα καὶ τὰ ἄρτι δὲ γεγονότα. quibus comparatis in M καί inserto sic legendum videtur: τὰ ἔμβρυα δὲ καὶ τὰ ἀρτιγέννητα καὶ ψάκαλα (scil. καλοῦσιν). at valde discrepat Aelianus, qui haec scribit: τὰ δὲ ἔτι ἐν τῇ γαστρὶ ἔμβρυα καλοῦσι. τὰ δὲ τῶν ὀρνίθων καὶ τὰ τῶν ὄφεων καὶ τὰ τῶν κροκοδείλων ἔνιοι ἔμβρυα καὶ ψακάλους [ψάκαλα l.] καλοῦσι, ὧν εἰσι καὶ Θετταλοί. recte de hoc loco disputavit Fresenius (p. 26 n. 2), qui Aeliani locum probabiliter hunc fere in modum restituere conatus est: τὰ δὲ ἔτι ἐν τῇ γαστρὶ ἔμβρυα καλοῦσι. τὰ δὲ τῶν ὀρνίθων καὶ τὰ τῶν ὄφεων καὶ τὰ τῶν κροκοδείλων (ἔκγονα τὰ ἐν τοῖς ὠοῖς ἔτι ὄντα ὡσαύτως).[58]) ἔνιοι (δὲ) ἔμβρυά (τινα καὶ ἀρτιγενῆ)[59]) καὶ ψάκαλα λέγουσιν, ὧν εἰσι καὶ Θετταλοί.

Apud lexicographos huius partis capitis Aristophanei reliquiae perpaucae inveniuntur. ad Aristophanem referendae videntur Hesychi glossae plerumque vel mutilatae vel corruptae ἀχαιῖναι, σπαθίνης, δασύπους, ταχίνης, σκαφώρη, κίδαφος, κιδαφίων, μολόβρια, μονιός, ψακαλοῦχοι, ψά[ι]καλα, ὀρτάλιχοι: quae quidem nihil fere ad Aristophanem supplendum vel emendandum conferunt. maxime vero et in hac parte ab Aristophane pendet Pollux V 15[60]): καλεῖται δὲ τὰ μὲν τῶν λεόντων ἔκγονα σκύμνοι, τὰ δὲ τῶν ἄρκτων ἀρκτύλοι, τὰ δὲ τῶν ἐλάφων νεβροί, τὰ δὲ τῶν ἀλωπέκων ἀλωπεκιδεῖς, τὰ δὲ τῶν λύκων λυκιδεῖς καὶ τὰ τῶν λαγωῶν λαγιδεῖς καὶ λαγίδια, παρὰ Ξενοφῶντι (Cyneg. III 15) δὲ καὶ λάγια. ἐφ' ὧν δ' οὐκ ἔστιν ἴδιον ὄνομα, τὰ τούτων τέκνα καλεῖται σκυλάκια ἢ σκυμνία. τὰ δὲ πάντων τῶν ἀγρίων τέκνα ὀβρίκαλα οἱ ποιηταὶ καλοῦσι καὶ ὄβρια.[61]) quae si cum Aelianeo excerpto comparaveris, quin ab Aristophane Byzantio originem duxerint non dubitabis.

3. Περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων.

Capite περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων Aristophanes Byzantius praecipue cognationis et affinitatis vocabula tractavit. de ambitu et fine capitis nunc codice M invento nihil constat. namque in M duo tan-

ὅν, φησι, Νεοπτόλεμος κτλ. num ex Aristophane sint dubito: praestat cum Nauckio (p. 119 n. 70) φασίν scribere, ut Eust. illa ex scholiis deprompserit: cf. schol. ρ 219. — [57]) Καὶ ὀρταλίχους Eust. inepte de suo adiecit. — [58]) Adiecit Fresenius sine ulla causa ἔτι δὲ καὶ νεοττούς: nusquam νεοττός idem est quod ἔμβρυον. — [59]) Rectius cum M et Eust. p. 777 scribendum: ἔνιοι δὲ τὰ ἔμβρυα καὶ τὰ ἀρτιγέννητα καὶ ψάκαλα λέγουσιν. — [60]) V 76 Pollucem adversari Aristophani supra dixi p. 310. — [61]) Dedi scripturam codicis Pal. C: Bekker e ceteris codd. falso ὀβρίκια ... καὶ ὀβρίας scripsit.

tum capita λέξεων Aristophanearum inscripta sunt, unum Περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆcθαι τοῖc παλαιοῖc, alterum Ὀνόματα ἡλικιῶν. omnes quae sequuntur in M λέξειc Aristophanis cum capite περὶ ὀνομαcίαc ἡλικιῶν conglutinantur. ac finis quidem huius capitis et initium capitis περὶ cυγγενικῶν ὀνομάτων facile perspiciuntur, incipiunt cυγγενικά a voce τήθη (Miller p. 431); num vero omnia quae sequuntur in capite περὶ cυγγενικῶν ὀνομάτων olim exstiterint, valde dubitandum, quoniam λέξειc in eis inveniuntur a cognationis et affinitatis argumento prorsus alienae. itaque Nauck (Mélanges Gréco-Romains III p. 173) servorum nomina quae in fine leguntur singulare caput περὶ δουλικῶν ὀνομάτων effecisse coniecit. quae coniectura Fresenio non suffecit, qui cυγγενικῶν ambitum magis etiam contrahendum et omnium glossarum quae inde ab ἀcτόc voce (Miller p. 432 inf.) leguntur peculiare caput περὶ πολιτικῶν ὀνομάτων statuendum esse censuit (p. 13). gemellus codicis M liber Laurentianus (v. sup. p. 287) nihil confert ad rem diiudicandam, eundem exhibet ordinem glossarum quem cod. M. nec minus hac in re Eustathius nos destituit. male enim factum, quod ubicumque πολιτικὰ ὀνόματα (ut Freseni notione utar) attingit capitis titulum indicare omittit. cυγγενικὰ ὀνόματα cum Aristophanis nomine uno tantum loco laudat p. 648, 53 ἐν τοῖc Ἀριcτοφάνουc τοῦ γραμματικοῦ cυγγενικοῖc, bis vero Aristophanis nomine omisso p. 316, 10 ὁ ἐν τῷ περὶ cυγγενικῶν ὀνομάτων ὧδέ πωc διαcτείλαc et p. 971, 23 ὥc φηcί τιc ἀποcημειωcάμενοc ὀνόματα cυγγενικά. aliis locis cυγγενικά descripsit capite non significato, uno quidem loco Aristophanis nomine addito (p. 589, 19 ὥc ὁ γραμματικὸc Ἀριcτοφάνηc φηcί), ceteris locis omisso (p. 650, 20. 652, 41. 674, 27. 779, 53. 1119, 11). ac similiter excerpta ex eis quae cυγγενικοῖc in ML adhaerent nomine tantum Aristophanis addito tradit p. 566, 10. 659, 46. 1246, 10.[62]) 1327, 22, semel et hoc omisso p. 1336, 9. eundem fuisse in Eustathi exemplari ordinem glossarum atque in ML eo probatur, quod p. 777, 54, ubi quattuor glossae Aristophaneae (ἄττα, νέννοc, cάννας, ψάκαλα) sic enumerantur, ut quattuor capita λέξεων[63]) indicentur, nulla comparet, quae ad quintum quoddam caput referatur.

Fragmentum Parisinum tres exhibet λέξειc cυγγενικάc (§ 12 ἀνεψιαδοῦc ἐξανέψιοι, § 13 παράνυμφοc, § 14 χῆροc), duas λέξειc πολιτικάc (§ 15 ξένοι, § 16 μέτοικοc). archetypus codicum ML hoc capite corruptissimus fuit: misella servavit frusta doctrinae Aristophanis, quae nisi ex Eustathi commentariis aliisque fontibus supplerentur atque corrigerentur, parum essent utilia. multa codicum ML vitia facile tolluntur Eustathio comparato, ut gl. τήθη, πάτρωc μήτρωc, ἀνεψιοί (Nauck Mélanges III p. 174), πενθεροί (v. Fresenius

[62]) P. 1246, 10 Eust. primum vocabula λάτριc et θῆτεc illustrat quae ad πολιτικά pertinent, tum adiungit θῆccα nomen cυγγενικόν. — [63]) Περὶ προcφωνήcεων, π. cυγγενικῶν ὀνομάτων, π. τῶν ὑποπτευομένων, π. ὀνομαcίαc ἡλικιῶν.

p. 30), θῆcca. miror nec Nauckium nec Fresenium offendisse in ML verba κηδεcταὶ καὶ πηοί· οἱ cυμπένθεροι sine dubio corrupta. nam cυμπένθεροι sunt, qui uno eodemque socero utuntur. vocem κηδεcτής aliter interpretantur. Eust. p. 779, 53 (quem locum iure Aristophani tribuit Fresenius) εἰcὶ δέ, φαcι, κηδεcταὶ οἱ cυνοικειούμενοι ἀλλήλοις κατ' ἐπιγαμίαν, οἵ τε διδόντεc καὶ οἱ λαμβάνοντεc. οἱ δ' αὐτοί, φαcι, καὶ πηοί. κηδεcταί igitur generaliter dicuntur affines (cf. Nauck p. 136). duae observationes in ML in unam coaluerunt: nominum κηδεcταὶ καὶ πηοί interpretatio excidit, verba οἱ cυμπένθεροι explicant omissum vocabulum cυγκηδεcταί: sic enim appellantur qui sorores in matrimonium duxerunt i. e. qui eundem habent socerum. cf. Pollux III 32 οἱ δὲ ἀδελφὰc γήμαντεc ὁμόγαμβροι ἢ cύγγαμβροι[64]) ἢ καὶ μᾶλλον cυγκηδεcταί. — In famulorum (θεραπόντων) nominibus in ML memoratur ἐπαίτηc. at ἐπαίτηc mendicum significat. hoc vitio nullum frequentius. scribendum est ἑπέταc pro ἐπαίταc: cf. Eust. p. 1400, 56 (qui locus nescio an Aristophani tribuendus sit) φαcὶ δὲ οἱ παλαιοὶ καὶ ὅτι ὥcπερ ἀμφίπολοι οὕτω καὶ ἑπέται οἱ θεράποντεc παρὰ τὸ ἕπεcθαι.[65]) — Vocem οἰκότριβεc ML eisdem verbis interpretantur quibus Eust. p. 1327, 22, tum pergunt: οἱ δὲ τραγικοὶ προcπόλουc λέγουcι. καὶ ἀμφότερα δὲ ἐπί τε ἀρρένων καὶ θηλειῶν. at quis credat tragicos poetas πρόcπολοι dixisse pro οἰκότριβεc? conferas mecum Eust. p. 394, 31 οἱ δὲ παλαιοί φαcι καὶ ὅτι πρόπολοc μὲν καὶ ἐπὶ ἀρρένων, ἀμφίπολοc δὲ ἀεὶ ἐπὶ γυναικῶν· Eust. p. 642, 33 ἡ ἀμφίπολοc καὶ πρόcπολοc λέγεται κατὰ τὸ 'προcπόλων τινὸc ὑποcτενούcηc' παρὰ Cοφοκλεῖ (El. 78), τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἀρcενικῶc, ὡc δηλοῖ παρὰ τῷ αὐτῷ τὸ 'ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν προcπόλων' (El. 23) καὶ ὅτι καὶ πρόπολοc ὁ τοιοῦτοc λέγεται κατὰ τὸν κωμικόν. quae num ex Aristophane Byzantio hauserit Eustathius pro certo non affirmaverim; sed Aristophaneam esse doctrinam arbitror, qua demonstretur idem significare voces ἀμφίπολοc πρόπολοc πρόcπολοc, quae tamen ita inter se differant, ut ἀμφίπολοι nisi mulieres non dicantur (cf. ML ἀμφίπολοι· αἱ θήλειαι ἀκόλουθοι), πρόπολοι et πρόcπολοι tam viri quam mulieres. iam apparet quo vitio ML laborent: ante verba οἱ δὲ τραγικοί interpretatio vocabuli πρόπολοc excidit, adnotavit Aristophanes vulgo πρόπολοc usurpari, πρόcπολοc a tragicis poetis. et recte quidem: πρόcπολοc nemo dixit praeter tragicos, qui πρόπολοc aspernantur.[66]) — similis corruptela glossas ἀπελεύθεροc ἐξελεύθεροc inquinavit: ἀπελεύθεροc τῷ δεcπότῃ καὶ ἐξελεύθεροc ὁ αὐτόc. οὐc ἐν Κρήτῃ μινώταc κτλ. at Minoitae Penestae Helotes minime possunt libertini nuncupari. exciderunt quaedam ante οὐc ἐν Κρήτῃ similia eis quae

[64]) Cύγγαμβροι sunt iidem qui cυμπένθεροι: paullo enim ante (III 31) Pollux adnotat γαμβρόν etiam pro socero accipi. — [65]) Eadem Hesych. Suid. s. v. Et. Mg. 354, 56. cf. Pind. Pyth. V 5. — [66]) Πρόπολοc ter legitur apud Euripidem: Hippol. 200 Hel. 576 (Suppl. 72 ex Heathi coniectura).

Pollux III 83 habet μεταξὺ δὲ ἐλευθέρων καὶ δούλων οἱ Λακεδαιμονίων εἵλωτες κτλ. — Μινῶται πενέσται εἵλωτες et alia huius modi nomina[67]) olim finem capitis fecerant: in ML vero aliquot glossae sequuntur, quas primo diversis locis omissas postea in fine congestas esse apparet. ἴνιες, κέλωρες, νέπτυες, νέποδες vocabula inter glossas τηλύγετος et ἄμναμος inserenda sunt coll. Polluce III 19. ὁμόσφυροι, ὁμόπτεροι, ὁμότριχες sunt poeticae amicorum appellationes ante γνώριμος vocem ponendae coll. Poll. III 61. VI 156. ἀμόρβαι, ἄοζοι famulorum (θεραπόντων) nominibus adicienda sunt. τηθαλλαδοῦς glossa post τηλύγετος ponenda videtur coll. Poll. III 20. ac de excerptis ML haec hactenus.

Eustathius ex hoc capite pauca memoriae prodidit, quae in excerptis ML non legantur vel significentur, sed eius excerpta multo sunt accuratiora et uberiora. cavendum est autem, ne omnes loci Eustathiani quibus συγγενικά (vel πολιτικά) tractantur huic capiti Aristophaneo assignentur, quoniam Eustathius non pauca ex aliis fontibus derivavit: ut p. 565, 18 (ἐν δὲ ἐκθέσει συγγενικῶν λέξεων φερομένων ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ), ubi de Aristophane Byzantio cogitare ridiculum est.[68]) duobus locis caput περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων expresse laudatur ab Eustathio, nomen Aristophanis omittitur: p. 316, 10. 971, 23. prior locus quin Aristophani vindicandus sit, cum iam Nauck non dubitaverit, nunc minus dubitandum est coll. exc. M. difficilior causa est alterius loci (p. 971, 22—44) propterea quod Eust. auctores suos non satis accurate ibi distinxit. recte Nauck (p. 138) adnotavit maximam partem esse doctrinam Aristophaneam, sed alienis additamentis auctam. distinguendae sunt tres partes, quarum primam et tertiam Aristophaneam (p. 971, 22—27. 37—44), alteram (971, 27—37) ab Aristophane alienam esse censeo.[69])

1. p. 971, 22—27. Aristophanis doctrinam produnt glossae in M et ab Eust. p. 316, 10 tractatae τήθη, θεῖος νέννος, πάτρως μήτρως[70]), ἀνεψιός. restant nomina πάππος γεροντίας ἐπίπαππος ἐπιτήθη, quae etsi in M non leguntur Aristophani tribuere quasi iubemur (cf. Nauck p. 142). qui de cognationis nominibus disputaturus sit, nonne potius eum a voce πάππος initium facere quam a voce τήθη consentaneum est? an qui τήθην commemoravit, is πάππον omiserit? iam verbis ὃς καὶ γεροντίας ἐλέγετο Λακωνικῶς

[67]) In ML eius modi nomina tria tantum leguntur; plura Aristophanem recensuisse et per se consentaneum est et confirmatur eis quae de hoc argumento Athen. VI 263 disputat nomine Callistrati, Aristophanis discipuli, quem in his vestigia legisse magistri conicere pronum est. cf. Rud. Schmidt de Callistr. p. 25. Nauck p. 6 n. 9. — [68]) Quod tamen mirifice commisit Ervinus Rohde, de Polluc. font. p. 6. — [69]) Fresenius (p. 54) de aliis recte iudicavit, de aliis minus recte. — [70]) Verba Ἰακὰ μᾶλλον fortasse ab Eustathio addita sunt. πάτρως patruum significat saepius apud Herodotum, semel apud Pindarum Pyth. IV 46, μήτρως avunculus dicitur ab Homero Herodoto Pindaro. — mox pro οἵπερ scribendum est εἴπερ.

nemo Aristophanem Byzantium non cognoscet (v. sup. p. 300). itaque initium capitis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων habemus apud Eust. p. 971, non in ML: nempe archetypo codicum ML cum inscriptione initium capitis deerat. — alter quoque locus Eustathianus ubi nomina πάππος ἐπίπαππος memorantur (p. 565, 29) ad Aristophanem referendus est, id quod probatur verbis ἡ μέντοι τηθὶς ἄλλο τί ἐστιν, ἀναλογοῦσα τῷ θείῳ repetitis illis ex p. 316, 10 τηθὶς δὲ ἀνάλογόν τι τῷ θείῳ, quem ad locum remittit Eust. verbis περὶ οὗ ἀλλαχόθι δηλοῦται (565, 29). at vero dicat aliquis hunc locum discrepare ab eo quem tractamus (p. 971) de nomine πρόπαππος, cum p. 971 legamus ἐπίπαππος οὐχὶ πρόπαππος, p. 565 ἐπίπαππος . . . ὁ καὶ πρόπαππος. sed verba οὐχὶ πρόπαππος Nauckio quoque suspecta (p. 142) non sunt Aristophanis grammatici neque Eustathi quidem, sed a librario quodam Eustathi verbis adiecta.[71])

2. p. 971, 27—37. Verbis καὶ ὅτι κηδεσταί Aristophane Byzantio relicto ad alium fontem Eust. se convertit. ac primum quidem κηδεσταί et συγκηδεσταί glossas e capite Aristophaneo non esse derivatas arbitror (cf. Nauck p. 142), primum quod πηός omissum est (v. sup. p. 313), deinde quod explicatio vocis κηδεστής non tam cum Aristophaneo loco Eust. p. 779, 53 concinit quam cum Photio (κηδεστής· ὁ κατ᾽ ἐπιγαμίαν οἰκεῖος . ἢ πενθερός). itaque haec ab Eustathio e lexico rhetorico deprompta esse censeo. — sequitur glossa τηθαλλαδοῦς ex Aeli Dionysi lexico statim laudato sine dubio descripta. indidem Phot. τηθαλλαδοῦς· ὃν οἱ πολλοὶ μαμμόθρεπτον λέγουσι: cf. Phryn. Lob. p. 299 Pollux III 20. tum vero pergit Eust. λέγει δὲ ἐκεῖνος ὁ τὰ ῥηθέντα συγγενικὰ ἐγγραψάμενος καὶ ὅτι ἀπφὺς κτλ.[72]) et paullo post λέγει δὲ ἐκεῖνος καὶ ἄπφαν κτλ. num credamus eum ad Aristophanem Byzantium reverti? cave ne credas. si probavimus prima parte Aristophanem esse Eustathi auctorem, nullo modo fieri potest ut in his eundem auctorem ab eo adhibitum esse arbitremur. nam glossas ἀπφύς ἄπφα ἄπφιον e lexico rhetorico derivavit eodem quod p. 565, 18 adhibuit, quem locum ipse indicat verbis περὶ ὧν ἐν ἄλλοις γέγραπται. duos locos iuxta posuisse satis erit.[73])

[71]) Cum olim verba illa οὐχὶ πρόπαππος delenda esse coniecissem, postea coniecturam probatam inveni Eustathi codice Vratislaviensi inspecto, ubi illa desunt. est cod. bibl. Rhedig. I. A. 25 continens Iliad. N—Ω cum Eustathi commentariis, foll. 389 (fol. 390—393 a recentiore manu scripta aliunde accesserunt, continent Υ 199—272). suppletur codice eiusdem bibl. I. A. 24 multo elegantius scripto, qui continet Iliad. A—K 377 cum Eustathi commentariis, foll. 403. cf. La Roche, Hom. Textkritik p. 469 no. 73. 74. utrumque librum ad aliquot locos Eustathianos contuli, sed multam operam perdidi. longe plurima vitia quae in editione Lipsiensi ex ed. Romana descripta leguntur, praeterea alia multa in illis inveni: nimirum vitia plurima ab ipso Eustathio commissa sunt. — [72]) Post verba ὡς δηλοῖ Θεόκριτος ineptias quasdam etymologicas Eust. de suo adiecit. — [73]) Falso hanc Atticistarum doctrinam cum Aristophanis grammatici capite περὶ προσφωνήσεων composuit Nauck p. 157; quem temere secutus est Naber (Phot. Proleg. p. 73).

Eust. p. 565, 18 ἐν δὲ ἐκθέσει συγγενικῶν λέξεων φερομένων ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ γράφεται καὶ ταῦτα· ... καὶ ὅτι τῶν συγγενικῶν ὀνομάτων τὰ μέν ἐστι κοινὰ πάντων, ... τὰ δ' ἐκ προσώπου λέγεται ἰδίως, οἷον ἄπφαν τὴν ἀδελφὴν Ἀττικῶς μόνη ἡ ἀδελφὴ εἴποι ἄν, καὶ πάππαν τὸν πατέρα μόνος ὁ παῖς, ὥσπερ καὶ μαμμίαν τὴν μητέρα καὶ τὰ ὅμοια [ἐν οἷς θήσει τις καὶ τὸ ἠθεῖος]. ἰστέον δὲ ὅτι ἐκ τοῦ ὡς ἐρρέθη ἄπφα γίνεται καὶ τὸ ἄπφιον ὑποκόρισμα ὃν ἐρωμένης. τινὲς δὲ καὶ τὸ ἄπφα ὑποκόρισμά φασιν Ἀττικόν. ὁ μέντοι ἀπφὺς παρὰ Θεοκρίτῳ (XV 13) πατρὸς κλῆσις, ἣν βρέφος ἂν προσείποι πατέρα.

Eust. p. 971. ... λέγει δὲ ἐκεῖνος ὁ τὰ ῥηθέντα συγγενικὰ ἐκγραψάμενος καὶ ὅτι ἀπφὺς παρά γε τοῖς Ἀττικοῖς βάρβαρόν ἐστιν. ἔστι δὲ ὁ πατήρ, ὡς δηλοῖ Θεόκριτος. ... λέγει δὲ ἐκεῖνος καὶ ἄπφαν τὴν ἀδελφὴν καὶ ἄπφιον ὑποκόρισμα ἐρωμένης, καὶ ἄλλα τινά, περὶ ὧν ἐν ἄλλοις γέγραπται.

idem lexicon adhibuit Photius, ut mox demonstrabimus; a Photio pendet Suid. ἄπφα· ἀδελφῆς ἢ καὶ ἀδελφοῦ ὑποκόρισμα καὶ ἀπφὺς ὑποκοριστικῶς ὁ πατήρ. cf. lex. Bekk. 440, 11 (ubi ἀποψάς corruptum ex ἄπφα) et 441, 11. — sequitur glossa ἐξανέψιοι e 'veterum' doctrina explicata (εἴρηται καὶ αὐτὸ ἐν τοῖς παλαιοῖς). eandem vocis interpretationem exhibet Hesych. ἐξανέψιοι· ὧν οἱ πατέρες ἀλλήλων ἀνεψιοὶ ἢ αἱ μητέρες (ἀνεψιαί). Aristophanes vero sic explicavit: frg. Par. § 12 ... ἐξανέψιοι δὲ οἱ τῶν ἀνεψιῶν παῖδες, οὓς νῦν λέγομεν δισεξαδέλφους, quibus coniungenda sunt codicis M verba haec: ταύτην δὲ τὴν γενεὰν οὐ πάνυ ἔτι ἐξηκριβοῦντο, ὅθεν καὶ ἡ παροιμία 'ἀνεψιῶν δὲ παῖδες οὐκέτ' ἐν λόγῳ'. quorum nihil apud Eustathium. itaque glossam ἐξανέψιοι ab Eustathio e libro Aristophanis depromptam non esse arbitror. — quae sequuntur de τήθη et μάμμη vocabulis, rursus ex eo lexico rhetorico hausta sunt, quod et Eust. p. 565, 18 et Photius adhibuerunt, ita ut invicem se suppleant loci Eustathiani p. 565, 18. 971, 35 et hi Photiani:

Eust. p. 565. ...παππάζειν [παππίζειν vulgo] τὸ πάππαν καλεῖν καὶ παππίαν. οὕτω δὲ τὸν πατέρα οἱ Ἀττικοὶ ὑποκορίζονται ... καὶ πάππαν τὸν πατέρα μόνος ὁ παῖς, ὥσπερ καὶ (μάμμην καὶ) μαμμίαν τὴν μητέρα καὶ τὰ ὅμοια.

Eust. p. 971. ... περὶ δέ γε τήθης καὶ μάμμης οὕτω φασί τινες· τήθην οἱ Ἕλληνες τὴν πατρὸς ἢ μητρὸς μητέρα, οἱ δὲ πολλοὶ (Nauck p. 139 n. 25) ἀκύρως μάμμην καὶ μαῖαν· μάμμην γὰρ Ἀττικοὶ καὶ μαμμ[α]ίαν τὴν μητέρα καλοῦσιν, ἣν δὲ οἱ πολλοὶ τήθην τηθίδα, μαῖαν δὲ ὡς ἡμεῖς τὴν ὑπὸ Ἰώνων ὀμφαλητόμον, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ δηλοῦται.

Phot. παππάζοιεν· πατέρα καλοῖεν.

Phot. πάππας· τοὺς πατέρας καλοῦσιν.

Phot. μάμμην· τὴν μητέρα καλοῦσιν· καὶ μαμμίαν. καὶ τὸν πατέρα πάππαν καὶ παππίαν.

Phot. μαῖαν· ὡς ἡμεῖς τὴν ὀμφαλητόμον. ἡ δὲ ὀμφαλητόμος Ἰακὸν μᾶλλον ὄνομα.

iam equidem huius partis (p. 971, 27—37) auctorem esse Aelium Dionysium conicio. nam verbis modo descriptis ea fere accuratius enarrantur, quae paullo ante illius Atticistae nomine laudato leviter attigit: ... τήθην ... ἦν, ὡς δηλοῖ Αἴλιος Διονύσιος, ὀκνοῦσιν οἱ Ἀττικοὶ μάμμην καλεῖν, ὡς τῶν παλαιῶν οὕτω τὴν μητέρα λεγόντων. observationes et per se Atticistam produnt et a Phrynicho Atticista repetuntur: Phryn. Lob. p. 133 μάμμην τὴν τοῦ πατρὸς ἢ μητρὸς μητέρα οὐ λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι ἀλλὰ τήθην. μάμμην μὲν οὖν καὶ μαμμίαν τὴν μητέρα. ἀμαθὲς οὖν τὴν μάμμην ἐπὶ τῆς τήθης λέγειν. cf. Moeris 203, 12 (Bekker). Hellad. ap. Phot. Bibl. p. 530a. nec minus vocabula ἀπφύς ἄπφα ἄπφιον Atticistam ostendunt auctorem. denique nomen κηδεστής eisdem verbis a Photio explicatur. iam vero si hoc loco (p. 971) Eust. Aelium Dionysium secutus est, idem lexici rhetorici p. 565, 18—28 adhibiti scriptor iudicandus est[74]), quoniam ibi ea fere leguntur quae vel hoc loco (p. 971) repetuntur vel in Photiano lexico exstant.

3. p. 971, 37—44. Ea parte, de qua modo diximus, non Aristophanem Byzantium ab Eustathio usurpari eo confirmatur, quod lexico rhetorico iam relicto rursus ad ipsas eas glossas revertitur (πάτρως μήτρως), quibus in tractandis ab Aristophanis libro discesserat p. 971, 27, et quae ibi omisit hoc loco adiungit breviter repetens quae p. 316, 10 accurate exposuit. sed ne hic quidem unum Aristophanem excerpere satis habuit. nam glossam quae sequitur τηθαλλαδοῦς interpretatione instruxit e Suetoniana et Aristophanea composita. partem priorem e Suetoni libro περὶ βλασφημιῶν derivavit, posteriorem ex Aristophaneo capite περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων, tametsi neutrum laudavit. rem ita esse ipsa comparatio docet:

Eust. p. 971. ... καὶ ὡς ὁ τηθαλλαδοῦς καὶ σκῶμμα εὐηθείας ἔχει, ὡς τῶν ὑπὸ τοιαύταις τεθραμμένων εἰς εὐήθειαν ἐπιδιδόντων διὰ τὸ ἀνειμένον τῆς τροφῆς. διὸ καὶ ὁ εἰπὼν ἐρωτηματικῶς 'ὀκνεῖς λαλεῖν; οὕτω σφόδρ' εἶ τηθαλλαδοῦς'; (Mein. Com. ed. min. p. 1259) ὀνειδίζων κέχρηται τῇ λέξει, παίζων εἰς ἀνδραποδώδη τινά, φησι, καὶ γραοτραφῆ. εἰ δέ τινές, φησι, πλανῶνται προσηγορίαν συγγενείας εἶναι κατὰ τὸ ἀνεψιαδοῦς, ἀλλ' ἔστιν ἄλλως, ὡς εἴ τις ἔμπληκτόν τινα παίζων ἐμπληκταδοῦν ὀνοματοποιήσει ἢ τὸν μωρὸν μωραλλαδοῦν.

Suet. βλασφ. εἰς μωρούς (Miller p. 421): τηθαλλαδοῦς· ὁ ὑπὸ τήθης τρεφόμενος, ὡς τῶν τοιούτων διὰ τὸ ἀνειμένον τῆς τροφῆς εἰς εὐήθειαν ἐπιδιδόντων.

Aristoph. π. συγγ. (Miller p. 434): ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις τηθαλλαδοῦς ὁ ἀνδραποδώδης καὶ οἷον γραοτραφής, (ὡς) καὶ ἐμπληκταδοῦς ὁ ἔμπληκτος καὶ μωραλλαδοῦς ὁ μωρός.

[74]) Itaque non recte iudicavit Nauck (p. 155 n. 9), cum diceret 'barbariem arguere aetatis Byzantinae' illud, quod (p. 565) συγγενικὰ ὀνόματα non discernantur a προσφωνήσειν: Atticista non distinguit συγγενικά et προσφωνήσεις (sicut Aristophanes Byzantius) sed συγγενικὰ κοινὰ πάν-

res tam est manifesta, ut de partitione huius loci Eustathiani quin Fresenio assentiar facere non possim.[75]) — omnia quae sequuntur Eust. ex Aristophane quidem descripsit, non vero e capite π. συγγ. ὀν. sed e capite περὶ προσφωνήσεων, quo de plura derivavit p. 1118, 8, quem ad locum remittit verbis ὡς καὶ ἀλλαχοῦ παρασεσημείωται.[76])

De ceteris Eustathianis ex hoc capite excerptis, ut solet, Nauck tam egregie exposuit, ut nihil fere habeam quod adiciam. p. 648, 53 (loco Aristophaneo) Eust. vocabulum εἰνάτερες omittit. nam paullo ante Aeli Dionysi nomine eam explicavit p. 648, 44: Αἴλιος δὲ Διονύσιος οὕτω φράζει· εἰνάτερες αἱ τοῖς ἀλλήλων ἀδελφοῖς γεγαμημέναι, ἃς συννύμφους τινές φασιν. praecedunt autem haec: ἡ δὲ εἰνάτειρ τὴν σύννυμφον δηλοῖ, ὁποία ἡ Ἑλένη τῇ Ἀνδρομάχῃ, quae ex Aristophane Eustathium habere puto coll. M εἰνάτερες δὲ αἱ νῦν παρὰ τῇ συνηθείᾳ σύννυμφοι: exempla Homerica adicere amat Aristophanes. — verbis ex Aelio Dionysio descriptis Eust. haec adiungit: ὥσπερ δὲ εἰνάτερες αἱ ἐπὶ ἀδελφοῖς σύννυμφοι, οὕτω καὶ ἀέλιοι κατὰ τοὺς παλαιοὺς αἱ ἀδελφὰς γυναῖκας ἔχοντες καὶ [πλεοναςμῷ τοῦ ι] αἰέλιοι, quae Aelio Dionysio an Aristophani Byzantio tribuenda sint potest dubitari.

Capitis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων excerpta ML Eustathiana supplentur duobus fragmentis cum Aristophanis nomine traditis, quorum unum (de fratrum nominibus) exstat in epistula quadam ad Alexium Comnenum data (Cram. An. Ox. III 194 Nauck p. 130), cuius scriptor exemplar λέξεων Aristophanearum ad manus videtur habuisse quale Eust. habuit, alterum (de gl. οἰκεῖοι) in lexico Photiano (s. v. οἰκείαν, Nauck p. 129). tacite vero permulta huius doctrinae specimina in lexica vetera et scholiorum veterum collectiones transierunt. συγγενικὰ ὀνόματα ubicunque leguntur omnia fere revocanda sunt ad Aristophanem Byzantium. non laudato auctore ipsa grammatici verba exstant apud Athen. VIII 362e (quem descripsit Eust. p. 1702, 6), qui cum Aristophane Byzantio apud Eust. p. 1119, 11 fere concinit (cf. Fresen. p. 68), et apud Ioann. Sicel. in Hermog. VI 363 Walz (sive schol. Luc. Phalar. 2, 1), qui cum frg. Par. § 15 congruit. praeterea mirum cum excerptis Aristophaneis consensum ostendunt schol. Plat. Rep. V 460d (cf. M Eust. p. 650, 20), schol. Eur. Alc. 989 (M), Suid. ἐπίκληρος (Eust. p. 674, 27), Et. Gud. 238, 17 ἠθεῖος (Eust. p. 659, 46). quorum nemo Aristophanem grammaticum ipse adiisse putandus est. — non pauca συγγενικὰ ὀνόματα Eustathium et Photium Aelio Dionysio auctore tractavisse vidimus, quorum alia cum Aristophaneis excerptis conveniunt velut

---

των et συγγενικὰ ἐκ προσώπου ἰδίως. — [75]) Similiter egit Eust. p. 1405, 33, ubi, postquam βλάξ glossam e Sueton. βλασφ. εἰς μωρούς illustravit, pergit verbis Ξενοφῶν δὲ βλακεύεσθαι ἔφη τὸ νωθρεύεσθαι ex Aristophanis capite π. τ. ὑποπτ. descriptis. — [76]) Errat Eust., quod ibidem de accentu vocis τήθη dixisse putat: dixit p. 565, 29.

κηδεσταί ἐξανέψιοι εἰνάτερες, alia discrepant velut μάμμη μαῖα τηθαλλαδοῦς γάλως.[77]) hinc Aelio Dionysio et alias vindicare licet lexici Photiani λέξεις συγγενικάς et eam qua Aristophanes grammaticus laudatur οἰκείαν.[78])

Plurimas λέξεις ad hoc caput Aristophaneum referendas rursus invenimus apud Hesychium, quarum multae ad verbum cum excerptis Byzantinis concinunt. cf. Hesych. ἐπίπαππος, τήθη, πενθερός, ἑκυρός, εἰνάτερες, γάλως, νυός, ἀέλιοι, νυμφαγωγός, πάροχος, οἰκεῖοι, πηοί, χῆροι, ἰδιόξενος, πρόξενοι, ἑπέται, δμωίς, οἰκέται, οἰκότριβες. lexici Photiani glossae huc pertinent haece: τήθη, τηθίς (Suid. Et. Mg. 366, 11 ἐπιτήθη), πενθερά, νυός, κηδεστής, e quibus πενθερά glossa egregias continet observationes, ut pro supplemento doctrinae Aristophanis excerptis Byzantinis traditae accipi possit. tradit enim Photius haec: πενθερά· τῷ νυμφίῳ ἡ τῆς κόρης μήτηρ· καὶ πενθερὸς ὁ πατήρ· Εὐριπίδης δὲ γαμβρὸν αὐτὸν παρὰ τάξιν λέγει· ὁ γοῦν Ἀλκμαίων τῷ Φηγεῖ φησι·

ʻκαὶ c᾽ ὦ γεραιέ· τήν τε παῖδ᾽ ἣν δῷς ἐμοί,
γαμβρὸς νομίζει καὶ πατὴρ σωτήρ τ᾽ ἐμός᾽

(frg. 73). καὶ ὁ Πρωτεσίλαος τῷ Αλκάθῳ φησίν·

ʻἀξίως δ᾽ ἐμός
γαμβρὸς κεκλήσει παῖδά μοι ξυνοικίσας᾽

(frg. 649). Σοφοκλῆς δὲ τὸ ἔμπαλιν· εἶπε γὰρ πενθερὸν τὸν γαμβρὸν ἐν Ἰφιγενείᾳ· Ὀδυσσεύς φησι πρὸς Κλυταιμνήστραν περὶ Ἀχιλλέως·

ʻσὺ δ᾽ ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθερῶν᾽

(frg. 293a) ἀντὶ γαμβρῶν. hinc intellegitur quid sibi velint Eustathi verba ex Aristophane derivata p. 648, 55 ἔνθα κεῖται καὶ τό· τινὲς δὲ ποιηταὶ καταφέρονται πολλάκις ἐπὶ τὸ καὶ τοὺς πενθεροὺς γαμβροὺς ὀνομάζειν. in M nomen γαμβρός plane omittitur. — maxime omnium vocabulum τήθη a lexicographis et scholiastis explicatur: Tim. lex. Plat. p. 256.[79]) Ammon. p. 138 (135). schol. Ar. Lys. 549. schol. Plat. Rep. I 343a. alios veterum scholiorum locos commemorare attinet hosce: schol. (BL) Π 717 (μήτρως); schol. Δ 377 (πρόξενος et cetera vocis ξένος composita); schol. Ar. Thesm. 74 (κηδεστής)[80]) Nub. 5 (οἰκέτης); schol. Plat. Legg. I 630e (ἐπίκληρος)[81]) Rep. V 465c (οἰκέται).

---

[77]) Eust. p. 648, 26 γάλως . . . κατὰ δὲ Αἴλιον Διονύσιον καὶ τὴν τοῦ ἀδελφοῦ γυναῖκα· πρὸς ἀλλήλας γάρ, φησι, λέγονται. quem significatum nemo alius testatur. — [78]) Quae de Tryphone medio inter Aristophanem et Aelium Dionysium Naber (Phot. Proleg. p. 75) disputavit, prorsus incerta sunt. Aelius quidem Dionysius videtur adhibuisse Tryphonem, Trypho fortasse Aristophanem adhibuit. tamen non sequitur omnes Aeli Dionysi λέξεις Aristophaneas fluxisse e Tryphone. — [79]) Τήθη· μάμμη. τηθὶς δὲ ἡ τῷ θείῳ ἀνάλογος: sunt ipsa verba Aristophanis (Eust. p. 316, 10). — [80]) Τὸ σημεῖον· οὐ μόνον κηδεστὴς ὁ ἐκδιδοὺς ἀλλὰ καὶ ὁ λαμβάνων: ipsa verba Aristophanis (Eust. p. 779, 53), sine dubio a Didymo adhibita, quem scholiasta compilavit. itidem Moeris 201, 14 lex. rhet. Bekk. 190, 27. — [81]) Extrema verba scholiastae sunt haec: τινὲς δὲ ταύτην ἐπι-

Verum nemo rursus quantum ab Aristophane Byzantio pendeat melius demonstrat quam Pollux, quoniam is oratione continua συγγενικά et 'πολιτικά' tractavit. Pollucis disputationem de cognatorum affinium civium peregrinorum amicorum servorum nominibus (III 16—83) si cum excerptis ML Eustathianis comparaveris, multis eam quidem additamentis noviciis et a proposito alienis esse auctam, aliis bonis observationibus deminutam intelleges, eius fundamentum tamen in Aristophanis grammatici libro esse quaerendum non negabis. atque ordo quidem glossarum ac dispositio rerum integra fere e capite Aristophaneo recepta videtur, id quod primo aspectu cernitur. nec minus in singularum glossarum explicatione cum Aristophane Pollux consentit. cf. nomina τήθη (III 17), τηλύγετος (20)[82]), σκότιος, γνήσιος, νόθος, μητρόξενος (21), θεῖος (22), fratrum appellationes (23 coll. epistula ad Alexium), ἀνεψιοί (28), κηδεσταί πηοί (30), προμνήστριαι προμυθίκτριαι (31), νύμφη νυός ἑκυρός γάλως δαήρ εἰνάτειρες συγκηδεσταί (32)[83]), ἐπίκληρος θῆσσα (33), παράνυμφος πάροχος νυμφαγωγός (40. 41), χήρα χῆρος χηρωσταί (47), τιτθή (50), πελάται θῆτες (82), εἴλωτες sim., ἀπελεύθερος ἐξελεύθερος. itaque multis locis excerpta Aristophanea e Pollucis copiis supplere licet. velut nepotum nomina tria tantum (ἄμναμοι, ἴνιες, κέλωρες) exhibet M, multo plura Pollux (17. 18), fratrum non nulla tradit epistula ad Alexium scripta, plura Pollux (23). vitrici et novercae nomina in excerptis Byzantinis desiderantur, quae ab Aristophane Byzantio omissa esse vix credo: habet Pollux (26. 27). nominum sponsalium et nuptialium fragmenta quam exigua excerptis Byzantinis servata sint, ex uberrimis copiis Polluceis (34—46) perspicere licet, tametsi horum haud pauca ab Aristophanis consilio aliena eoque ab eius λέξεων reliquiis removenda videntur. — sed oportet discrepantias quoque Aristophanis cum Polluce afferri, quo perspicuum fiat, quam procul Pollux ab ipso Aristophanis opere afuerit. etenim apud Pollucem praecepta quaedam Atticistarum leguntur, quae ante Augusti aetatem referri vix possunt. τηθαλλαδοῦς glossam (20) eisdem verbis interpretatur quibus Aelius Dionysius ap. Eust. p. 971 (v. sup. p. 315): ὃν οἱ νῦν μαμμόθρεπτον λέγουσιν. vocabulum μαμμόθρεπτος vituperabant Atticistae: Phryn. Lob. p. 299 μαμμόθρεπτον μὴ λέγε, τηθαλλαδοῦν δέ. — voces ὅμαιμος et ὁμαίμων generaliter cognatos

παματίδα καὶ πατροῦχον καλοῦσιν. eadem Suid. ἐπίκληρος[1]. aliter Eust. p. 674, 27 ἡ δὲ ἐπίκληρός, φασι, καὶ μάνδα πρός τινων ἐκαλεῖτο, ὑπ' ἐνίων δὲ πατροῦχος. unde Nauck (Mélanges Gréco-Romains III p. 175) in M pro ἐπίμανδα legi voluit μάνδα. sed μάνδα plane obscurum est, ἐπίμανδα vero corruptum esse arbitror ex ἐπιπαματίδα, sicut ap. Hesych. ἐπιματίδα ex ἐπιπαματίδα (Hesych. ἐπι[πα]ματίδα· τὴν ἐπίκληρον). itaque ἐπιπαματίς Aristophani Byz. restituendum censeo. — [82]) In verbis οὕτω γὰρ οὗτος μονογενῆ μόνον τηλύγετον post οὗτος excidit οὐ. — [83]) Vocabuli συγκηδεσταί synonymum Pollux memorat εἰλίονες, quod Aristophanes Byz. et Hesych. ἀέλιος appellant. cum Polluce faciunt Et. Mg. 470, 168 Et. Gud. 276, 14. 289, 5 (ἰλίων).

significare docuit Aristophanes (epist. ad Alex. Comn. coll. Eust. p. 410, 37. 573, 2); nihilo secius Pollux (23) nisi de fratribus non vult usurpari. — ἠθεῖος demonstravit Aristophanes idem esse quod ὁμότροπος atque eos qui ἠθεῖον fratrem maiorem appellari a minore dicerent vituperavit refellitque testimonio allato ex Odysseae Ξ 147 (Eust. p. 659, 46); Pollux tamen (24) vulgarem tradit sententiam: ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀδελφὸς ὑπὸ τοῦ νεωτέρου ἠθεῖος καλεῖται. — ξένων nomina Pollux (59. 60) non aliter explicat quam Aristophanes, sed cum ceteris lexicographis (Ael. Dion. ap. Eust. p. 405, 35, Paus. ibid., Hesych., Phot. ἰδιόξενος, aliis) addit nomen ἀστόξενος in excerptis Aristophaneis (ML frg. Par. Ioann. Sicel. in Hermog. VI 363) omissum. — posteriorem Atticistam produnt haec (29): τούτῳ δὲ τῷ ὀνόματι (ἐξανέψιοι) οὐ πάνυ τετριμμένῳ κέχρηται Μέναγδρος, ᾧ ἀεὶ μὲν οὐ χρηστέον ὡς οὐκ ἀκριβῶς Ἑλληνικῷ, ἐπὶ δὲ τῶν ἀκατονομάστων πιστευτέον· ὧν γὰρ γενῶν ἢ πραγμάτων ἢ κτημάτων ὀνόματα παρ' ἄλλοις οὐκ ἔστι, ταῦτα ἀγαπητὸν ἂν εἴη κἂν παρὰ τούτου λαβεῖν. Menandrum enim posteriores Atticistae propter novicia et barbara vocabula castigabant, cum priores velut Aelius Dionysius maxime eum adamarent (v. sup. not. 25). — aliquot discrepantiae Pollucis errori tribuendae videntur, velut quod nomina πρόπαππος et ἐπίπαππος ita distinguit (18), ut πρόπαππος proavus ἐπίπαππος abavus sit, cum Aristophanes Byzantius ceteri-que πρόπαππον et ἐπίπαππον eundem esse testentur: cf. Hesych. ἐπίπαππος, Suid. Et. Mg. 366, 11 ἐπιτήθη. — ἐξανέψιοι a Polluce (29) dicuntur οἱ ἐκ τῶν ἀνεψιαδῶν ἀλλήλοις: debebat ἀνεψιῶν dicere, sicut Aristophanes Byzantius (frg. Par. § 12) Trypho ap. Ammon. p. 54 Hesych. ἐξανέψιοι.

4. Περὶ προσφωνήσεων.

Peculiare caput λέξεων Aristophanearum fuisse περὶ προσφωνήσεων coniecit Nauck p. 151 ex Eustathi p. 1118, 8 verbis hisce: . . . εἰ δὲ καὶ ἀλλαχοῦ [p. 777, 54. 1793, 11] περὶ τῆς τοιαύτης δεδήλωται λέξεως (ἄττα), ὅμως οὐκ ἀνένδεκτόν ἐστιν ἐνταῦθα δηλῶσαι, ὅτι ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης γράψας ὡς εἰσὶ προσφωνήσεις διάφοροι παιγνιωδέστεραί τινες καὶ ὑποκοριστικαὶ ἐπάγει· οἷον ἄππα, πάππα, μάμμα, μάμμη, μαμμία, τέττα, ἄττα κτλ. alterum quidem fragmentum huius capitis Nauck agnoscere sibi visus est apud Eust. p. 659, 46, ubi de significatione vocabuli ἠθεῖος agitur. sed is locus ad appendicem capitis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων (ad πολιτικά) revocandus est coll. cod. M.[84]) satis igitur exigua frusta

[84]) Aristophanes ἠθεῖος idem significare quod γνώριμος docet ac refellit eos, qui meram compellandi formulam esse existiment, laudato Odysseae loco 'ἀλλά μιν ἠθεῖον καλέω' (Ξ 147). sed unius consensum nactus est Et. Gud. 238, 17, ubi praeter Homerum testis advocatur Antimachus. Aristarchus quoque magistri sententia hoc loco improbata ἠθεῖος vocabulum προσφώνησιν esse docuit (cf. Ariston. ad K 37. X 229. Ψ 94), eum-

Aristophanis grammatici de hoc argumento disputationis supersunt, ut dubitari liceat, num re vera Aristophanes singulari capite compellationes tractaverit. ac dubitavit O. Schneider (Jen. Litt.-Ztg. 1848 p. 976), qui προσφωνήσεις ab Eustathio p. 1118, 8. 971, 43 (v. sup. p. 318) illustratas Meierum (Opusc. II 24 n. 87) secutus capiti περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων vindicavit. accedit quod in reliquis excerptis Byzantinis (ML frg. Par.) nec vola nec vestigium προσφωνήσεων comparet. atque hanc ob causam Fresenius quoque (p. 18) Naucki coniecturam improbavit ac Meierum et ipse sequi maluit. tamen equidem facere non possum quin partes Nauckianas suscipiam. neque enim omnia vocabula quae ab Eustathio προσφωνήσεις nuncupantur συγγενικά possunt appellari, velut ἄττα, τέττα, ἄππα, πάππα, alia quae proprie de cognatis usurpantur, velut μάμμη, μαῖα, τήθη, ubi in compellationibus in usum vocantur, cognationis potestatem plane exuunt (Nauck p. 152). maxime vero Naucki coniectura mihi confirmari videtur eo loco Eustathiano (p. 777, 60 Nauck p. 153), ubi certo quodam consilio ad vocabulum ἄττα illustrandum tamquam insolentium exempla vocabulorum tres glossae proferuntur νέννος, σάννας, ψάκαλα e tribus capitibus Aristophaneis congestae, νέννος e capite περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων, σάννας e capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων, ψάκαλα e capite περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν. nonne consentaneum quartam glossam ἄττα e quarto quodam capite esse derivatam? indicavit quasi Eustathius Aristophanearum capita λέξεων se adhibuisse quattuor.

Quoniam ambitus huius capitis non magnus videtur fuisse, non mirum quod in lexicis aliisque huius modi doctrinae monumentis perpauca occurrunt testimonia huc revocanda. sed ea προσφωνήσεων argumentum secernendum esse a capite περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων et ipsa luculenter demonstrant. ac scholia quidem Homerica multis locis Aristarchum, cum προσφωνήσεις Homericas interpretaretur, ad magistrum sese applicasse docent: cf. Ariston. ad Δ 411 (τέττα), I 607 (ἄττα: Apoll. lex. Hom. 46, 33. schol. π 31), schol. ζ 57 (πάππα). tum Hesych. s. v. μαῖα, cum varias huius vocis significationes enumerat, primo loco συγγενικήν postremo προσφωνητικήν appellat: μαῖα· πατρὸς καὶ μητρὸς μήτηρ. καὶ τροφός (cf. Pollux III 41). καὶ περὶ τὰς τικτούσας ἰατρὸς καὶ [ἢ Nauck] ὀμφαλητόμος. καὶ προσφώνησις πρὸς πρεσβῦτιν τιμητική, ἀντὶ τοῦ ὦ τροφέ. egregie Aristophanis doctrinam tradit Suid. πάππα· ὅτι πάππα καὶ τέττα καὶ ἄττα οὐχ ὁ τροφεὺς ἐν ἀνθ' ἑνός ἐστιν, ἀλλὰ προσφώνησις πρὸς τροφέα.

Reliqua duo capita λέξεων Aristophanearum (Ἀττικαὶ λέξεις et Λακωνικαὶ γλῶσσαι) nec in archetypo codicum ML Par. nec in Eu-

---

que omnes secuti sunt: Apoll. lex. Hom. 82, 31. Hesych. Phot. Suid. Et. Mg. 422, 7.

stathi exemplari exstabant. quae ex utroque capite fragmenta Eust. exhibet, ex Athenaeo descripsit (Nauck frg. XXVII. XXXI). num praeter Atticas et Laconicas λέξεις alius cuiusdam dialecti Aristophanes illustraverit, non accepimus. nam quod J. Klein (Erotian. Proleg. p. XXXVI) Ionicas glossas peculiariter eum tractavisse persuasum habuit, ea opinio nec aliquo testimonio nititur nec (id quod Klein putavit) lexici Erotianei glossis Aristophaneis comprobatur. septem[85]) locis Aristophanes grammaticus ab Erotiano nominatim laudatur, quorum tres diserte ad λέξεις Ἀττικάς referuntur (Nauck frg. XXVIII. XXIX. XXX). itaque quattuor reliquos (Nauck frg. LXIX. LXXXVI. XC. Erot. frg. 65 κοχώνη) ad easdem supra (not. 6) revocavi, nec vereor, ne quis ex eis colligat Aristophanem Byzantium Ἰωνικὰς λέξεις scripsisse. proinde quae tacito auctoris nomine Aristophanea in Erotiani lexico tractantur quaeque ad coniecturam suam fulciendam Klein adhibuit, ea facile ad certa capita λέξεων Aristophanearum revocantur: gl. προκώνια p. 57, 3 ad Ἀττικὰς λέξεις, ἄρδαλον p. 56, 9 ad caput περὶ τῶν ὑποπτευομένων (v. sup. p. 291), μηλωτή p. 79, 7 et πρόβατα p. 108, 3 ad caput περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν (cf. Eust. p. 877, 51. 1828, 57. v. sup. p. 306).

De titulo Ἀττικαὶ λέξεις novam coniecturam proposuit Ervinus Rohde (de Polluc. font. p. 16 n. 1). Ἀττικὰς λέξεις non peculiare caput sed totum glossarum opus inscriptum fuisse arbitratur.[86]) quam ad sententiam refutandam eis quae Fresenius p. 23 dixit non nulla addere liceat. totius operis titulum περὶ λέξεων sive περὶ γλωσσῶν fuisse duobus testimoniis constat. nam frg. Par. inscriptum est Ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους τοῦ περὶ λέξεων διαλαβόντος, et Herodianus Il. Prosod. A 567 (Eust. p. 150, 17) Aristophanem laudat ἐν ταῖς γλώσσαις. quibus testimoniis quid est causae cur fidem abrogemus? ceteris omnibus locis ubi fragmenta Aristophanea traduntur non totum opus sed singula operis capita laudantur, in his duo Ἀττικαὶ λέξεις et Λακωνικαὶ γλῶσσαι inscripta, quibus vocabula vel Attici vel Laconici tantum sermonis propria erant tractata. in ceteris vero capitibus secundum argumenta dispositis non solum Atticum sermonem tractari perspicuum est. non Atticae dialecti vocabula in iis collecta eorumque in Attica lingua usum illustratum invenimus, sed in singulis observationibus singularum dialectorum rationem habitam earumque discrepantias non semel enotatas. Aetolos dixisse τοῖς γερόντοις et τοῖς παθημάτοις, Chalcidenses ἐλέγοσαν ἐσχάζοσαν

---

[85]) Erot. p. 110, 15 pro Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν scribendum esse Ἀριστοτέλης coniecit Nauck Philol. V 861, cui adstipulatus est Val. Rose Arist. pseud. p. 563. — [86]) Eadem videtur esse Naberi sententia; sic enim scribit Phot. Proleg. p. 72: 'doctum opus quod Ἀττικὰς λέξεις inscripserat, Aristophanes in capita distribuerat', et p. 73: 'commentatio Aristophanis π. τ. συγγ. ὀν. itidem ἐκ τῶν Ἀττικῶν λέξεων decerpta est'.

ἐφεύγοσαν, quid attinet observare ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν?[87]) aut Lacones avum dixisse γεροντίαν? aetatum hominum animaliumque et cognationis affinitatisque appellationes non Attici sermonis sed omnium dialectorum graecarum congerere studuit Aristophanes. itaque mea quidem sententia rectissime Nauck p. 75 Aristophanis consilium definivit hisce verbis: 'duplicem capitum classem Aristophanes distinxit, quarum altera ex argumento singularum glossarum repetita esset rerumque sequeretur ordinem, altera ad topicam — ut ita dicam — pertineret descriptionem et quae singulis regionibus usurpata fuerint percensenda sibi diligeret'.

Excerpta Aristophanea in Eustathi commentariis et codicibus Parisino Athoo Laurentiano servata ex uno eodemque fonte fluxerunt. sed illis temporibus librum non iam integrum fuisse vidimus; nam longa temporum serie eius ambitus magis magisque contractus est ac deminutus. Eustathi commentariis quattuor capita glossarum dignoscuntur, M tria capita valde corrupta ac mutilata exhibet, L unum caput, frg. Parisinum paucas λέξεις. eundem codicem videtur adhibuisse anonymus ille epistolographus ad Alexium Comnenum. de scriptoribus antiquis quorum scripta aetatem tulerunt unus Aelianus Aristophanis λέξεων librum ipse inspexit. ceteri omnes qui λέξεων Aristophanearum memoriam hic illic propagarunt non ipsi librum evolverunt, sed aliunde eius mentionem delibarunt. de fatis λέξεων Aristophanearum pauca Nauck (p. 77) adumbravit, quae nunc et corrigenda et supplenda videntur. iure Nauck Aristarchum Didymum Pamphilum nominavit Aristophanis compilatores. atque Aristarchus quidem in interpretandis Homeri carminibus quam frequenter ac studiose magistri doctrinam adhibuerit, vidimus. Didymum deinde primam partem capitis περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν in σύμμικτα sua transtulisse ceterisque Aristophanis opibus saepe in commentariis et in lexicis comico et tragico usum esse suis locis adnotavimus. Pamphilus vero, cum amplissimam glossarum et rerum notabilium syllogen conderet, capita quaedam λέξεων Aristophanearum integra in opus suum videtur transtulisse (cf. M. Schmidt Quaest. Hesych. p. CLXXI). etenim Λακωνικὰς γλώσσας a Pamphilo esse usurpatas diserte testatur Athen. III 77 a (Nauck frg. XXXI). itaque ex eodem Pamphilo Athenaeum alteram eiusdem capitis mentionem III 83 a (Nauck frg. XXXII) et κρεοκάκκαβος vocabulum ad Λακωνικὰς γλώσσας revocandum IX 384 d (Nauck frg. LXXV. v. sup. n. 6) hausisse credibile est. λεπαστή glossam (Nauck frg. LXXVII) ad Ἀττικὰς λέξεις supra revocatam Athen. XI 485 d haud dubie a

---

[87]) Quod vocem Rhodiacam ἄμβων Aristophanes ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν explicavit (Nauck p. 186), id Rohdei coniecturam minime adiuvat; ἄμβων enim et ab Atticis scriptoribus usurpatum est.

Pamphilo accepit, cui omnia poculorum nomina eum accepta debere inter omnes ni fallor constat. itaque ex eodem derivaverit ἱμαῖος glossam (Nauck frg. XXVII). unum locum e capite περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν descriptum tradit Athen. IX 375 a (Nauck p. 102 v. sup. p. 305), semel fragmentum capitis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων 'veterum' nomine refert VIII 362 e (v. sup. p. 318): utroque loco Pamphilum Athenaei auctorem fuisse mihi quidem certum est. Athenaeum ad unum omnia fragmenta λέξεων Aristophanearum e Pamphili libro compilasse eo confirmatur, quod eorum quattuor Hesychius eisdem fere verbis exhibet (κωδωναῖα, ὀξύμαλα, λεπαστή, ἱμαῖος). Hesychiani autem lexici partem longe maximam e Pamphili opere compilatam esse persuasum habeo. plurima fragmenta λέξεων Aristophanearum quin Pamphilo debeat Diogenianus auctor Hesychiani lexici equidem non dubito (cf. Ranke de lexici Hesych. origine p. 99. Nauck p. 79 not.). Didymus igitur et Pamphilus illi sunt, quibus omnia fragmenta λέξεων libri Aristophanei debentur quae in lexicis et scholiis veteribus inveniuntur. a Didymo pendent scholiastae Aristophanis poetae Apolloniique Rhodii et ni fallor Harpocratio, a Pamphilo Aelius Dionysius Pausaniasque Atticistae (Photii auctores) Diogenianus Athenaeus. Pollux quoque tot locis cum excerptis λέξεων Aristophanearum Byzantinis conspirat, quia Pamphilum habuit auctorem vel quod magis credo Pamphili epitomatorem Iulium Vestinum (cf. F. v. Stojentin, de Iulii Pollucis auctoritate p. 90). sed Pollucis Onomastico non genuina et incorrupta Aristophanis doctrina traditur: solet enim Pollux non presse vestigia auctoris sui legere, sed fontes miscere resque tractandas alienis interpolare additamentis (v. sup. p. 300. 320. 321). relinquitur Erotianus, qui Aristophanea sua Didymo an Pamphilo debeat ambigi potest. novissimus quidem editor J. Klein Didymum Erotiani auctorem appellavit. sed equidem omnino dubito, num recte de lexici Erotianei fontibus Klein disputaverit. nititur eius de Didymo primario Erotiani auctore sententia eo quod Didymum λέξιν Ἱπποκράτους scripsisse arbitratur. collegerunt hoc Mauricius Schmidt (Didymi frg. p. 24) eumque secutus Klein (Erot. Proleg. p. XXXVIIII) e verbis Erotiani (prooem. p. 32, 11) corruptissimis. eodem iure ex eisdem efficere potes Aristarchum quoque et Antigonum λέξεις Ἱπποκράτους scripsisse, quippe qui una cum Didymo ab Erotiano nominentur. neque hos neque Didymum glossas Hippocraticas peculiariter explanasse dicit Erotianus, narrat tantum principes grammaticos Alexandrinos in studiis suis grammaticis Hippocratem non plane neglexisse (τῶν δὲ γραμματικῶν οὐκ ἔστιν ὅστις ἐλλόγιμος φανεὶς παρῆλθε τὸν ἄνδρα), quo in numero etiam Didymum fuisse. quae cum ita sint, Erotianum Didymum sibi primarium auctorem elegisse eiusque collectionem vocum Hippocraticarum totam fere e Didymi copiis esse compilatam non credo. argumentis quibus Klein utitur id quod probare voluit non probatur. exempla quae affert ad consensum Erotiani et Didymi illustrandum

non ad λέξιν Ἱπποκράτους quandam pertinent sed ad alia scripta Chalcenteri: ἄργεμον ad λέξιν τραγικήν (Schmidt p. 88), cetera (προκώνια, καρύκη, ὄρρος, κυρήβια) ad λέξιν κωμικήν (Schmidt p. 40. 28. 77. 284). quod vero permultis locis cum Hesychio Erotianus congruit, hoc non probatur eum a Didymo pendere, sed iure potius hinc effici potest Erotianum perinde ac Diogenianum Pamphili exhausisse copias. nam in huius opere περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων amplissimo λέξεις Ἱπποκράτους quoque illustratas fuisse pro certo potest affirmari (cf. Schmidt Quaest. Hesych. p. CLXVI). itaque et eas Erotiani glossas, quae ad Aristophanem Byzantium pertinent, e Pamphili potius quam e Didymi copiis fluxisse credide-rim. quam ad sententiam probandam praeclarum exemplum afferre licet glossam προκώνια. Aristophanis grammatici Didymi Demonis interpretationes tradidit Harp. προκώνια· Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου. Δίδυμος δὲ προκωνιά, φησι, πυροὶ μέλιτι κεχρισμένοι. Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς καὶ Κράτης τὰ ἐξ ἀφρύκτων κριθῶν οὕτω φασὶν ὀνομάζεσθαι. ἔοικε δὲ καὶ ἐκ πυρῶν καὶ ἐκ κριθῶν γίνε-σθαι. Δήμων δ' ἐν τῷ περὶ θυσιῶν φησίν· καὶ προκώνιά ἐστι κάχρυς κατηριγμέναι μετὰ ἀρωμάτων. Aristophanis interpretationem solam exhibent Erotianus (p. 57, 3 ἄλφιτα προκώνια· τὰ γενόμενα ἐκ τῶν ἀφρύκτων κριθῶν οὕτως Ἀττικοὶ καλοῦσι) Pollux VI 77 Hesychius. quo consensu demonstratur horum communem auctorem, quem Pamphilum esse iudico, Didymi ratione neglecta Aristophanis probasse sententiam. Harpocratio vero et qui similia tradunt Phot. lex. rhet. Bekk. 294, 25 Et. Mg. 700, 6 (sive horum auctor) non Pamphilum sed Didymum usurparunt, qui suae vocis interpretationi more suo aliorum sententias adiunxerat. Pamphilum ipsum Aristophanis librum adiisse, non e Didymi scriptis eius observationes cognovisse[88]), hoc quoque nescio an e laudato exemplo colligere liceat. idem apparet ex Athenaei locis IX 375a. VIII 362e, qui ad verbum fere cum ex-cerptis Byzantinis concinunt, cum Didymus ea quae ex Aristophanis libro excerpsit mutare soleret. atque Hesych. ὀρείχαλκος si cum schol. Apoll. Rhod. IV 973 (v. sup. p. 298) contuleris, Hesychium i. e. Pamphilum videbis sola Aristophanis verba exhibere, Didymi additamentum omittere, id quod vix fieri potuit, si per Didymum tantum Aristophanem novisset.

DE SUETONIO TRANQUILLO.

In Eustathi commentariis Homericis duos Suetoni Tranquilli libros saepe in usum vocari A. Reifferscheid, cum Suetoni reliquias colligeret, perspexerat ac probaverat (cf. Suet. Reliq. p. 454. 462);

[88]) Falsa esse iudico etiam Naberi verba haec (Phot. Proleg. p. 22): '... ne Pamphilum quidem ipsum inspexisse omnes quos laudaret scriptores. nam quae supersunt Laconicae glossae Aristophanis Byz. ... eas existimo non ipsum vidisse Pamphilum sed acceptas debere Artemidoro'.

quae Reifferscheidi sententia optime confirmata est excerptis quibusdam Suetonianis una cum Aristophaneis in codicibus Athoo et Laurentiano inventis, quibus fragmenta e duobus Suetoni libris graece scriptis traduntur, quorum unus περὶ δυσφήμων λέξεων ἤτοι βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη alter περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν erat inscriptus (cf. Suid. s. v. Τράγκυλλος). codices ML excerpta Suetoniana arte coniuncta exhibent cum Aristophaneis, ut agmen ducant fragmenta e libro περὶ βλασφημιῶν Tranquillo nomine in M notata (Συητίνου Τραγκύλλου περὶ βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη), sequantur excerpta Aristophanea, quibus de superiore capite disputavimus, agmen claudant fragmenta e libro περὶ παιδιῶν. atque cum his Suetonianus permulti loci Eustathiani adeo conveniunt, ut Eustathius quin eadem Suetoni librorum excerpta ad manus habuerit dubitari nequeat, etsi ne uno quidem loco Tranquillum nominatim laudat.

Excerpta περὶ βλασφημιῶν quae in Eustathi commentariis leguntur Nauck olim Aristophani Byzantio vindicaverat propter fragmentum Parisinum, cuius extremis glossis quattuor (§ 19—22) idem argumentum tractatur; inscriptio enim fragmenti Parisini Ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους τοῦ περὶ λέξεων διαλαβόντος ad omnes XXII glossas tum referebatur. atque etiam σκινθαρίζειν et ῥαθαπυγίζειν glossas (frg. Par. § 18) capiti περὶ βλασφημιῶν Nauck assignavit. nunc vero libro Parisino accuratius inspecto constat illam inscriptionem ad paragraphos 1—17 tantum pertinere, glossis 18—22 nomen Suetoni Tranquilli olim fuisse praepositum (cf. Fresenius p. 76)[89]); glossae autem σκινθαρίζειν et ῥαθαπυγίζειν non ut § 19—22 e libro περὶ βλασφημιῶν sed e libello περὶ παιδιῶν excerptae sunt.

I. Περὶ βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη.

Huius libri Suetoniani, priusquam excerpta M vulgarentur, nihil erat cognitum nisi titulus (ap. Suid. s. v. Τράγκυλλος) et una glossa (ap. Et. Mg. 151, 35) ἀρχολίπαρος· ὁ λιπαρῶν, ἵνα ἀρχῆς τύχῃ· ἢ ὁ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενος· οὕτω Τραγκύλλων περὶ βλασφημιῶν. quae cum eisdem verbis apud Eust. p 210, 47 legatur, Suetonium Eustathi auctorem fuisse facile conici potuit. quae coniectura excerptis M, ubi eadem glossa exstat, confirmata est. sed apud Eustathium Suetoni glossae observationesque per totum commentarium dispersae leguntur, ut inde consilium ac dispositionem libelli Suetoniani nullo modo cognoscas. atque haec maxima est utilitas codicis M, quod singulorum capitum titulos exhibet. Tranquillus enim, praefatione qua de Homericis conviciis disputavit praemissa,

[89]) Vestigia illa nominis Suetoni Boissonade qui primus frg. Par. edidit neglexerat, ante eum reppererat Boivin, qui codicem sic descripsit (cf. Fabric. Bibl. Gr. X 486): ‘. . . Varias dictiones annotatas ex Plutarcho, ex Aristophane Byzantio τοῦ περὶ λέξεων διαλαβόντος. Ex Tran...’: quae sagaciter supplevit Fabricius: ‘puto e Tran(quillo)’.

cetera secundum varia hominum βλασφημουμένων genera in capita disposuerat, quorum M exhibet quattuordecim sic inscripta: 1. Ἐπὶ ἀνδρῶν ἀκολάστων. 2. Ἐπὶ γυναικῶν. 3. Ἐπὶ ἐκδεδιητημένων καὶ ἐξηταιρημένων ἀρρένων. 4. Εἰς πονηρούς. 5. Εἰς ἀλαζόνας. 6. Εἰς ἀγοραίους καὶ πολυπράγμονας καὶ φιλεγκλήμονας. 7. Εἰς μωροὺς καὶ εὐήθεις. 8. Εἰς πρεσβύτας. 9. Εἰς ἀγροίκους. 10. Εἰς εὐτελεῖς στρατιώτας. 11. Εἰς ἁπλήστους. 12. Εἰς δούλους. 13. Βλασφημίαι ἀπὸ ἐθνῶν καὶ πόλεων καὶ δήμων. 14. Βλασφημίαι ἀπὸ ἀριθμῶν.

In libris ML excerpta Suetoniana pari neglegentia atque Aristophanea scripta sunt. permultis locis meras glossas legimus omissis vocabulorum interpretatione et origine, scriptorum testimonia magna cum diligentia, ut videtur, a Suetonio enotata pleraque desunt. Fragmentum Parisinum sex tantum glossas servavit: Κήλων (1.), κέφος, ἄγγαρος (7.), τρίπρατος (12.), τριπέδων, τρίδουλος (14.). Eustathius omnium (excepto decimo) capitum glossas quasdam ita illustravit vel memoravit, ut plerumque excerptum ML suppleat, cum glossarum enarrationes observationesque adiectas et scriptorum locos accuratius descripserit. Suetonium vero tot locis a se adhibitum esse noluit profiteri, plerumque Suetoniana tamquam sua profert, saepe more suo τοὺς παλαιούς laudat vel similibus formulis utitur.[90])

Convicia Homerica ML proferunt duodecim, Eustathius unum ἅλιος e Suetonio deprompsit p. 441, 29 ἰστέον δὲ καὶ ὅτι βλασφημίας μόριον παλαιός τίς φησι καὶ τὸ ἅλιος ῥηθὲν παρὰ τὴν ἅλα, ἧς τὸ ὕδωρ εἰκαῖόν τι ἐδόκει, πρὶν ἢ τὰς νῆας ἐφευρεθῆναι.[91]) reliqua ubi interpretatur, scholia adhibuisse putandus est.[92]) Suetonius enim de his vocibus Homericis explicandis cum scholiis fere convenit. sed notandum, eum non Aristarchum sequi sed quibus adversari solet Aristarchus glossographos: ἀπτοεπής scribit Suetonius, ἀπτοεπές Aristarchus (schol. Θ 209 coll. Et. Mg. 133, 43. Apoll. lex. Hom. 40, 16); μολοβρόν Suetonius explicat eodem modo quo Neoptolemus glossographus (Eust. p. 1817, 21 coll. schol. ρ 219. Apoll. lex. 113, 25); item in voce κέρα ἀγλαέ interpretanda Suetonius glossographos sequitur, quos acerrime impugnat Aristarchus (schol. Λ 385. Apoll. lex. 98, 11).

1. Ἐπὶ ἀνδρῶν ἀκολάστων. M exhibet glossas κήλων, οἰφόλης, Τιτάν, λάγνης, μάχλος, Πάν, Κένταυρος. quibus ex Eustathio addendae sunt φιλοίφας (Eust. p. 1597, 27) et λάσταυρος.

[90]) Omnes fere glossas Suetonianas cum locis Eustathianis post Nauckium et Millerum composuit Fresenius in appendice commentationis suae (p. 129—146). — [91]) Notandus est mirus consensus qui est inter M et Et. Sorb. (Gaisf. Et. Mg. 64, 34):

Et. Sorb. ἅλιον τὸ μάταιον ἀπὸ τῆς ἁλὸς [γενικῆς] ἐν οὐδενὸς λόγου (sic) κειμένη(ς) πρὸ τῆς τῶν νηῶν εὑρέσεως. τὸ γὰρ τῆς θαλάσσης ὕδωρ ἄχρηστον.	M ... ἅλιον τὸν μάταιον ἀπὸ τῆς ἁλὸς ἐν οὐδενὶ λόγῳ κειμένης πρὸ τῆς τῶν νηῶν εὑρέσεως.

[92]) De Eust. p. 1757, 50 (τρώκτης) Fresenius dubitavit; cf. schol. ξ 289. Apoll. lex. 155, 34.

dubitare non debebat Fresenius (p. 131 n. 7) λάσταυρος glossam Suetonio tribuere; artissime enim coniuncta est cum Κένταυρος glossa apud Eust. p. 527, 45 ... ὅθεν ἡ κωμικὴ βλασφημία κενταύρους ἔπαιζε τοὺς αἰσχρῷ ἔρωτι κεντοῦντας ταῦρον ὅπερ ἐστὶν ὄρρον [ἀφ' οὗ τὸ ὀρρωδεῖν], ἔτι δὲ καὶ λασταύρους τοὺς πάσχοντας ὡς οἷον λαιοταύρους ἤγουν δασεῖς τὸν τοιοῦτον ταῦρον.[93]) verbis ἡ κωμικὴ βλασφημία Suetonium significari certissimum est: cf. p. 518, 44 ... ἡ δὲ τὰ τοιαῦτα μεθοδεύουσα βλασφημία κτλ., p. 827, 30 ἡ δὲ τοιαῦτα νομοθετήσασα βλασφημία κτλ. breviter λάσταυρος memoratur p. 259, 4. 361, 8. 881, 23. veriloquium num Suetoni sit potest dubitari (cf. Curtius Etym.[4] p. 363).

2. Ἐπὶ γυναικῶν. Recensentur in M meretricum (nam de his agitur) convicia tredecim, quorum tribus tantum (καταλβάς, χαλιμάς, λύππα) interpretatio adiecta est. accedunt ex Eustathio fere totidem. plures huius capitis glossas una congessit Eust. p. 1088, 35. 1329, 32. 1921, 58, sed singulis locis diversum ordinem sequitur. Suetonius autem βλασφημίας huius capitis certo quodam ordine tractavit, cuius rei testis est Suidas, qui partem huius capitis Suetoniani (nescio unde) descripsit s. v. μυσάχνη· ἡ πόρνη παρὰ Ἀρχιλόχῳ· καὶ ἐργάτις καὶ δῆμος[94]) καὶ παχεῖα. Ἱππῶναξ δὲ βορβορόπιν[95]) καὶ [ὡς? cf. Eust. p. 862, 44. 1329, 32] ἀκάθαρτον ταύτην φησίν ἀπὸ τοῦ βορβόρου. καὶ ἀνασυρτόλιν ἀπὸ τοῦ ἀνασύρεσθαι. Ἀνακρέων δὲ πανδοσίαν καὶ λεωφόρον καὶ μανιόκηπον· κῆπος γὰρ τὸ μόριον. Εὔπολις (δὲ) εἰλίποδας ἀπὸ τῆς εἰλήσεως τῶν ποδῶν τῆς κατὰ μῖξιν. quibus cum Eust. p. 1329, 33 comparatis apparet partem capitis secundum auctores glossarum fuisse dispositam (cf. Fresenius p. 62). igitur auctores habemus

Archilochum glossarum μυσάχνη ἐργάτις δήμιος παχεῖα,

Hipponactem glossarum βορβορῶπις ἀνασειςίφαλλος ἀνασυρτόλις,

Anacreontem glossarum πανδοσία λεωφόρος πολύυμνος μανιόκηπος,

Eupolidem glossae εἰλίπους,

Anonymum quendam glossae χαλκιδῖτις (Eust. p. 1329 ... ἄλλος δέ τις χαλκιδῖτιν). vocem χαλκιδῖτις, quam omisit Suid. s. v. μυσάχνη, transcripsit s. v. χαλκιδῖτις· [παρὰ Ἰωσήπῳ][96]) ἡ πόρνη, ἀπὸ τῆς εὐτελείας τοῦ διδομένου νομίσματος (= Eust. p. 1329). praeterea Suidas ex Suetonio videtur habere glossas φορβάς et χαλιμάς: Suid. φορβάδων· ... καὶ φορβάς, ἡ πολλοῖς προσομιλοῦσα τροφῆς χάριν (= Eust. p. 1088, 35. 539, 13); Suid. χαλίμα (χαλι-

---

[93]) Sequitur κύνειρα glossa et ipsa Suetoniana. — [94]) δῆμος exhibent M Eust. Suid.: δήμιος probabiliter coniecit Küster. — [95]) βορβορόπιν Suid., βορβορόπην Eust., βορβορώπη M. scribendum est βορβορῶπις, quod Toup Emend. II 501 proposuit; formam neutram praebet Hesych. βορβορωπόν. cf. βλοσυρωπός — βλοσυρῶπις. — [96]) Nomen poetae in codice videtur non perspicuum fuisse; itaque Eust. ἄλλος δέ τις scripsit, Suidas (vel eius librarius quidam), ne teste glossa careret, παρὰ Ἰωσήπῳ addidit.

μάς leg.]· ἡ πόρνη, ἀπὸ τοῦ χαλᾶσθαι τὸ σῶμα ὑπὸ μέθης ἢ μανίας (= M. cf. Eust. p. 1471, 3).

Primam huius capitis glossam M exhibet μιςήτη, interpretationem vero omisit. Eustathi locus (p. 1650, 63) cui auctori tribuendus sit, ambigitur: Nauck Aristophani Byzantio eum vindicaverat (p. 169), Naber (Phot. Proleg. p. 76) Aelium Dionysium eo loco Eustathi auctorem fuisse statuit, Fresenius (p. 69) Suetonium. itaque locum accuratius inspiciamus oportet.

Eust. p. 1650, 63 ... αὐτὸ δέ γε τὸ μιcεῖν κοινότερον ἐπὶ τοῦ ἐχθραίνειν τεθὲν ἡ κωμικὴ cεμνότης ἐπὶ μίξεων ἔθετο ἀcέμνων. Ἀριcτοφάνης γοῦν μιςήτιαν ἐπὶ κατωφερείας ἔφη ἤγουν ῥοπῆς ἀcχέτου τῆς περὶ μίξεως. ἄλλοι δὲ μιςήτην βαρυτόνως πρὸς διαcτολὴν τῆς ὀξυτονουμένης τὴν κοινὴν καὶ ῥᾳδίαν, λέγοντες καὶ χρῆcιν αὐτῆς εἶναι παρὰ Κρατίνῳ καὶ Cώφρονι. χρᾶται δ' αὐτῇ καὶ παροιμία ἐν τῷ 'περὶ cφυρὸν παχεῖα μιςήτη γυνή' (Archil. frg. 185). καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦτα. vocem μιςητία similiter interpretatur schol. Ar. Av. 1620 μιςητίαν δὲ οἱ μὲν περὶ Ἀριcτοφάνη τὴν εἰc τὰ ἀφροδίcια ἀκρατίαν. καὶ τὸ 'περὶ cφυρὸν παχεῖα μιςήτη γυνή' οὕτωc ἐξηγοῦνται. μήποτε μέντοι γενικώτερόν ἐcτιν ἀπληcτία, ὃ καὶ νῦν ἐμφαίνεται. propter scholiastae verba οἱ μὲν περὶ Ἀριcτοφάνη Nauck Eustathi locum Aristophaneo capiti περὶ βλαcφημιῶν adscripsit (frg. XVIII). at Aristophanes Byzantius non scripsit περὶ βλαcφημιῶν. itaque observationem a scholiasta traditam ad λέξεις Aristophanis non referendam iudico, si Aristophanes grammaticus intellegendus est. apud Eustathium certe de grammatico cogitari posse nego. Aristophanes Byzantius ab Eustathio Ἀριcτοφάνης ὁ γραμματικός ubique appellatur. atque hoc loco verba ἡ κωμικὴ cεμνότης ἔθετο ... Ἀριcτοφάνης γοῦν κτλ. meo quidem iudicio omnino vetant alium intellegi nisi Comicum. observatio non ea est, quam Eustathio ipsi non tribuamus. nam Aristophanem poetam ille secundum Homerum maxime adamabat et lectitabat, quod loci innumeri testantur ubi ὁ κωμικός ad partes vocatur. vocabulum μιςητία autem bis usurpavit Aristophanes, Av. 1620. Plut. 989.[97]) at dixerit quispiam, verbis quae sequuntur ἄλλοι δὲ (scil. γραμματικοί) κτλ. demonstrari praecedentibus quoque grammaticum esse intellegendum. sed qui Eustathi in talibus neglegentiam norunt, ista re sententiam meam non refutari concedent. confusiones scriptorum et grammaticorum haud raro apud nostrum invenias. duo exempla affero: p. 1395, 49 ... ἐκεῖθεν καὶ ὀβρίκαλα παρὰ Αἰcχύλῳ λεόντων cκυμνία τὰ δηλαδὴ καὶ ὄβριμα καὶ καλά. ἕτεροι δέ φαcιν, ὅτι τε ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα λεόντων καὶ λύκων cκυ-

[97]) Fresenius (p. 70) putat Eustathium ea quae de μιςητία voce dicat e schol. Ar. descripsisse, sed ipse sibi repugnat, cum Eustathi illud Ἀριcτοφάνης ad Comicum, scholiastae verba οἱ περὶ Ἀριcτοφάνη ad grammaticum spectare iudicet. Eustathium a schol. non pendere verborum discrepantia docet.

μνία. p. 1625, 13 οἱ δὲ παλαιοὶ τὸν τοιοῦτον ταρσὸν καὶ ταρρὸν λέγουσιν, οἱ μεθ' Ὅμηρον δηλαδή, ἐν οἷς καὶ ὁ κωμικός, οὗ καί φασιν, ὅτι ταρρὸς τὸ τυροκομεῖον. — iam quaeritur unde verba ἄλλοι δὲ κτλ. hauserit Eustathius. est quaedam similitudo inter Eustathium et Photium (s. v. μισήτη), sed magis concinunt Photius et Hesychius:

Phot. (Suid.)[98]) μισήτη· τὴν καταφερῆ μισήτην ἔλεγον, (οὐ παρὰ τὸ μῖσος ἀλλὰ παρὰ τὸ μίσγεσθαι)· τὸ γὰρ μῖσος [οὐκ] ἄποθέν ἐστι τοῦ μιαίνεσθαι· ὃ γὰρ μισεῖται, μεμόνωται καὶ ἀμιγές ἐστιν· (ἀλλ') οἱονεὶ μισγητήν τινα οὖσαν, ὃ καὶ βέλτιον. καὶ τὸ ἐν παροιμίας δὲ μέρει λεγόμενον 'περὶ σφυρὸν παχεῖα μισήτη γυνή' κατά τι τοιοῦτο εἰρῆσθαι δοκεῖ. καὶ ὁ Κρατῖνός που τοῦτ' ἔφη 'μίσηται δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται' (Mein. Com. II 202). τὸν δὲ ἁπλῶς μισητὸν τὸν ἀνίκανον λέγει [λέγουσιν f.]. μεταφορικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἀπλήστου κατὰ τὴν τροφὴν ἡ λέξις τίθεται.	Hesych. μισήτην· τὴν καταφερῆ λέγουσι μισήτην· 'μίσηται δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται'. τὸν δὲ ἁπλῶς μισητὸν τὸν ἀνίκανον. ἢ ἄπληστον τῇ τροφῇ.

Photius et Hesychius sine dubio ab eodem auctore pendent, sive Photius ipse Diogenianum exscripsit accuratius quam Hesychius sive Diogenianus et Photi auctor ex eodem fonte hauserunt. Eustathium vero indidem sua habere ac Photium, concedere non possum Nabero nimis audacter affirmanti (Proleg. p. 77): 'vides Eustathium sequi eundem atque Photium, quem facile intelligimus esse Dionysium'. discrepant enim Photius et Eustathius hisce: a Photio non laudatur Sophro, non notatur discrimen vocabulorum μισητή et μισήτη, Eustathius ignorat monstruosum illud veriloquium vocis μισήτη eiusque alteram significationem (ἄπλητος), nihil dicit de μισητός. verborum μισήτη et μισητή differentiam observavit Trypho ap. Ammon. p. 94 (Et. Gud. 395, 23) μισητὴ καὶ μισήτη διαφέρει παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ὡς φησι Τρύφων ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀττικῆς προσωδίας· ἐὰν μὲν γὰρ ὀξυτονήσωμεν, σημαίνει τὴν ἀξίαν μίσους, καθὰ καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ προφερόμεθα, ἐὰν δὲ βαρυτονήσωμεν, τὴν καταφερῆ πρὸς συνουσίαν. τὴν δὲ διαφορὰν τῶν σημαινομένων καὶ παρὰ Δωριεῦσί φασι φυλάττεσθαι καὶ παρ' Ἴωσι. Aelium Dionysium Naber contendit usurpasse Tryphonem. equidem non video, unde eluceat locum Photianum fluxisse e Tryphone. differentiam a Tryphone observatam praeter Ammonium unus commemorat Eustathius, non exhibent schol. Aristoph. Hesychius Photius. iam si Hesychium Photiumque coll. schol. Ar. a Didymo hoc loco pendere statuimus, Eustathi auctor Didymi glossam et Tryphonis observationem videtur conflasse. testimonia Trypho indidem videtur habere ac Didymus:

[98]) Photi locum corruptum edidit Naber, quem non vidisse miror Photium e Suida esse supplendum: verba uncis ( ) inclusa e Suida addidi, οὐκ notavi.

nam verbis παρὰ Δωριεῦσι Sophronem, παρ' Ἴωσι Archilochum significari apparet. Aristophanes Byz. num utriusque auctor sit (Naber Proleg. p. 77), valde dubito, quoniam scholiasta Aristophanis, etiamsi verbis οἱ περὶ Ἀριστοφάνη Aristophanem grammaticum significari concedamus, tantum de μισητία voce quid Aristophanes iudicaverit (non de μισήτη) adnotat. Aelius Dionysius autem, si Photius eum hoc loco adhibuit, non a Tryphone[99]) sed a Didymo pendet. Eustathius Aelium Dionysium hoc loco non secutus est. itaque facile crediderim cum Fresenio hunc locum Eustathianum ad Suetoni περὶ βλασφημιῶν librum esse referendum, etsi pro certo affirmari non potest.[100])

Confidentius κύνειρα glossam a Fresenio omissam Suetonio tribuere mihi videor. tribus locis ab Eustathio commemoratur, bis una cum aliis glossis Suetonianis: Eust. p. 527, 45 (v. sup. p. 329) ὅθεν ἡ κωμικὴ βλασφημία κενταύρους ἔπαιζε ... ἔτι δὲ καὶ λασταύρους ... ἡ δ' αὐτὴ καὶ παρὰ τὸν κύνα παίζει τὴν κύνειραν, περὶ ἧς ἀλλαχοῦ δηλοῦται. p. 1821, 52 postquam de μύζουρις glossa disputavit, sic pergit: ὡς δὲ καὶ κύων ἐπὶ μορίου θήλεος[101]) κεῖται, ἡ εἰρημένη κύνειρα δηλοῖ, et p. 1822, 15 ὡς δὲ κύων καὶ τῇ κωμῳδίᾳ ἐνέπηξε σκῶμμα γυναικεῖον, τὴν εἰρημένην κύνειραν, ἤγουν τὴν τὸν κύνα εὑρύουσαν [ὅπερ ἐστὶ ἐφελκομένην] ..., παλαιὰ χρῆσις δηλοῖ ἐμφαίνουσα πρὸς ὁμοιότητα τοῦ κυνόσουρα εἰρῆσθαι τὸ κύνειρα.

Nullius auctoris excerpta suis commentis nugisque magis Eustathius corrupit quam Suetoni. etenim more aetatis suae maxime delectabatur etymologiis verborum excogitandis. quae Eustathi aliorumque hominum Byzantinorum commenta a veterum grammaticorum fragmentis ab illis traditis secernere non facile est, quoniam ne Alexandrinos quidem grammaticos veriloquiis abstinuisse et ipsos multa in iis iocose commisisse constat. Suetonius cum omnium maledictorum origines investigare sibi proposuisset, plurimis glossis veriloquia adscripsisse putandus est. hinc elucet quam facile fuerit Eustathio Suetonianam doctrinam inquinare suis commentis. horum studiorum archiepiscopi Thessalonicensis exemplum famosum suppeditat glossa huius capitis καταλβάς, quod unum pro multis proferre liceat: καταλβάς M derivat ἀπὸ τοῦ καλεῖν καὶ σοβεῖν.[102]) aliter Eust. p. 741, 28 τὴν δὲ αὐτὴν κατωρίδα καὶ κατωρῖτιν ἔλεγόν τινες καὶ καταλβάδα παρὰ τὸ κάσαι καὶ τὸ ἄλλος καὶ τὸ βάζειν, οἱονεὶ

---

[99]) Quantum igitur Naberi coniecturae de Tryphone medio inter Aristophanem et Aelium Dionysium tribuendum sit, facile apparet. ab hoc enim loco profectus est (v. sup. not. 78). — [100]) Fortasse Eustathius verba βαρυτόνως πρὸς διαστολὴν τῆς ὀξυτονουμένης de suo adiecit: tum Eustathi auctor (Suetonius) ab uno Didymo pendet i. e. ab eodem a quo Hesychius et Photius. — [101]) Immo ἀνδρείου. cf. Hesych. Phot. s. v. κύων. Et. Mg. 549, 27. — [102]) Veriloquium Suetonio esse antiquius docent schol. Ar. Eq. 355 Eccl. 1106 Hesych. s. v. Et. Mg. 493, 28.

ἡ ἐν τῷ κομεῖσθαι ποτὲ μὲν ἄλλον ποτὲ δὲ ἄλλον βάζουσα ἤγουν φωνοῦσα καὶ καλοῦσα εἰς ἑαυτήν. ἐλέγετο διὰ τὴν τοιαύτην καὶ τὸ λοιδορεῖν καταλβάζειν. οἱ δὲ γράφοντες καλταβάς φασιν ὅτι ἴσως ἀπὸ τοῦ καλεῖν εἰς ἑαυτὴν καὶ σοβεῖν τοὺς ἑρασάς. nec de priore monstruoso veriloquio nec de scriptura καλταβάς alibi quicquam inveni, sunt documenta ingenii Eustathiani. vulgaris illa derivatio ἀπὸ τοῦ καλεῖν καὶ σοβεῖν quamvis ridicula sit, tamen non offendit veteres, Suetonium Diogenianum scholiastam Aristophanis nec Etymologum. at bonum Eustathium offendit, qui optime in talibus exercitatus magis illam convenire animadvertit vocabulo καλταβάς quam καταλβάς. itaque si formam καλταβάς tamquam alteram lectionem memorasset, etymologiam illam lectoribus probabiliorem se redditurum speravit. sed καταλβάς ne veriloquio careret, novum effinxit ipsius ingenio dignum παρὰ τὸ κάσαι καὶ τὸ ἄλλος καὶ τὸ βάζειν.[103]) atque hoc loco Eustathium falsarium deprendimus testimonio codicis M ducti, idem aliis locis fieri potest. etiam ubi ML nos deficiunt, multis locis Eustathi aliorumque commenta e Suetonio removere licet veterum lexicorum testimoniis comparatis.

3. Ἐπὶ ἐκδεδιητημένων καὶ ἐξηταιρημένων ἀρρένων. Tredecim glossas exhibet M, quarum quattuor Eustathius omittit (βάκηλος, σχινοτρώξ, δειςσάης, χαλαίβασις); duas vero addit ἄστυτος (et Ἀστυάναξ p. 862, 41. 656, 63. 849, 53. 1283, 24), κολλοποδιῶκται (p. 1915, 14).

Ἀρρενώπαν Eust. p. 827, 29. 1412, 31 interpretatur τὸν ἀνδρόγυνον. paulo aliter p. 1571, 43 οὗπερ (scil. εἰδομαλίδου) ἀνάπαλιν ἔχοι ἂν ὁ παρὰ τῷ Κρατίνῳ ἀρρενώπας, τὰ μὲν ἄλλα γύνις ὤν, ἔχων δέ τι ἀνδρόμορφον. οἱ δὲ τοιοῦτοι καὶ ἀνδρόγυνοι λέγονται. haec quoque quin a Suetonio habeat Eustathius, propter εἰδομαλίδης glossam et Suetonianam formam ἀρρενώπας dubitari nequit. itaque Suetonius Suidae quoque auctor putandus est, qui eadem scribit s. v. ἄρρεν· ... καὶ ἀρρενωπὸς ὁ ἀνδρόγυνος. [καὶ ὁ ἀνδρεῖος ὁ στερρός]. λέγουσι δὲ οὕτω τὰ μὲν ἄλλα γύνιδας, ἔχοντας δέ τι ἀνδρόμορφον. cf. Nauck p. 167. idem vocabulum quarto loco commemorat p. 1490, 23 ... καὶ τὸ ἀνδρογύνοις, οἳ

[103]) Huius rationis fontes suos tractandi simile exemplum praebet Eustathius p. 729, 24, ubi Aristarchi interpretatione versus Homerici Θ 555 enarrata (cf. schol. A ad h. v.) sic pergit: τινὲς δέ, ὡς ἐν τοῖς Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου φέρεται, διχοτομήσαντες τὴν σελήνην ἐν τῷ φαεινὴν τὸ μὲν φάει παρώξυναν τὸ δὲ νῆν περιέσπασαν εἰπόντες τὴν τῷ φάει νῆν ὅ ἐστι νέην ἤγουν ἄρτι φωτίζεσθαι ἀρξαμένην, ὅτε αὐτῆς ἀμυδρῆς φαινούσης ἀριπρεπῆ τὰ ἄστρα φαίνεται. nihil usquam de hac scriptura φάει νῆν traditur (scholiasta L, qui idem narrat, ab Eustathio descripsit); equidem non dubito quin commentum sit Eustathi ipsius, cuius ansam dedit hoc scholion vetustum in VB traditum: οἱ μὲν τὴν ἄρτι φαίνεσθαι ἀρχομένην οἷον νέαν ἐν τῷ φάει ..., οἱ δὲ τὴν φύσει φαεινήν κτλ. eadem ni fallor Eust. apud Apionem et Herodorum invenit, sed verba οἷον νέαν ἐν τῷ φάει meram esse interpretationem poetae verborum cum non perspiceret, absurdam illam lectionem φάει νῆν effinxit.

καὶ ἀρρενόπαιδες λέγονται. ἀρρενόπαιδες corruptum est ex ἀρρενωπάδες. Suetonius autem scripsit ἀρρενῶπαι. itaque hoc loco Eust. non Suetonium sed lexicon rhetoricum ni fallor inspexit. Hesychius certe et lex. Bekk. formam ἀρρενωπάς exhibent: Hesych. ἀρρενωπάδες· ἀνδρόγυνοι. lex. Bekk. 466, 24 ἀρρενωποὺς καὶ ἀρρενωπάδας τὰς γυναῖκας [τοὺς γύνιδας f.] καλοῦσιν. Nauck p. 166 n. 6 apud Eust. p. 1490, 23 ἀρρενῶπαι δὲ legendum proposuit: neque enim ἀρρενωπάδες utpote femininum ferri posse. at si ἀρρενωπάς feminium esset, Hesychius non debebat ἀνδρόγυνοι interpretari; et lex. Bekk. ἀρρενωπούς et ἀρρενωπάδας idem significare docet.

Κόλλοψ κολλοποδιῶκται ἐκδρομάδες glossas una profert Eust. p. 1915, 14; sicuti p. 971, 39 longius excerptum Aristophaneum cum Suetoni de τηθαλλαδοῦς vocabulo verbis quibusdam miscuit (v. sup. p. 317), ita hoc loco excerpto Suetoniano fragmentum Aristophaneum immiscuit: p. 1915, 7 κόλλοψ primum illustrat e scholiis Homericis (φ 407), e Pausaniae et alterius cuiusdam lexicis, deinde p. 1915, 14 ad Suetonium transit verbis ἄλλοι δὲ γράφουσιν οὕτως (cf. Fresen. p. 70); ex eodem sine dubio descripsit verba (in M omissa) καὶ κολλοποδιῶκται οἱ ἄγριοι περὶ τὰ τοιαῦτα. tum Aristophanem laudat ἐν δὲ τοῖς τοῦ γραμματικοῦ Ἀριστοφάνους φέρεται ταῦτα· κόλλοπα κτλ. (quae ad caput περὶ τῶν ὑποπτευομένων pertinent); Eubuli versus ab Aristophane laudatus desinit in verba ‘ἐς τοὺς κόλλοπας τοὺς ἐκδρομάδας’: iam adiungit Eust. vocis ἐκδρομάδης interpretationem οἵπερ εἰσὶν οἱ, ὡς ἐρρέθη, ἀκολασταίνοντες ὑπέρακμα, λεγόμενοι ἐκδρομάδες ὡς παραδεδραμηκότες τὴν ὥραν καὶ ἀνάπαλιν ὄντες τοῖς πρῶτον ὑπηνήταις, quam nec Aristophanis nec Eustathi (Nauck p. 170 n. 5) sed Suetoni esse testatur M: ἐκδρομάδης [ἐκδρομάς l.]· ὁ παραδεδραμηκὼς τὴν ὥραν.

Βροτολοιγός glossam sic interpretatur Eust. p. 518, 41 καὶ ὅτι βροτολοιγὸς κοινότερον μὲν ὁ ἀνδροφόνος. [δύναται δέ ποτε σκωφθῆναι τοιοῦτος καὶ ὁ ἄτεχνος ἰατρός]. ὁ δὲ κωμικός, φασι, βροτολοιγὸν ἰδίως που ἔφη τὸν καὶ αἰσχρολοιχὸν λεγόμενον [κατὰ ἀναλογίαν τοῦ ματιολοιχοῦ], διὰ τὸ τοὺς τοιούτους παραιτίους γίνεσθαι τοῦ μὴ κύειν γυναῖκας [καὶ οὕτως ἐπ’ ὀλέθρῳ βροτῶν εἶναι]. M breviter explicat βροτολοιγός· οἱονεὶ βροτοφθόρος. Lobeck (Phryn. p. 573) ‘Comicum βροτολοιχόν (fellatorem) ut intellegi voluisse ita scripsisse’ credidit. quam coniecturam Fresenius (p. 134 n. 13) probare noluit et Suetonium βροτολοιγός scripsisse sibi persuasit, quod ‘verba Eustathiana καὶ οὕτως ἐπ’ ὀλέθρῳ βροτῶν εἶναι respondent excerpti M verbis οἱονεὶ βροτοφθόρος’. neuter videtur perspexisse, quid verbo βροτολοιγός significare voluerit Comicus, quid interpretatione βροτοφθόρος Suetonius. iure Lobeck in βροτολοιγός offendit; neque enim perspicuum, quomodo is qui homines pessumdet idem sit quod αἰσχρολοιχός. sed quod ille coniecit βροτολοιχός quid significet, ego non intellego. βροτολοιγός rectum est, modo iuste explicetur. videbimus infra

plurimis glossis cum Suetonio convenire Hesychium atque alterum suppleri ab altero. Hesychius autem hoc tradit: βροτολοιγός· ἀνθρωποκτόνος. αἱμοφθόρος. videsne eandem esse Suetoni eandem Hesychi interpretationem? nempe ὁ βρότος idem est quod αἷμα. iam res manifesta est: Homerus et Aeschylus (Suppl. 665) cum Martem βροτολοιγόν appellant, a βρότος vocabulo derivari volunt, Comicus ille cum fellatorem quendam βροτολοιγόν dixit, de βρότος vocabulo cogitavit et cogitari voluit. amant poetae Graeci τὸ ἐτυμολογεῖν. — Eustathi autem verba καὶ οὕτως ἐπ᾽ ὀλέθρῳ βροτῶν εἶναι, si modo recte disputavi, excerpti M verbis οἱονεὶ βροτοφθόρος non respondent, sed ea obscurant et in errorem ducunt: Eustathius illa de suo adiecit, ut Suetoni interpretationem βροτοφθόρος, cuius veram significationem non perspexit, circumscriberet.

Ad hoc caput satis probabiliter coniecit Fresenius referendas esse glossas κυβάλης et σποδόρχης ab Eustathio p. 1431, 46 memoratas.

4. Εἰς πονηρούς. Triginta quinque glossas exhibet M, viginti tres Eustathius, viginti duas L. ἀλάστωρ glossam, quam sic interpretantur ML: ἀλάστωρ· ὁ πράττων τι μὴ δυνάμενον ἐν λιταῖς συγχωρηθῆναι ἢ, ὡς ὁ Χρύσιππος, ἐλάστωρ τις ὢν ἄξιος ἐλαύνεσθαι διὰ φόνον ἤ τι τοιοῦτον. τοιοῦτον δὲ καὶ ὁ ἀλιτρὸς καὶ ὁ ἀλιτήριος, duobus locis Eust. tractavit p. 474, 21. 1415, 17, neutro Suetonium secutus. e lexico rhetorico eum sua habere (cf. Fresen. p. 135 n. 3) elucet comparatis lex. Bekk. 374, 22 Et. Mg. 57, 25. παλαμναῖος vero glossam in ML breviter explicatam (παλαμναῖος· ὁ ἐνεχόμενος μιάσματι) e Suetonio illustrasse mihi videtur Eust. p. 586, 2 παλαμναῖος οὐ μόνον κοινότερον ὁ βριαρόχειρ, ἀλλὰ καὶ ὁ αὐτοχειρὶ κατὰ τοὺς παλαιοὺς φονεύων καί τινι μιάσματι ἔνοχος. [καὶ Ζεὺς δέ, φασι, παλαμναῖος ὁ τοὺς φονεῖς καταρρίπτων. καί τις δέ, φασι, ἀσπὶς παλαμναία ἐκαλεῖτο].[104]) ψογερὰ δὲ λέξις ἀεὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι [δίχα Διὸς] ὁ παλαμναῖος. concinit Hesych. παλαμναῖος· ... φονεύς, ὁ αὐτοχειρίᾳ τινὰ ἀνελών, ὁ ἐνεχόμενος μιάσματι οἰκείῳ. e lexico rhetorico hunc Eustathi locum non esse depromptum (hoc videbatur Fresenio p. 135 n. 4), Photi s. v. παλαμναῖος discrepantia demonstrat.

Suetonium cum lexico rhetorico quodam conflavit Eust. p. 1864, 22, ubi copiose de Eurybato disputat exempli improbi hominis causa a scriptoribus non nunquam adhibito. cf. Fresen. p. 56 et infra.

Φηλήτης glossam tribus locis memorat Eustathius, quorum nullum Suetonio tribuere ausus est Fresenius (p. 137 n. 3). ac p. 194, 32 quidem vetera in Hesiodum scholia usurpavit (τινὲς τῶν παλαιῶν ἐσχολιαστῶν Ἡσιόδου), p. 781, 12 aut eadem aut Choeroboscum (cf. eius Orthogr. 271, 30. Et. Or. 159, 27. Et. Mg. 794, 1). sed p. 1889, 1 Suetonium crediderim ab Eustathio esse adhibitum:

---

[104]) Verba καὶ Ζεὺς — ἐκαλεῖτο ut aliunde excerpta inclusi, quod a libri Suetoniani consilio abhorrent. cf. Et. Mg. 647, 45.

φηλήτου δὲ τοῦ εἰρημένου χρῆϲιϲ μὲν παρά τε Ἡϲιόδῳ (Op. 377) καὶ παρὰ Ἀρχιλόχῳ ἐν τῷ ‘φηλήτᾳ νύκτωρ περὶ πόλιν πολευμένῳ’ (frg. 46) ἤγουν κλέπτῃ νυκτιλόχῳ. quae sequitur etymologiam (παρὰ τὸ ὑφελεῖν) non Suetonio videtur debere, etsi eam Trypho et Herodianus probarunt.

5. Εἰϲ ἀλαζόναϲ. Paucas huius capitis glossas congessit Eust. p. 1431, 47: κύβηβοϲ, cάβοϲ, caβάζιοϲ, βάκχοϲ, βαβάκτηϲ, βάβαξ, ἐμμανήϲ, φλέδων. p. 1909, 57 addit Λαπίθηϲ, ἀλαζών. ML glossas κύβηβοϲ, caβάζιοϲ, ἐμμανήϲ omittunt. κύβηβοϲ omittere Fresenius non debebat, quoniam reliquae omnes ut synonyma τοῦ κυβήβου ab Eustathio proferuntur.

6. Εἰϲ ἀγοραίουϲ καὶ πολυπράγμοναϲ καὶ φιλεγκλήμοναϲ. Docte et copiose de conviciis huius generis Suetonius videtur disputasse. viginti quattuor glossas exhibet M, quibus glossa κρόταλον addenda est ex Eustathio (p. 1471, 4), qui septem omittit (cυκοφάντηϲ, Λύκου δεκάϲ, κόβαλοϲ, κόβακτροϲ, κομψόϲ, λίϲπη, cπάλαθροϲ). de origine vocabulorum cυκοφάντηϲ et Λύκου δεκάϲ Suetoni enarratio in M excidit. in cυκοφάντηϲ glossa lacunam in M vel indicatam legimus: cυκοφάντηϲ· ἀπὸ δὲ τῆϲ περὶ τὸν cυκοφάντην ἱϲτορίαϲ ἐλέγετο ὁ φιλεγκλήμων καὶ cυκαϲτὴϲ καὶ cυκόβιοϲ καὶ cυκωρὸϲ καὶ cυκολόγοϲ καὶ cυκώδηϲ καὶ cυκοπαδίαϲ. sed supplere licet hoc fragmentum Suetonianum e schol. Ar. Plut. 873, ubi haec leguntur: ὁ cυκοφάντηϲ· οὕτω καλοῦνται οἱ ἐπηρεάζονταϲ ἀπὸ τοιαύτηϲ αἰτίαϲ· τὸ παλαιὸν ἀπειρημένον ἦν cῦκα ἐξάγειν ἐκ τῆϲ Ἀττικῆϲ, τοῦ φυτοῦ κατ᾽ ἀρχὰϲ θαυμαζομένου. τοὺϲ πικρῶϲ οὖν διερευνῶνταϲ τὸ τοιοῦτον οὕτωϲ ὀνομαcθῆναι λέγουϲιν ἀπὸ τῆϲ ὀπώραϲ. παραcχεῖν οὖν καὶ τοῖϲ ὁπωcοῦν μάτην ἐγκαλοῦϲι τὴν ὀνομαϲίαν, ἅμα καὶ τοῦ φαίνειν τὸ ἐγκαλεῖν ἢ εἰϲ δίκην εἰϲάγειν δηλοῦντοϲ. ὅτι δὲ ἀπὸ τούτων γέγονεν, ἐκ τῶνδε δῆλον· cυκαϲτὰϲ γὰρ τοὺϲ φιλεγκλήμοναϲ ἔλεγον καὶ cυκοβίουϲ καὶ cυκωροὺϲ καὶ cυκολόγουϲ καὶ φιλοcύκουϲ καὶ cυκώδειϲ καὶ cυκοπαδίαϲ, ἴcωϲ ἀπὸ τοῦ πάνταϲ ἐγκλήματα ἐφέλκεcθαι. ad ea Dindorf haec adnotavit: ‘scholion recentius — a Ravennate enim et Veneto libris abest — confictum maximam partem ex Et. Mg. s. v. cυκοφαντία et cυκοφάνται’. recens esse scholion eo confirmatur, quod apud Suidam, quem vetera in Aristophanem scholia fere exhausisse constat; non legitur. sed ex Et. Mg. confictum non est. nam Et. Mg. s. v. cυκοφαντία (p. 733, 38) parum cum schol. Ar. concinit, s. v. cυκοφάνται autem e contrario Etymologus scholiastam excerpsit, quoniam pauciora exhibet: Et. Mg. 733, 54 cυκοφάνται‘ οἱ ἐπηρεάζονταϲ· καὶ φαίνειν γὰρ τὸ ἐγκαλεῖν· καὶ cυκαϲτὰϲ τοὺϲ φιλεγκλήμοναϲ ἔλεγον καὶ cυκοβίουϲ καὶ cυκωροὺϲ καὶ cυκώδειϲ καὶ cυκολόγουϲ καὶ φιλοcύκουϲ. scholiasta Aristophanis illa ex ipso Suetoni libro περὶ βλαcφημιῶν videtur descripsisse. — de Λύκου δεκάϲ delatorum convicii origine multa exstant veterum testimonia (maximam partem corrupta), quae omnia ad Eratosthenem reducenda sunt (cf. Bern-

hardy, Eratosthenica p. 214. Stojentin, de Pollucis auctoritate p. 69): Harp. s. v. δεκάζων. lex. Cantabr. s. v. Λύκος ἥρως. lex. rhet. Bekk. 236, 3. schol. Aesch. Tim. 84. Zenob. V 2 (= Hesych. Phot.[2] s. v. Λύκου δεκάς). Pollux VIII 121. Suetoni disputationem nimis decurtatam exhibent ML: Λύκου δεκάς· ὁ προδιδοὺς τὰς ὑποθέσεις συνήγορος. ὁ αὐτὸς καὶ λιθωμότης. λιθωμότης idem significare quod Λύκου δέκας nemo alius tradidit.

In Eustathi locis Suetonio assignandis quam caute agendum sit, exemplum docet glossae ἀρχολίπαρος. conspirant inter se ML Et. Mg. 151, 35. Eust. p. 210, 47. alter vero locus Eustathianus quem apposuit Fresenius, p. 1430, 27, a Suetonio removendus est quippe e lexico rhetorico deductus; magis enim concinit cum Hesychio quam cum Suetonio:

Eust. p. 1430, 27 ἰστέον δὲ ὅτι ... ἀρχολίπαροι οὐ μόνον οἱ λιπαροῦντες, ἵνα ἄρξωσιν, ἀλλὰ καὶ οἱ λιπαινόμενοι ἐκ τοῦ ἄρχειν.	Hesych. ἀρχολίπαροι· οἱ λιπαροῦντες ἵνα ἄρξωσιν, ἢ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενοι.

Suet. (ML Et. Mg. Eust. p. 210, 47) ἀρχολίπαρος· ὁ λιπαρῶν, ἵνα ἀρχῆς τύχῃ· ἢ ὁ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενος· ὁ αὐτὸς καὶ ἀρχογλυπτάδης ὁ ὡσπερεὶ γλύφων τὰς ἀρχάς.

7. Εἰς μωροὺς καὶ εὐήθεις. Satis bonas huius capitis reliquias habemus apud Eust. p. 1669, 43, ubi quae Suetonius de stultorum conviciis a propriis nominibus derivatis (de Sanna Coroebo Margite aliis) disputaverat congesta sunt. M glossas exhibet sedecim, frg. Paris. duas κέπφος (§ 20) et ἄγγαρος (§ 21). accedunt ex Eustathio λάρος (p. 1522, 55)[105]), Σάννας (p. 1669, 43), Πολύδωρος (ibid.).[106]) omittit Eust. λέμφος[107]), ἄγγαρος[108]), Λάμια.[109])

8. Εἰς πρεσβύτας. Plures huius capitis glossas una congessit Eust. p. 1330, 12. 1431, 39. 1828, 9. viginti septem glossas exhibet M. addit Eust. σορέλλην (p. 1330, 12), omittit Τηθύς, κνίψ.

De Κυβήβη et Τηθύς anuum conviciis in M haec legimus: ... τὴν δὲ γραῦν ὁμοίως δι' ἀρχαιότητα κύβηκα καὶ τηθὺν ἐκάλει (videtur nomen poetae excidisse). pro κύβηκα corrupto Nauck (Mélanges Gréco-Romains III 171) scribendum esse coniecit Κυβήβην, ut 'deum mater' anus iocose diceretur. quae coniectura comprobatur Eustathi loco p. 1431, 39. quem locum utpote maxime memorabilem ad Eustathi rationem illustrandam accuratius tractare liceat:

---

[105]) Λάρος vocabulum apud Eustathium arte coniunctum cum glossis κέπφος ὦτος a Fresenio receptum non esse miror. cf. schol. Luc. Tim. 12. — [106]) Πολύδωρος pro Πολύωρος scribendum est coll. Ael. V. H. XIII 15. post Polydorum de alio quodam loquitur Eust., cuius nomen excidit. fortasse Bûtalio intellegendus est, cf. schol. Ar. Plut. 990. — [107]) P. 1761, 16 λέμφος Eust. ex Aristophane Byzantio deprompsit. v. sup. p. 290. — [108]) Ἄγγαρος ab Eustathio p. 1854 ex Aelio Dionysio illustratur. — [109]) Λαμνή in M corruptum est: Λάμια scribendum esse probabiliter coniecit Miller. cf. schol. Ar. Pac. 758. Vesp. 1035. Hesych. Phot. s. v.

γράψας et p. 1397, 39 ἐκεῖνος ὁ τὰ περὶ τῆς καθ' Ἕλληνας παιδιᾶς γράψας significet, Suetonium Tranquillum esse primus suspicatus est Casaubonus. et Reifferscheid, cum Suetoni usum apud Eustathium latius patere perspiceret, magnam partem lusuum in Eustathi commentariis descriptorum Suetonio vindicavit in eiusque reliquias recepit. qua in re quam recte fecerit Reifferscheid, postquam excerpta ML in lucem prodierunt, luculenter apparuit. nam quae in ML post excerpta βλασφημιῶν et λέξεων Aristophanearum leguntur fragmenta ad argumentum παιδιῶν spectantia Suetonio tribuenda esse (titulo enim carent) consensus fragmenti Parisini evincit; extrema enim in ML glossa σκινθαρίζειν initium facit glossarum Suetonianarum quae in frg. Paris. leguntur (v. sup. p. 327). lusus autem in ML commemoratos excepto uno (τρυγοδίφησις) omnes accuratius et copiosius tractavit Eustathius. sed excerpta ML ex Eustathi commentariis etiam suppleri posse et Miller (p. 396) et Fresenius (p. 49) intellexerunt. equidem omnes παιδιάς ab Eustathio enarratas, quae quidem ab ipso certo auctori non tribuantur, Suetonio reddere non dubito. illustrantur autem παιδιαί Suetonianae his locis[156]):

*1. κυβεία πεττεία ἀστραγαλισμός: ML Eust. p. 1397, 7 (228, 1. 1083, 63. 633, 56. 1289, 53).
*2. διὰ σφαίρας παιδιά: Eust. p. 1601, 30 (1553, 62).
3. γρῖφοι (αἶνοι): ML Eust. p. 713, 10.
*4. ἑωλοκρασία: Tzetz. V. H. VI 875. Eust. p. 1451, 55.
*5. κότταβος: Tzetz. l. l.
6. μηλάνθη: ML Eust. p. 1329, 25.
*7. ἕλκυστίνδα, σκαπέρδα ἕλκειν: ML Eust. p. 1111, 21.
*8. ἐποστρακισμός: ML Eust. p. 1161, 34.
*9. ὀστράκου περιστροφή, ὀστρακίνδα: ML Eust. ibid.
10. φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί: ML Eust. p. 1963, 39. 855, 25.
*11. κυνδαλισμός: ML Eust. p. 540, 23.
12. ἀσκωλιασμός: ML Eust. p. 1646, 21.
13. τρυγοδίφησις: ML.
*14. ἐν κοτύλῃ: Eust. p. 550, 2.
15. ἱμαντελιγμός: Eust. p. 979, 28.
16. χαλκισμός: Eust. p. 986, 41. 1409, 17.
*17. χαλκῆ μυῖα: Eust. p. 1243, 29.
*18. βασιλίνδα: Eust. p. 1425, 41.
19. χέλει χελώνη: Eust. p. 1914, 54.
20. σκινθαρίζειν: ML frg. Par. § 18. Eust. p. 861, 10.
21. ῥαθαπυγίζειν: frg. Par. § 18. Eust. ibid.

Certum auctorem quem in lusibus Graecorum describendis secutus sit Suetonius ignoramus; non enim quis ante Suetonium περὶ

[156]) Lusus iam a Reifferscheidio in Suetoni reliquias receptos asterisco notavi.

παιδιῶν scripserit accepimus. at tamen ne hunc quidem librum suo Marte Tranquillum composuisse pro certo affirmare licet. nec satis est illud dicere, Suetonium plus e litterarum monumentis hausisse quam ex sua ipsius observatione sermonis Graeci (C. Robert, Griechische Kinderspiele auf Vasen, Archaeol. Ztg. 1879 p. 78); longius etiam procedendum est: Suetonius, arbitror, non e scriptoribus Graecis, non e fabulis poetarum comicorum lusus Graecorum describendos suscepit, sed e fonte quodam grammatico libellum περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν conscripsit (v. sup. p. 339). quae sententia eo comprobatur, quod Pollux et omnes fere παιδιάς quas excerptis Suetonianis tractatas invenimus et alias praeterea multas enarrat. quo fit, ut Suetonium e Pollucis copiis (IX 94—129) emendare et supplere liceat. congruunt enim Suetonius et Pollux adeo, ut vel dispositio libelli Suetoniani similis ac Pollucis fuisse videatur: qua de re exposuit Fresenius (p. 32 seqq.). diviserat Suetonius disputationem suam in duas partes, quarum priore maiores lusus altera minores tractavit: atque illa quidem tesserarum calculorum talorum pilae convivalesque lusus enarravit, hac ordinem quem secutus sit e reliquiis in ML servatis perspicere non iam licet. Pollux minores lusus externa quadam forma disposuit: primum enarrat παιδιάς quae in -ίνδα (110—117) deinde quae in -μός (118—121) exeunt, quibus adnectit reliquas his ordinibus non accommodatas. consensum Suetoni et Pollucis Reifferscheid (Quaest. Suet. p. 463) ita explicavit, ut ab utroque eundem auctorem adhibitum esse diceret. quo in iudicio perseverandum est nec statuere licet Pollucem Suetonio usum esse auctore, quam ad opinionem inclinavit Fresenius (p. 32 n. 2).[157] nam quamvis magna sit Suetoni et Pollucis similitudo, tamen non ea est, ut Pollucem a Suetonio sua descripsisse affirmari possit. multo propius ad Suetonium accedit scholiasta Platonis i. e. Boethus: sed ne hunc quidem Suetoni libello usum esse persuadere mihi possum. nam eodem iure idem de Hesychio statui potest (quod neminem facturum confido), qui ut in βλασφημίαις ita in παιδιαῖς cum Suetonio maxime conspirat. nimirum omnes, Suetonius Diogenianus Pollux Boethus, ab eodem auctore pendent, quem Pamphilum fuisse contendere non dubito: a lexici Pamphilei parte altera argumentum παιδιῶν abesse non debebat.

1. De lusibus maioribus.

De tesseris calculis talis disputationem Suetonianam fere totam descripsit Eust. p. 1397, 7—45, singulas partes repetiit p. 228, 1 (de tesserarum et calculorum inventione), p. 1083, 63 (de tesseris), p. 633, 56 (de calculis, de διαγραμμισμός ludo), p. 1289, 53

[157]) Longius etiam progredi ausus est C. Robert, qui non solum schol. Platonis et Pollucem sed etiam Pausaniam Atticistam Suetoni librum usurpasse diceret (l. l. p. 80 not.).

(de talis, de πόλεις ludo). excerpta ML exigua tantum fragmenta praebent, initium disputationis de tesseris (de Platonis loco Phaedr. 274c) eiusque finem (de τρηματίκται et σκιράφεια vocabulis), particulam disputationis de calculis (de proverbio κινήσω τὸν ἀφ' ἱερᾶς): reliqua omittunt.

Pollux IX 94—103 κυβείαν quam brevissime absolvit, uno tamen loco lacunam Eustathi supplet (95. 96 πλειστοβολίνδα), in πεττείας et ἀστραγαλισμοῦ descriptione cum Eustathio fere congruit, sed ut hic uberius narret quam Pollux. utriusque de talis enarrationem supplet schol. Plat. Lys. 206e, plus vero cum Eustathio quam Polluce conspirat. adiciunt Pollux et schol. Plat. tria genera τοῦ ἀστραγαλίζειν ab Eustathio omissa (ἀρτιασμός, τρόπα, ὤμιλλα), quae a Suetonio commemorata fuisse verba demonstrant quibus Eust. p. 1290, 3 disputationis finem facit: ὡς δὲ καὶ πολλοῖς ἀστραγάλοις ἔπαιζον καθὰ καρύοις, ζητητέον ἐν τῷ Πλούτῳ τοῦ κωμικοῦ, quibus respondet schol. Plat. ... ἔπαιζον δὲ ἀστραγάλοις καὶ πολλοῖς καθάπερ καρύοις, ubi paulo post Ἀριστοφάνης Πλούτῳ (816) laudatur.

Inventorem κυβείας et πεττείας Palamedem dixit Suetonius auctoritatem secutus Polemonis (cf. Preller, Polem. frg. p. 64) ac testimonia Sophoclis et Euphorionis. eundem testatur inscriptio ἀναθήματος cuiusdam a Paus. II 20, 3 tradita, ubi Palamedes dicitur κύβους εὑρών (ἀνέθηκε). Herodotus vero (I, 94) ab ipso Eustathio p. 1396, 57 laudatus Lydos invenisse tesseras καὶ τῶν ἄλλων παιδιῶν παιγνιέων τὰ εἴδεα πλὴν πεσσῶν auctor est, πεττείαν igitur solam Palamedi videtur tribuisse. ac πεττείαν antiquissimo tempore esse inventam Odysseae versus α 107 docet, quem explicare posse sibi visus est Apio ὁ Μόχθος (Athen. I 16 f.).

Deinde Suetonius Platonis locum Phaedr. 274c laudat, ubi Aegyptii cum alia tum πεττείαν τε καὶ κυβείαν invenisse narrantur: sed Platonis interpretes (οἱ τοῦ Πλάτωνος ὑπομνηματισταί), inquit Suetonius, eo loco πεττείαν non pro lusu sed pro instrumento acceperunt ad studia astronomica utili. qua de interpretatione tacent scholia Platonis quae aetatem tulerunt; sed huc spectare intellexit Ruhnken Timaei glossam (p. 217) πεττεία· ἡ διὰ ψήφων παιδιά. ἔστιν δ' ὅτε καὶ γεωμετρίαν λέγει.

Quae memoravi Pollux omisit, qui statim tesserarum ludum describit, sed multo neglegentiorem se praestat quam Suetonius. ac primum quidem docet Suetonius veteres tribus tesseris lusisse, non duobus ut posteriores. deinde proverbium affert ab optimo et pessimo iactu ortum ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβους et Platonem laudat illud alludentem (Legg. XII 968e). tum observationem adiungit de duplici vocabuli κύβος usu (κύβον non modo tesseram significare sed etiam unionem sive punctum tesserae), quem Sophoclis et Euripidis versibus allatis illustrat. Pollux breviter duplicem nominis κύβος usum et proverbium ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβους commemorat, reliqua omittit.

Cum Suetonio verbis fere conspirant paroemiographi Zenobius

IV 23 Diog. V 4 (v. sup. not. 137) et scholiasta Platonis Legg. XII 968e. brevius eadem tradunt Hesych. et Phot.[158]) s. v. ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι.

Versum ‘βέβληκ᾽ Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα᾽ Suetonius olim exstitisse narrat in Euripidis Telepho, sed postquam Aristophanes (Ran. 1400) versum perstrinxisset, totum Euripidem ἐπεισόδιον sustulisse. idem Aristoxeno auctore tradunt Zenob. II 85 et schol. Ar. Ran. 1400. eundem Euripidis versum laudat Phot. τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι.[159])

Iam Eustathius p. 1397 ad nominis τρηματίκται interpretationem transit, p. 1083 vero se omisisse aliquid verbis indicat hisce: ὡς δὲ καὶ καθ᾽ ἕκαστον κύβον ἤγουν καθ᾽ ἑκάστην μονάδα ἔπαιζον ἀργυρίοις ὁρίσαντες. explet lacunam Pollux IX 95—96, qui illud κυβείας genus πλειστοβολίνδα[160]) appellat. quem lusum satis obscurum probabili ratione explanavit Becq de Fouquières (Les jeux des anciens p. 315), nisi quod pristinam lectionem τὸ τριμναῖον frustra tuetur, quam dudum correxerunt in τὸ τρῆμα μναιῖον (cf. Meinek. Com. II 709). — πλειστοβολίνδα ludentes dorico vocabulo dicebantur τρηματίκται ‘ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων᾽, ut Suetonius (Eust. ML) et Pollux adnotant. item Hesych. τρηματικτάς· κυβευτὰς ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων. — sequitur vocabulum σκιράφεια a Suetonio et Polluce ab eo loco derivatum, ubi Athenienses plerumque tesseris ludere solebant. congruunt Hesych. s. v. σκ[ε]ιραφ(ε)ιον, Harpocr. s. v. σκιράφια, Steph. Byz. s. v. Σκίρος. alias derivationes addunt Phot. s. v., lex. rhet. Bekk. 300, 23 (Et. Mg. 717, 28). — σκιράφους ML tradunt appellari τοὺς πανούργους, Eustathius πάντα τὰ πανουργήματα. Fresenius Eustathi verba corrupta videtur existimasse. sed ad Hipponactis verba τί με σκιράφοις ἀτιτάλλεις Eustathi interpretationem optime quadrare manifestum est. et Eustathi et exc. ML verba mutila videntur esse et Suetonius, ni fallor, sic scripsit: ὅθεν καὶ τοὺς πανούργους σκιράφους ἐκάλουν καὶ πάντα τὰ πανουργήματα σκίραφα ἀπὸ τῆς ἐν σκιραφείοις ῥᾳδιουργίας. Ἱππῶναξ κτλ.

Pergit Eustathius ad πεττείαν.[161]) in describendo hoc lusu consentiunt fere Suetonius et Pollux, nisi quod hic Sophoclis versum ‘πεσσὰ πεντέγραμμα[162]) καὶ κύβων βολάς᾽ laudasse satis habuit, ille praeter Sophoclem testes affert Sophronem Alcaeum Theocritum. singula eadem ratione exposita apud lexicographos et scholiastas

[158]) Falso Naber adnotat Eustathium p. 1083 sequi Pausaniam. — [159]) Post verba οἱ μὲν τρὶς ἓξ νίκην, οἱ δὲ τρεῖς κύβοι κενοί addendum videtur ἦτταν (scil. δηλοῦσιν) coll. Zenob. IV 23. — pro verbis ἕνα δὲ τόν τέταρτον scribendum est ἕνα δὲ τὰ τέτταρα. — [160]) πλειστοβολίνδα genus quoque ἀστραγαλισμοῦ dicebatur (cf. Poll. IX 117 Hesych. s. v.), cuius lusus exemplum exhibet Suet. Aug. 71. — [161]) Eust. p. 633, 58 dicit οἱ κυβεύοντες pro οἱ πεττεύοντες, atque ita saepius: nam κυβεία vocabuli usus latius patebat. cf. Poll. VII 206. Becq de Fouquières l. l. p. 302. — [162]) Falsa est Eustathi scriptura πεντάγραμμα. cf. Cobet Nov. Lect. p. 776.

occurrunt. Hesych. πεσσὰ πεντέγραμμα καὶ κύβων βολάς· Σοφοκλῆς Ναυπλίῳ Πυρκαεῖ· παρόσον πέντε γραμμαῖς ἔπαιζον. διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας· ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. quae differentia neque in excerptis ML neque apud Pollucem commemoratur; neque tamen a Suetonio omissam esse arbitror. mentionem eius initio libelli factam esse colligo ex Eustathi verbis (p. 1397, 7) ὁ δὲ τὰ περὶ Ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας διαφορὰν καὶ αὐτὸς εἰδὼς κύβων καὶ πεσσῶν κτλ. (paullo ante Eust. differentiam indicavit aliunde[163]) descriptam). — proverbium κινεῖν τὸν ἀφ' ἱερᾶς a multis explicatur: schol. Plat. Legg. VII 820c. V 739a. Hesych. s. v. ἀφ' ἱερὰς. Phot. s. v. τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Clearchi Arcesilam laudat schol. Plat. Legg. V 739a: Clearchum Suetonius quoque laudat his verbis (Eust. p. 1397): Διοδώρου δέ, φησι, τοῦ Μεγαρικοῦ ἐνάγοντος τὸν τοιοῦτον λίθον εἰς ὁμοιότητα τῆς τῶν ἄστρων χορείας, Κλέαρχος τοῖς πέντε φησὶ πλάνησιν ἀναλογεῖν.[164])

A calculis Eust. p. 1397 ad talos transit, p. 633 ad διαγραμμισμόν. apud Pollucem πεττείαν excipit lusus qui dicitur πόλεις, sequitur διαγραμμισμός, tum demum ἀστραγαλισμός tractatur. Eustathius πόλεις lusum in fine totius disputationis posuit (p. 1397. 1289) et cum talorum lusu coniunxit propterea, quod in utroque vocabulum κύων usurpatur. Pollux de πόλεις lusu plura quaedam exhibet quam Eust., velut Cratini versum. eodem modo lusum explicat Zenob. V 67 (brevius Hesych.) πόλεις παίζειν· μέμνηται ταύτης Κρατῖνος ἐν Δραπέτισιν. ἡ δὲ πόλις εἶδός ἐστι παιδιᾶς πεττευτικῆς, καὶ δοκεῖ μετενηνέχθαι ἀπὸ τῶν ταῖς ψήφοις[165]) παιζόντων ταῖς λεγομέναις νῦν (μὲν) χώραις τότε δὲ πόλεσιν. eundem esse Romanorum 'ludum latrunculorum' nunc inter omnes constat: cf. Becker, Gallus III 336, Charikles II 373 (ed. Göll), Becq de Fouquières p. 408 sqq. 424 sqq. calculorum numerum fuisse sexaginta collegerunt e Phot. πόλεις παίζειν· τὰς νῦν χώρας καλουμένας ἐν ταῖς ζ΄ ψήφοις, ubi Porson ξ΄ coniecerat.

διαγραμμισμόν, quem Eust. p. 633 tractavit, Pollux paucis verbis tantum attigit similem esse dicens πόλεις lusui. atque Eust. similiter illum describit ac Pollux πόλεις lusum, nisi quod numerum calculorum addit fuisse sexaginta. prorsus eadem quae Eust. tradit Hesych. διαγραμμισμός· παιδιά τις ἑξήκοντα ψήφων λευκῶν καὶ μελαινῶν ἐν χώραις ἑλκομένων. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ γραμμὰς ἐκάλει. hunc lusum eundem esse coniecerunt ac Romanorum 'ludum duo-

[163]) P. 1396, 58 sqq. Eust. e technico quodam fonte plura congessit: v. Gaisfordi adnot. ad Et. Mg. 666, 16. — [164]) Quo modo ex illis verbis Sauppe (Philol. XI 39) colligere potuerit Clearchum auctorem fuisse Eustathi Pollucis schol. Plat., non intellego. Clearchus περὶ γρίφων scripsit, non scripsit in universum περὶ παιδιῶν. — [165]) Verba ταῖς ψήφοις cave ne coniungas cum ταῖς λεγομέναις κτλ.; nam ψῆφοι in hoc lusu κύνες appellabantur. verba δοκεῖ μετενηνέχθαι referas ad omissa verba ἡ παροιμία. cf. Hesych.

decim scriptorum', cuius exemplum in Agathiae epigrammate Anth. Pal. IX 482 exstare intellexerunt. ubi cum triginta tantum calculi compareant, ab Eustathio et Hesychio πόλεις et διαγραμμισμός lusus confundi statuerunt (Marquardt, Röm. Privatalt. II 435. 437. Göll l. l. p. 374). at si error statuendus esset, non Eustathi esset sed Suetoni et ne huius quidem sed illius, a quo Suetonius et Hesychius pendent, cui talem confusionem tribuere non licet. neque ullo vero testimonio comprobatur eundem fuisse 'ludum XII scriptorum', neque in πόλεις lusu numerum calculorum LX fuisse constat. idem iudicavit Becq de Fouquières (p. 358. 416). itaque illud quoque negandum, in hoc lusu et tesseras et calculos esse adhibitos (Becker-Göll, Charikles II p. 376). cui opinioni adversatur etiam Philemonis versus a Suetonio hoc loco laudatus: μεθύει, διαγραμμίζει, κυβεύει (Mein. Com. IV 64). nam si tesseris quoque διαγραμμισμός lusus esset, Comicum ita διαγραμμίζειν et κυβεύειν tamquam diversa vitia enumeraturum fuisse vix credo. διαγραμμίζει nihil aliud est nisi πεττεύει. cf. Moeris Atticista 207, 20 πεττεύειν Ἀττικοί, διαγραμμίζειν Ἕλληνες.

Copiosa est de talorum ludo Eustathi enarratio (p. 1289, 53. 1397), quacum et ordine rerum et verbis fere optime concinit schol. Plat. Lys. p. 206 e. Pollux vero maximae studet brevitati. ceteri plus cum Suetonio et schol. Plat. conspirant. Hesych. ἄστριες· ἀστράγαλοι. id. ἄστριχοι· τὸ αὐτό. id. Κῶος Χῖον· ὁ Κῶος ἀστράγαλος ὁ ἓξ· ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύνατο ἕν, ὁ δὲ Κῶος ἕξ. Zenob. IV 74 Κῶος Χίῳ· ὁ Κῶος ἀστράγαλος ἠδύνατο ἕξ. παροιμία δέ ἐστι Χῖος πρὸς Κῶον· ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἠδύνατο ἓν, ὁ δὲ Κῶος ἕξ. Strattidis versus ab Eustathio et schol. Plat. laudatus 'Χῖος παραστὰς Κῶον οὐκ ἐᾷ λέγειν' (Mein. Com. II 771) ad Theramenem Atheniensem spectat: Append. Prov. V 28 Χῖος παραστὰς Κῶον οὐκ ἐᾷ λέγειν· ἀπὸ ἀστραγάλων παρῳδήθη ἡ παροιμία. καὶ ἐπὶ Θηραμένους, ἐπεὶ ἐδόκει Χῖος εἶναι. cf. schol. Ar. Ran. 970.

'Stesichorus' talorum iactus nomen duxit a forma Stesichori poetae simulacri. indidem Pollux addit proverbium ortum esse 'πάντα ὀκτώ'. atque ita proverbium interpretatur Phot. πάντα ὀκτώ· οἱ μὲν Στεσίχορόν φασιν ἐν Κατάνῃ (ἐν Ἱμέρᾳ Suet. Poll. schol. Plat.) ταφῆναι πολυτελῶς πρὸς ταῖς ἀπ' αὐτοῦ Στεσιχορείοις πύλαις λεγομέναις· καὶ τοῦ μνημείου ἔχοντος ὀκτὼ κίονας καὶ ὀκτὼ βαθμοὺς καὶ ὀκτὼ γωνίας κτλ. (sequitur altera interpretatio). aliter proverbium explicat Zenob. V 78.

De 'Euripide' talorum iactu disputarunt Voemel (progr. Francof. 1847. Philol. XIII 308) et Sauppe (Philol. XI 37), quorum neutri originem nominis explanare et numeri difficultatem tollere contigit. novam interpretationem protulit Becq de Fouquières (p. 325 sqq.).

ἀρτιασμός τρόπα ὤμιλλα lusus (ab Eustathio omissi) proprie a talorum ludo alieni cum eo coniunguntur, quod talis quoque ludi poterant. ἀρτιασμόν ('ludere par impar' Horat. Serm. II, 3, 248)

ludebant talis (ἀcτραγάλοιc) nucibus (καρύοιc) fabis (κυάμοιc) nummis (νομίcμαcι) aliis. de nummis cf. Ar. Plut. 816 cum schol.; hoc alio nomine dicebant χαλκίζειν (χαλκίνδα): Poll. VII 105 χαλκίζειν δὲ παιδιᾶc τι εἶδοc, ἐν ᾗ νομίcμαcι ἠρτίαζον. cf. Hesych. χαλκίνδα, Antiatt. 116, 10. de nucibus cf. Ar. Plut. 1056 cum schol. — τρόπα a schol. Plat. appellatur ἡ εἰc βόθυνον ἐκ διαcτήματοc βολή. non satis perspicue Hesych. interpretatur τρόπα· εἶδοc παιδιᾶc, καθ᾽ ἣν cτρέφουcι τοὺc ἀcτραγάλουc εἰc τὸ ἕτερον μέροc. cf. Becq de Fouquières p. 114. eundem lusum videntur vocasse εἰc βόθυνον ἰέναι: Antiatt. 85, 1 βόθυνον οὔ φαcι δεῖν λέγειν. ἀλλὰ Cόλων ἔφη ἐν τοῖc νόμοιc. Κρατῖνοc Cεριφίοιc· ʽἀλλ᾽ ἀπίωcιν ἐν χορῷ ἐc βόθυνον ἰέναι᾽ (Mein. Com. II 137). ἔcτι δὲ παιδιά τιc ἐc βόθυνον ἰέναι. cf. Hesych. ἐc βόθυνον· εἶδοc παιδιᾶc. — de ὤμιλλα lusu cum schol. Plat. fere congruit quippe ab eodem Boetho pendens Suidas (i. e. Photius) s. v. ὤμιλλα· παιδιά τιc, ἐν ᾗ εἰc τὸν κύκλον βαλὼν κάρυον, ὥcτε ἐμμεῖναι, νικᾷ· Εὔπολιc Χρυcῷ γένει· ʽἐπειcείμεθα δὲ μείναc εἰc ὤμιλλαν᾽: versus corruptus e schol. Plat. sic restituendus est:

ἔπειτ᾽ εἴcειμ᾽ ἐνθάδε μείναc
εἰc ὤμιλλαν (κἂν μὴ μετίῃ).

cf. Mein. Com. II 539. corrupta exhibet etiam Hesych. ὤμιλλα· παιδιά τιc, ὅταν κύκλον περιγράψαντεc βάλωcιν εἰc αὐτὸν κάρυα, εἶτα ἐν τῷ κύκλῳ μ . . . λαμβάνει. ἢ ἔπαθλον. quae sic videntur emendanda: εἶτα τὰ ἐν τῷ κύκλῳ μένοντα λαμβάνῃ ἔπαθλον. Pollux huius lusus descriptioni propter similitudinem lusus ὀρτυγοκοπεῖν de suo quaedam interpolavit (καίτοι με οὐ λέληθεν — ὄρτυγοc δεcπότηc). testimonium affert non idem quod schol. Plat. sed ex Eupolidis Triarchis fabula (Mein. Com. II 525).

Concordiam veterum de his lusibus testimoniorum aliter non posse explicari nisi ut communem fontem omnium statuamus, ex eis quae supra contulimus satis apparere arbitror. Suetonius et Boethus satis magna cum religione ac fidelitate fontem expresserunt eiusque copias fere integras descripserunt. Pollux, ut qui libros quos in usum vocavit cum neglegentia quadam tractaverit, hoc quoque loco neglegentiae opprobrio haud indignum se praebuit: quamquam haec Onomastici pars in pretiosissimis habenda est. eandem scriptorum similitudinem in ceteris lusibus describendis exstare videbimus.

διὰ cφαίραc παιδιά. In pilae lusu decribendo Suetonius (ap. Eust. p. 1601, 30)[166]) et Boethus (ap. schol. Plat. Theaet. 146 a)

[166]) Non nulla Eust. Suetonianae disputationi de suo immiscuit: p. 1601, 37 ἣν καὶ ἐτυμολογοῦcιν — ἔcτι γνῶναι. p. 1601, 40 verba τοῦ δὲ ἀξίαν λόγου καὶ τὴν cφαιριcτικήν εἶναι, πίcτιc καὶ ᾿Αθηναῖοι πολίτην ποιηcάμενοι ᾿Αλέξανδρον τὸν Καρύcτιον cφαιριcτὴν καὶ ἀνδριάνταc ἐκείνῳ ἀναcτήcαντεc neglegenter Eust. ex Athenaeo compilavit, qui haec scribit

non minus conspirant quam in talorum ludo; eodem ordine quattuor deinceps lusus genera describunt: οὐρανία, ἀπόρραξις, ἐπίσκυρος, φαινίνδα. praeter locum modo allatum ad Suetonium referenda videntur esse (cf. Fresen. p. 60 n. 1), quae Eust. p. 1553, 62 narrat: ἐν τούτοις δὲ (ζ 115) πρῶτα μὲν ῥητέον, ὡς καὶ πάλαι ποτὲ τὸ σφαιρίζειν διὰ σπουδῆς ἤγετο, οὐχ ἁπλοῦν ὂν οὐδὲ αὐτό, ἀλλὰ διαφορὰς ἔχον ῥηθησομένας ἐν τοῖς ἑξῆς (scil. p. 1601, 30). μάλιστα δέ, φασιν, ἐπεμελήθησαν ὕστερον πόλεων μὲν κοινῇ Λακεδαιμόνιοι, βασιλέων δὲ ὁ μέγας Ἀλέξανδρος, ἰδιωτῶν δὲ Σοφοκλῆς ὁ τραγικός, ὅς καὶ ὅτε, φασί, τὰς Πλυνθρίας ἐδίδασκε τὸ τῆς Ναυσικάας πρόσωπον σφαίρᾳ παιζούσης ὑποκρινόμενος ἰσχυρῶς εὐδοκίμησιν. haec optime ei qui ludicram historiam conscripserit convenire consentaneum est. — Pollux (IX 103—106) de hoc ludo cum Suetonio non item congruit quemadmodum de ceteris, ut Pollucem Suetoni librum in usum non vocasse hoc loco luculentissime appareat: ordinem quo singula pilae lusus genera enarrat diversum sequitur (ἐπίσκυρος, φαινίνδα, ἀπόρραξις, οὐρανία), non nulla exhibet quae et a Suetonio et a schol. Plat. absunt, velut etymologias vocis φαινίνδα[167]), alia quae illi praebent omittit, velut Platonis et Cratini locos. — Alia de pilae lusu testimonia pauca exstant et ea partim mutila partim corrupta. (1) Hesych. Phot. s. v. οὐρανίαν. (2) Hesych. ἀπόρραξιν· παιδιὰν διὰ σφαίρας, nec plura. (3) Hesych. ἐπίσκυρος· ὁ μετὰ πολλῶν σφαιρισμός. (4) φαινίνδα lusum optime illustrat Antiphanes ap. Athen. I 15a (Mein. Com. III 136). exceptis Eustathi schol. Plat. Pollucis Athenaei locis omnia de hoc lusu testimonia corrupta sunt. licet quasi historiam persequi corruptelae. primum vitio usitato pro φαινίνδα scripserunt φενίνδα: Et. Orion. 161, 12 (hinc Et. Mg. 790, 24) φενίνδα· ἡ παιδιὰ διὰ σφαίρας, ὅταν αὐτὴν εἷς ἑνὶ δείξας εἶτα λάθρα ῥίψῃ· καὶ ἔστι φαινακίνδα καὶ συγκοπῇ φαινίνδα, ἀπὸ τοῦ φενακίζειν ὅ ἐστι ἀπατᾶν. οὕτω Βησαντῖνος. ex φενίνδα librariorum neglegentia ortum est φενίδα, mox φεννίδα: Hesych. φεννίδα· παιδιὰν σφαίρας. quod cum pro accusativo acciperetur, effictus est nominativus φεννίς, qui nihili est[168]): Hesych. φεννίς· εἶδος παιδιᾶς μετὰ σφαίρας. Phot. (Suid.) φεννίς· παιδιὰ διὰ σφαίρας, ὅταν ἑτέρῳ (προδεικνύντες εἶτα ἄλλῳ) ἀφιῶσι τὴν σφαῖραν ὥσπερ φενακίζοντες.[169]) haec Photius e lexico quodam rhetorico[170]) hausit, quod

I 19a: ὅτι Ἀριστόνικον τὸν Καρύστιον τὸν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως συσφαιριστὴν Ἀθηναῖοι πολίτην ἐποιήσαντο διὰ τὴν τέχνην καὶ ἀνδριάντα ἀνέστησαν. — [167]) Ἡ δὲ φαινίνδα εἴρηται ἢ ἀπὸ Φαινίδου τοῦ πρώτου εὑρόντος ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν. cf. Athen. I 15a ἐκαλεῖτο δὲ φαινίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων ἢ ὅτι εὑρετὴς αὐτῆς, ὥς φησιν Ἰόβας ὁ Μαρούσιος, Φαινέστιος ὁ παιδοτρίβης. — [168]) Cf. Naber ad Phot. φεννίς. formae illae vitiosae φενίνδα φενίδα φεννίδα φεννίς eo facilius irrepserunt, quod φαινίνδα vulgo a verbo φενακίζειν derivabatur. a veteribus tamen grammaticis illae abiudicandae sunt. — [169]) Photiani lexici lacunam (a Nabero non indicatam) e Suida et Eust. supplevi. — [170]) Photi et Eustathi

Eustathius quoque adhibuit p. 1554, 35 φεννίς· παιδιὰ διὰ σφαίρας, ὁπηνίκα ἑτέρῳ προδεικνύντες εἶτα ἄλλῳ ἀφιᾶσι τὴν σφαῖραν ὥσπερ φενακίζοντες. — alterum huic lusui nomen fuit ἐφετίνδα: Hesych. ἐφετίνδα· εἶδος παιδιᾶς, ὅταν σφαῖραν ἄλλῃ προτείναντες ἀλλαχῇ βάλλωσι. καὶ πεποίηται παρὰ τὸ φενακίζειν. Phot. et Eust. p. 1554, 34 ἐφετίνδα· παιδιά τις, ὅταν ἄλλῳ προδείξαντες τὴν σφαῖραν ἄλλῳ ἀφῶσιν (ἐφῶσιν recte Eust.). Cratinum laudat Et. Mg. 402, 39.

Lusus convivales excerptis Suetonianis commemorantur tres: γρῖφοι, ἑωλοκρασία, κότταβος. Suetonianae de griphis et aenigmatis disputationis haec frustula servarunt ML: γρίφους ἐκάλουν τὰ αἰνιγματώδη ζητήματα, ἅπερ ἐν τοῖς συμποσίοις προὔβαλλον. similiter vocem interpretatur Hesych. γρῖφοι· τὰ ἐν τοῖς πότοις βαλλόμενα ζητήματα. id. γρῖφος· τὸ δίκτυον. καὶ συμποτικὴ ζήτησις αἰνιγματώδης. cf. lex. rhet. Bekk. 227, 23 (Et. Mg. 241, 31) γρῖφοι· τὰ συμποτικὰ ζητήματα. Pollux VI 107 (qui libro IX lusus convivales praetermisit) γρῖφον et αἴνιγμα distinguit: τῶν μὲν συμποτικῶν καὶ αἴνιγμα καὶ γρῖφος. τὸ μὲν παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. Eustathi locus p. 713, 10, quem ad Suetonium rettuli, maxime convenit cum schol. Plat. Rep. V 479c: uterque Κλεάρχου γρῖφον ἔμμετρον tradit hunc:

αἶνός τίς ἐστιν ὡς ἀνήρ τε κοὐκ ἀνήρ
ὄρνιθα κοὐκ ὄρνιθ' ἰδών τε κοὐκ ἰδών
ἐπὶ ξύλου τε κοὐ ξύλου καθημένην[171])
λίθῳ τε κοὐ λίθῳ βάλοι τε κοὐ βάλοι.

quem sic dissolvi dicunt: νυκτερίδα ὁ εὐνοῦχος νάρθηκι κισσήρει. Clearchus peculiariter scripsit περὶ γρίφων[172]), quem librum Athenaeus compluribus locis in usum vocavit; ex eodem hunc griphum ἄμετρον transcripsit X 452c.

ἑωλοκρασίαν Suetonio auctore describit Tzetz. Var. Hist. VI 879:

οἱ νέοι γὰρ κωμάζοντες τόποις ἀφωρισμένοις
περὶ ἑσπέραν τοὺς χοᾶς καὶ τοὺς βίκους τιθέντες
ἕκαστος ἀνδριζόμενος ἔπινε τὸν οἰκεῖον·
ὃς δὲ πιεῖν οὐκ ἴσχυσε τὸν ἑαυτοῦ χοέα,
περιεχεῖτο ἕωθεν τῶν συμποτῶν γελώντων.

similiter Eust. p. 1451, 55 ... ἵνα καὶ ἑωλοκρασίαν ἔθεντο, ἣν κατεσκεδάννυσάν, φασι, τῶν κατακοιμηθέντων οἱ διαπαννυχίσαντες ἐν τῷ πίνειν, χθιζὴν κρᾶσιν οὖσαν ἤτοι λείψανον τοῦ χθὲς κρατῆ-

auctorem Naber Aelium Dionysium esse contendit. equidem e Pausania utrumque hausisse credere malim. v. infra. — [171]) Verba τε κοὐ καθημένην de suo Eust. inepte addidit; idem griphum explicat non Suetoni sed suis verbis. — [172]) Cf. Weber, de Clearchi Solensis vita et operibus. diss. Vrat. (1880) p. 22 sqq., qui accurate de differentia vocabulorum γρῖφος et αἴνιγμα exponit p. 24 sqq.

ρος, ὃ τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μὴ κρατερῶν τοῦ πίνειν κατεχέετο. a Suetonio non discrepat Hesych. ἑωλοκρασία· χθεσινὴ μέθη, ἕωλος κρᾶσις, ἣ παρ' Ἀθηναίοις κατεχεῖτο τοῖς παννυχίζουσι, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι στέγειν τὸ παννυχίζειν. similia tradunt schol. Luc. Conv. 3 Et. Mg. 352, 33 ἡνίκα συνέπινον ἀλλήλοις παρὰ Ἀθηναίοις οἱ νέοι, ἐπὶ ἑκάστου κρατὴρ οἴνου ἐτίθετο· καὶ εἴ τις ἐκαθεύδησε μὴ πιὼν τὸν ἴδιον κρατῆρα πρωὶ κατὰ τῆς αὐτοῦ κεφαλῆς ἐξεχέετο. καὶ ἐκαλεῖτο ἑωλοκρασία. Demosthenes de cor. 50 ἑωλοκρασίαν usurpavit ad vanas Aeschinis calumnias significandas. quem Demosthenis locum interpretatur Didymus ap. Harpocr. ἑωλοκρασία· Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος· 'αἴτιος δ' οὗτος ὥσπερ ἑωλοκρασίαν τινά μου τῆς πονηρίας τῆς αὐτοῦ κατασκεδάσας'. Δίδυμος δέ· 'οὗτος χθὲς καὶ πρώην ἃ ἐκέρασεν πράγματα ἀρχαῖα συγκεράσας τήμερόν μοι καταχεῖ καὶ ἐμὲ πρᾶξαί φησι'. illud δέ post verba Demosthenis quaedam excidisse indicat, nempe eam vocis ἑωλοκρασία interpretationem, quam Suetonius et Hesychius tradunt. supplent Harpocrationem qui ab eodem auctore pendent Photius et scriptor lexici rhet. Bekk. 258, 12.[173]) Phot. (Suid. Et. Mg. 352, 23) ἑωλοκρασία· ἔθος ἦν τοῖς νέοις δειπνοῦσι καὶ νυκτερεύουσι καταχεῖν τῶν κοιμωμένων τῶν ἑώλων δείπνων τοὺς ζωμοὺς πρὸς τὴν τοιαύτην παιδιὰν κεκραμένους. ἐγὼ δὲ (Didymum loqui ex Harpocrationis loco apparet) μᾶλλον νομίζω πεποιῆσθαι τὸ ὄνομα ὑπὸ τοῦ ῥήτορος ἀπὸ τῶν ἑώλων ἃ ἐστιν ἀρχαῖα, ὅτι πράγματα ἀρχαῖα συγκεράσας κατηγόρει ὁ Αἰσχίνης. lex. rhet. Bekk. 258, 12 (Et. Mg. 352, 37) ἑωλοκρασία· ἡ κατάχυσις τῶν ζωμῶν τῶν ἑώλων δείπνων ἐπὶ τοὺς κοιμωμένους τῶν συμπινόντων. λαμβάνεται δὲ καὶ ἐπὶ κατηγορίᾳ ἀρχαίων πραγμάτων. Pollux ἑωλοκρασίαν utroque loco (libro VI et IX) omnino praeteriit.

κότταβος lusum paucis versibus descripsit Tzetz. Var. Hist. VI 884—897. similia fere schol. Ar. Pac. 343 Pollux VI 109 tradunt, paullo diversa schol. Ar. Pac. 1242. uberrima disputatione de hoc lusu exponit Athenaeus XV 665e—668f. itaque Eustathius hac in re Athenaeum quam Suetonium sequi maluit: quae de cottabo Eust. p. 1170, 53 narrat, ex Athenaeo (XV 667e) compilavit. cf. praeterea schol. Luc. Lexiph. 3 Et. Mg. 533, 15 Hesych. s. v. κοτταβεῖα et κότταβος. de cottabi lusu difficillimo multi scripserunt: cf. Becker-Göll, Charikles II 366. Becq de Fouquières p. 212 sqq.

2. De puerorum lusibus.

μηλάνθη. Suetonius ap. Eust. p. 1329, 25 (ML) hunc lusum appellat μηλάνθη et ab Atticis appellari adnotat μηλόνθη. sed apud

[173]) Ubicunque Photius et scriptor lex. rhet. Bekk. inter se conspirant, uterque e fonte quodam hausit simili eius quo inprimis usus est Harpocratio, i. e. lexico quodam X oratorum e Didymi commentariis potissimum conscripto. de tribus eius modi lexicis refert Phot. Bibl. Cod. 150.

Ar. Nub. 764 legitur μηλολόνθην, ubi schol.: οὕτω γράφουσιν οἱ ἀκριβέστεροι. ac Pollux IX 127 nomina exhibet μηλολάνθη et μηλολόνθη. itaque nescio an Suetonius quoque μηλολάνθη et μηλολόνθη scripserit.[174]) in describendo lusu congruunt fere Suetonius et Pollux, nisi quod hic Aristophanis versum illum laudat, alterum lusus nomen (χρυσαλλίς) omittit. verbis tantum discrepat schol. Ar. l. l.

ἑλκυστίνδα sive σκαπέρδα ἕλκειν. Plane eodem modo hunc lusum describunt Suetonius ap. Eust. p. 1111, 21[175]) (ML) Hesychius s. v. σκαπέρδα (cuius lacunae facile possunt expleri)[176]) Pollux IX 116 Phot. s. v. σκαπέρδα (Pausania, ni fallor, auctore). — σκαπέρδα ἕλκειν partem dicit Eust. lusus ἑλκυστίνδα. et Pollux alterum genus addit: ἔσθ' ὅτε μέντοι καὶ τὰ νῶτά τινες προσθέντες ἀλλήλοις ἀνθέλκουσιν ἑνὶ δεσμῷ δεθέντες. mirum etiam, quod Pollux unum σκαπέρδα lusum in lusus in -ίνδα exeuntes recepit. itaque probabiliter Fresenius p. 35 coniecit ἑλκυστίνδα nomine (quod Eust. unus memorat) et σκαπέρδα ἕλκειν et illum lusum verbis ἔσθ' ὅτε κτλ. a Polluce huic adnexum comprehendi. tertium simile genus fuit διελκυστίνδα (Pollux IX 112 Hesych.), ubi plures utrimque trahebant.

ἐποστρακισμός et ὀστρακίνδα. Hos lusus plane inter se diversos propter verborum similitudinem coniunxit Eust. p. 1161, 34.[177]) Pollux dispositionem secutus quam sibi proposuit suo utrumque loco illustravit (IX 111 ὀστρακίνδα, IX 119 ἐποστρακισμός). Suetonius de his lusibus multo copiosius exposuit quam Pollux, ut locum Platonis poetae comici affert a Polluce omissum. ἐποστρακισμόν praeter Suetonium et Pollucem commemorat (e Photio fortasse) Et. Mg. 368, 3 ἐποστρακίζειν· παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες ὄστρακα ἀφιέντες εἰς τὴν θάλασσαν. idem lusus est Romanorum 'iaculatio testarum', quem describit Minucius Felix Octav. 3. — in ὀστρακίνδα lusus descriptione proverbium laudat Suetonius 'ὀστράκου περιστροφή' (Pollux omittit). quo in proverbio enarrando cum Suetonio congruunt Prov. Coisl. 380 (ap. Leutsch. ad Diog. VI 95) et schol. Plat. Phaedr. p. 241b. eadem narrat Hermias (ad eundem Platonis locum), qui solus praeter Suetonium versus Platonis comici adiungit. aliter illud proverbium videtur derivare Diog. Prov. VI 95.

φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί, φίττα Μελίαι. His vocibus in currendi lusu puellae se invicem adhortabantur: Eust.

---

[174]) Legitur tamen μηλάνθη in fragmento quodam Herodae poetae lyrici ap. Stob. 78, 6 (frg. 3 Bergk PLG II[3] 795). — [175]) In Eustathi verbis pro διήρτητο scribendum est διεῖρτο ex emendatione Bekkeri (ad Poll. l. l.); verba προαγαγὼν αὐτὸ τῆς δοκοῦ corrigenda sunt in προσαγαγὼν αὐτὸν τῇ δοκῷ coll. Polluce: προαγαγὼν ἄνω τῆς δοκοῦ scripsit Grasberger, Erziehung und Unterricht im Alterthum I p. 104, e coniectura ut videtur. — [176]) Apud Hesych. in fine glossae pro σκαπέρδης legendum videtur σκάπερδος: cf. Suet. βλασφ. εἰς πονηρούς (ML): σκάπερδος· ὁ δυσχερής. — [177]) In M hi lusus secernuntur, a Millero tantum conflati sunt (cf. Fresen. p. 24 n. 4).

p. 1963, 39 ἔτι ἐκ τῆς μηλέας καὶ Μηλίδες αἱ κατὰ Δωριεῖς Μαλίδες νύμφαι, αἳ καὶ τρισυλλάβως Μαλιάδες κατὰ τὸ ‘φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί, φίττα Μελίαι’, ἐν οἷς νυμφῶν μέν εἰσιν ὀνόματα τὰ θηλυκά, τὸ δὲ φίττα ἐπίρρημα τάχους δηλωτικόν [καθὰ καὶ παρὰ Θεοκρίτῳ τὸ σίττα]. quae ex Suetoni libro derivata esse ab Eustathio docet glossa exc. ML φίττα· τὸ ταχὺ σημαίνει, et confirmatur consensu Pollucis IX 127 γυναικῶν δὲ μᾶλλον ἡ παιδιά, ὥσπερ καὶ ἡ φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί, φίττα Μελίαι παρθένων· τὰς γὰρ νύμφας εὐφημοῦσαι θέουσι παροξύνουσαι ἀλλήλας εἰς τάχος. repetit hunc lusum Eust. p. 855, 25, ubi aliae similes interiectiones enumerantur.[178])

κυνδαλισμός. Obiter hunc lusum attigit Eust. p. 540, 23 ἰστέον δὲ καὶ ὅτι γλῶσσά τις λέγεται κυνδάλους λέγειν τοὺς πασσάλους καὶ κυνδαλοπαίκτας τοὺς πασσαλιστάς[179]), ὅθεν καὶ παιδιά τις διὰ πασσάλων γενομένη κυνδαλισμὸς ἐλέγετο. meram glossam servarunt ML: κύνδαλος· ὁ πάσσαλος. cum Eustathio concinit Hesych. κυνδάλη (sic)· παιδιά τις. καὶ οἱ μὲν ὑπομνηματισταὶ κυνδάλας τὰς σκυτάλας ἀπέδοσαν, οἱ δὲ τὰ γεωμετρούμενα σχήματα. κακῶς. κυνδάλους γὰρ ἔλεγον τοὺς πασσάλους καὶ κυνδαλοπαίκτην τὸν πασσαλιστήν. supplet Suetonium Hesychiumque Pollux IX 120 ὁ δὲ κυνδαλισμὸς διὰ πατταλίων ἐστὶ παιδιά. κύνδαλα γὰρ τοὺς παττάλους ὠνόμαζον. ἦν δὲ ἔργον οὐ μόνον αὐτῷ τινὶ καταπῆξαι τὸν πάτταλον κατὰ τῆς διύγρου, ἀλλὰ καὶ τὸν καταπαγέντα ἐκκροῦσαι πλήξαντα κατὰ τὴν κεφαλὴν ἑτέρῳ παττάλῳ· ὅθεν καὶ ἡ παροιμία ‘ἥλῳ τὸν ἦλον, παττάλῳ τὸν πάτταλον’ (cf. Leutsch. ad Diog. Prov. V 16). ἔνιοι δὲ τῶν Δωριέων ποιητῶν τὸν ὧδε παίζοντα κυνδαλοπαίκτην ἐκάλεσαν.

ἀσκωλιασμός. Suetonianae de hoc lusu disputationis haec tantum exhibent ML: ἀσκωλιασμός· τὸ ἐφ’ ἑνὸς ποδὸς βαίνειν.[180]) plura e Suetonio descripsit Eust. p. 1646, 21 .... καὶ ἀσκωλιάζειν, ὅπερ ἐστὶ κατὰ κυριολεξίαν μὲν ἐν ἀσκῷ λιάζειν, ᾧ πεφυσημένῳ ἐμπηδῶντες οἱ βουλόμενοι ἔν τινι ἑορτῇ [οὐκ ἀμφοῖν ποδοῖν ἀλλὰ ἑνὶ] καὶ ὡς εἰκὸς οὐκ εὐστοχοῦντες ἀλλά που καὶ καταπίπτοντες ὑπεκίνουν γέλωτα τοῖς θεωμένοις. ἄλλως μέντοι παρὰ τοῖς ὕστερον ἀσκωλιάζειν ἑρμηνεύεται τὸ ἐνὶ ποδὶ ἅλλεσθαι. cum Suetonio fere congruit Boethus ap. schol. Plat. Symp. p. 190d ἀσκωλιάζειν κυρίως μὲν τὸ ἐπὶ τοὺς ἀσκοὺς ἅλλεσθαι ἀληλιμμένους, ἐφ’ οὓς

[178]) Nauck (Arist. Byz. p. 160) in eis quae ab Eustathio p. 855, 19 tractantur Aristophanis grammatici doctrinam agnoscere sibi visus totum locum ad caput περὶ προσφωνήσεων referendum arbitratus erat. quae sententia quam longissime a vero abest. cave autem credas totum locum continuum ex uno eodemque fonte fluxisse. Eustathius ἐπιφθέγματα illa e diversis fontibus conquisita propter argumenti similitudinem in unum locum congessit. atque extremum illud φίττα e libro Suetoniano deprompsit. — [179]) Corrupta Eustathi verba κυνδαλοπλίτας τοὺς πασσαλίσκους correxit Meursius. — [180]) Cf. Suid. in fine gl. ἀσκός (I 797, 5 Bernh.): καὶ ἀσκωλιασμὸς ὁμοίως τὸ ἐφ’ ἑνὸς ποδὸς βαίνειν.

ἐπήδων γελοίου ἕνεκα. τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ τῶν συμπεφυκότι τοῖς σκέλεσιν ἀλλομένων. ἤδη δὲ τιθέασι καὶ ἐπὶ τοῦ ἄλλεσθαι τὸν ἕτερον τῶν ποδῶν ἀνέχοντα, ἢ ὡς νῦν ἐπὶ σκέλους ἑνὸς βαίνοντα· ἔστι δὲ καὶ τὸ χωλαίνειν. eadem habet Hesychius hoc loco mutilus: ἀσκωλιάζειν· κυρίως μὲν τὸ ἐπὶ τοὺς ἀσκοὺς ἅλλεσθαι, ἐφ' οὓς ἀληλιμμένους ἐπήδων γελοίου ἕνεκα . . . et ἀσκωλίζοντες· ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἁλλόμενοι. verbis discrepat fusiusque exponit Pollux IX 121 ὁ δὲ ἀσκωλιασμός· τοῦ ἑτέρου ποδὸς αἰωρουμένου κατὰ μόνου τοῦ ἑτέρου πηδᾶν ἐποίει, ὅπερ ἀσκωλιάζειν ὠνόμαζον· ἤτοι εἰς μῆκος ἡμιλλῶντο, ἢ ὁ μὲν ἐδίωκεν οὕτως, οἱ δ' ὑπέφευγον ἐπ' ἀμφοῖν θέοντες, ἕως τινὸς τῷ φερομένῳ ποδὶ ὁ διώκων δυνηθῇ τυχεῖν. ἢ καὶ πάντες ἐπήδων ἀριθμοῦντες τὰ πηδήματα· προσέκειτο γὰρ τῷ πλήθει τὸ νικᾶν. ἀσκωλιάζειν δ' ἐκαλεῖτο καὶ τὸ ἐπιπηδᾶν ἀσκῷ κενῷ καὶ ὑπόπλεῳ πνεύματος ἀληλιμμένῳ, ἵν' ὥσπερ ὀλισθαίνοιεν περὶ τὴν ἀλοιφήν. a Didymo eadem accepit schol. Ar. Plut. 1129 . . . ἀσκωλίαζε δὲ ἀντὶ τοῦ ἄλλου· κυρίως δὲ ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ ἐπὶ τῶν ἀσκῶν ἅλλεσθαι ἕνεκα τοῦ γελωτοποιεῖν· ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκοὺς πεφυσημένους καὶ ἀληλιμμένους, εἰς οὓς ἐναλλόμενοι ὠλίσθανον, καθάπερ Εὔβουλος ἐν Ἀμαλθείᾳ φησίν οὕτως· . . . (Mein. Com. III 206). οὕτω καὶ Δίδυμος. cf. Becq de Fouquières p. 241.

τρυγοδίφησις. Hunc lusum ab Eustathio non commemoratum sic describunt ML: τρυγοδίφησις· εἰσῆγον εἰς λεκάνην τρυγὸς πλήρη πελέκιόν τι καὶ τοῦτο ἀνέσπων τῷ στόματι τὰς χεῖρας εἰς τοὐπίσω περιαγαγόντες. item Pollux IX 124 ἡ δὲ τρυγοδίφησις τοῦ γελοίου χάριν ἐξηύρηται· δεῖ γάρ τι εἰς τρυγὸς λεκάνην καταδεδυκὸς περιαγαγόντα ὀπίσω τὼ χεῖρε τῷ στόματι ἀνελέσθαι. alibi huius lusus mentio non fit.

Qui sequuntur sex lusus coniectura partim iam a Reifferscheidio partim nunc a me ad Suetoni librum relati sunt; in ML non memorantur.

ἐν κοτύλῃ. De hoc lusu sic exponit Suetonius ap. Eust. p. 550, 2 . . . τίθεται δὲ (κοτύλη) καὶ ἐπὶ κοιλότητος χειρός· ὅθεν καὶ παιδιά τις παίζεται καλουμένη ἐν κοτύλῃ· προάγεται δὲ οὕτως· περιαγαγών τις ὀπίσω τὼ χεῖρε συμπλέκει τοὺς δακτύλους. ἕτερος δέ τις εἰς τὰ κοιλώματα τῶν χειρῶν, ἅπερ εἰσὶ κοτύλαι, τὰ γόνατα ἐνθεὶς καὶ οὕτως ἀναβαλὼν ἑαυτὸν φέρεται ἔποχος ἐπιλαβὼν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ φέροντος. εἶτα ἐν μέρει ὁ τέως φερόμενος κατελθὼν φέρει τὸν ἕτερον. καὶ ἦν αὕτη παιδιὰ ἐν κοτύλῃ. cum Suetonio conspirant Hesychius et Pollux. Hesych. ἀγ κοτύλη (sic cod.)· παιδιά τις, ἐν ᾗ τὰς χεῖρας ὀπίσω πλέξαντες δέχονται γόνυ. Pollux IX 122 ἡ μὲν ἐν κοτύλῃ· ὁ μὲν περιάγει τὼ χεῖρε εἰς τοὐπίσω καὶ συνάπτει, ὁ δὲ κατὰ τὸ γόνυ ἐφιστάμενος αὐταῖς φέρεται, ἐπιλαβὼν ταῖν χεροῖν τὼ ὀφθαλμὼ τοῦ φέροντος. ταύτην καὶ ἵππάδα καὶ κυβηςίνδα καλοῦσι τὴν παιδιάν. similiter hunc lusum describit Pausanias ap. Eust. p. 1282, 52 Παυσανίας δὲ ἱστορεῖ, ὅτι παιδιά

τις ἦν καλουμένη ἐγκοτύλη, ἐν ᾗ διαπλέξας τις ὀπίσω (καθὰ καὶ προδεδήλωται) τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν ἐπενωτίζετο τὸν ἀναιρούμενον· ὁ δ' ἐνθεὶς τὸ γόνυ ταῖς χερσὶ καὶ περιλαβὼν τοῦ αἴροντος τὴν κεφαλὴν ἢ τὸν τράχηλον ἐβαστάζετο. ἐκλήθη δέ, φησιν, ἐγκοτύλη, ἐπεὶ τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς κοτύλη λέγεται, εἰς ὃ κοῖλον ἐνετίθει τὸ γόνυ ὁ βασταζόμενος. cum Pausania consentit Zenobius III 60 ἐν κοτύλῃ φέρῃ (Hesych. ἐν κοτύλῃ φέρειν)· παιδιᾶς εἶδος· ὁ γὰρ φέρων τινὰ ἐν κοτύλῃ ἐποίει ὀπίσω τὰς χεῖρας καὶ ὁ αἰρόμενος ἐνετίθει τὰ γόνατα καὶ οὕτως ἐβαστάζετο. denique Athenaeus (qui Apollodorum laudat) lusum describit XI 479a καὶ ἐγκοτύλη δέ τις παιδιὰ καλεῖται, ἐν ᾗ κοιλάναντες τὰς χεῖρας δέχονται τὰ γόνατα τῶν νενικηκότων οἱ νενικημένοι καὶ βαστάζουσιν αὐτούς.[181]) idem lusus videtur fuisse ἐφεδρισμός[182]): Hesych. ἐφεδρίζειν· παίζειν τὴν λεγομένην ἐφεδρισμὸν παιδιάν, ὅταν περιαγαγὼν τὰς χεῖράς τις κατὰ νώτου ἐκ τῶν κατόπιν βαστάζει τὸν νικήσαντα· ταύτην δὲ τὴν παιδιὰν Ἀττικοὶ ἐν κοτύλῃ λέγουσιν, ἄλλοι δὲ ...[183]) τὴν συναφὴν τῶν χειρῶν παρὰ τὸν κρικίδον(?). cf. Pollux IX 119. ἱππάς vero et κυβησίνδα proprie ab ἐν κοτύλῃ sive ἐφεδρισμός lusu videntur differre, cum 'in umeris portare' significent. cf. Hesych. ἱππαστὶ καθίζειν· ὅταν οἱ παῖδες ἐπὶ τῶν ὤμων περιβάδην καθέζονται. Hesych. κυβησίνδα· ἐπὶ κεφαλήν, ἢ τὸ φορεῖν ἐπὶ νώτου ἢ κατὰ νώτου. Phot. κυβησίνδα· ἐπὶ κεφαλὴν φέρειν ἢ κατὰ νῶτα.

ἱμαντελιγμός. Paucis verbis hunc lusum attingit Eust. p. 979, 28 ... ὁ ἱμαντελιγμός, ὃ ἦν παιδιᾶς τινος εἶδος, ἤγουν διπλοῦ ἱμάντος σκολιά τις εἵλησις, ὥς φασιν οἱ παλαιοί. accuratius describit Pollux IX 118 ὁ δ' ἱμαντελιγμός· διπλοῦ ἱμάντος λαβυρινθώδης τίς ἐστι περιστροφή, καθ' ἣς ἔδει καθέντα παττάλιον τῆς

---

[181]) Eust. p. 1282, 56 postquam Pausaniae locum attulit, sic pergit: ἀλλαχοῦ δὲ γράφεται· ἐγκοτύλη παιδιά τις, ὡς καὶ ἑτέρωθι γέγραπται, ἐν ᾗ κοιλάναντες χεῖρα(c) δέχονται τὰ γόνατα τῶν νενικηκότων οἱ νενικημένοι καὶ βαστάζουσιν αὐτούς. quae eidem Pausaniae vindicavit Meier (Opusc. II 96). Rindfleisch (de Paus. et Ael. Dion. lex. rhet.) adnotasse satis habuit: 'errasse videtur Meierus'. Naber (Phot. Proleg. p. 46) Pausaniae lexici alteri recensioni (quae nulla est) illa tribuit. nemo igitur horum ex Athenaeo Eustathium illa descripsisse vidit. — [182]) Cf. Hermann-Stark, Griech. Privatalt. p. 267. diversos esse lusus dicit Grasberger l. l. I 106. eundem esse lusum confirmatur vase quodam Attico in museo Berolinensi asservato, ubi hic lusus pictus cernitur. cf. C. Robert, Archaeol. Ztg. 1879 p. 79 sq. falsa autem sunt quae de scriptorum ratione ille adnotavit. nec Suetonius Apollodorum adhibuit nec a Pausania aut a Polluce compilatus est. v. sup. not. 157. — [183]) Lacunam vocabulo ἐγκρικαδίαν explevit Küster. cf. Hesych. ἐγκρικαδία· συναφὴ χειρῶν εἰς τοὐπίσω. schol. V ad Ψ 34: καὶ παιδιὰ δέ τις ἐν κοτύλῃ λέγεται, ἐπειδὰν τὰς χεῖρας κοιλάναντες εἰς τοὐπίσω δεχώμεθά τινα ἐπιβεβηκότα μὲν τοῖς γόνασιν αὐτοῦ, ταῖς δὲ χερσὶν τοὺς ὀφθαλμοὺς κατειληφότα· ταύτην δὲ οἱ μὲν ἐπιδιφρισμόν (ἐφεδρισμὸν conicio) καλοῦσιν, οἱ δὲ (ἐγ)κρικαδίαν, [οἱ δὲ ἀπόρραξιν]. — pro κυβησίνδα (Poll. Hesych. Phot.) scribendum videtur κυβιστίνδα: Grasberger l. l. p. 112.

διπλόης τυχεῖν· εἰ γὰρ μὴ λυθέντος ἐμπεριείληπτο τῷ ἱμάντι τὸ παττάλιον, ἥττητο ὁ καθείς.

χαλκισμός. Duobus locis hunc lusum tractavit Eustathius: p. 986, 41 δόξοι δ' ἂν ἴσως καὶ ὁ χαλκισμός (παιδιὰ δέ τις αὕτη, καὶ ὡς οἱ παλαιοί φασι, κυβείας εἶδος) ἐκ τῆς χαλκίδος παρωνυμεῖσθαι, οὐκ ἔχει δ' οὕτως· ἀλλ' ἦν ὁ χαλκισμὸς ὀρθοῦ νομίσματος [θετέον χαλκοῦ] στροφὴ καὶ σύντονος περιδίνησις, μεθ' ἣν ἔδει τὸν παίζοντα ἐπέχειν ὀρθὸν (ὀρθῷ vulgo) τῷ δακτύλῳ τὸ νόμισμα εἰς ὅσον τάχος, πρὶν ἢ καταπεσεῖν· καὶ ὁ τοῦτο ἀνύσας ἐκράτει τὸν χαλκισμὸν καὶ ἦν νικήτης. p. 1409, 17 ἰστέον δὲ ὅτι ἐκ τοῦ χαλκοῦ κυβευτική[184]) τις παιδιὰ ἐλέγετο χαλκισμός. ἦν δέ, φασιν, αὕτη ὀρθοῦ νομίσματος περιστροφὴ σύντονος, μεθ' ἣν ἔδει τὸν παίζοντα ἐπέχειν τῷ δακτύλῳ τὸ νόμισμα ὀρθόν. καὶ ἐνίκα ὁ τοῦτο κατορθώσας. concinit cum Suetonio Pollux IX 118 ὁ μὲν χαλκισμός· ὀρθὸν νόμισμα ἔδει συντόνως περιστρέψαντας ἐπιστρεφόμενον (ἔτι στρεφόμενον corr. Bekker) ἐπιστῆσαι τῷ δακτύλῳ, ᾧ τρόπῳ ὑπερήδεσθαί φασι Φρύνην τὴν ἑταίραν. χαλκισμός non est confundendus cum ἀρτιασμοῦ genere χαλκίζειν (Poll. VII 105) sive χαλκίνδα (Hesych.) v. sup. p. 361.[185])

χαλκῆ μυῖα. Accurate hunc lusum notissimum describit Suetonius ap. Eust. p. 1243, 29 ... οἱ δὲ ὕστερον παιδιὰν αὐτῇ ἐπωνόμασάν τινα, ἣν χαλκῆν μυῖαν ὠνόμασαν, περὶ ἧς φράζουσιν οὕτω· καταδεῖταί τις ῥακίῳ τὰς ὄψεις καὶ κατασταὰς εἰς μέσον τῶν συνειλεγμένων παριὼν (περιιὼν coni. Grasberger p. 41) φωνεῖ· 'χαλκῆν μυῖαν θηράσω'. οἱ δὲ κύκλῳ ἑστῶτες βίβλοις ἢ καὶ ταῖς χερσὶ παίοντες ἀποκρίνονται· 'ἀλλ' οὐ λήψῃ'. οὗ δ' ἂν λάβηται, καθίστησιν ἐκεῖνον εἰς τὴν ἑαυτοῦ χώραν. λέγεται δὲ χαλκῆ μυῖα πρὸς διαστολήν. εἰσὶ γάρ τινες καὶ χαλκαῖ μυῖαι συνεμόμεναί, φασι, τοῖς κανθάροις χαλκίζουσαι τῇ χροιᾷ, αἷς οἱ παῖδες κηρία, φασι, προστιθέντες ἀφιᾶσιν. cum Suetonio consentiunt Pollux et Hesychius: Pollux IX 123 ἡ δὲ χαλκῆ μυῖα· ταινίᾳ τὼ ὀφθαλμὼ περισφίξαντες ἑνὸς παιδός, ὁ μὲν περιστρέφεται κηρύττων· 'χαλκῆν μυῖαν θηράσω, οἱ δ' ἀποκρινόμενοι 'θηράσεις, ἀλλ' οὐ λήψει'

---

[184]) κυβείας εἶδος et κυβευτικὴν παιδιάν hunc lusum appellat Eust. ita, ut vocem κυβεία significatione illa latiore usurpet (v. sup. not. 161). cf. Poll. VII 206 κυβείας δὲ εἴδη καὶ ἡ πλειστοβολίνδα παιδιά . . , . καὶ χαλκίζειν καὶ χαλκισμὸς καὶ ἱμαντελιγμὸς καὶ ναυμαχία. — [185]) Non distinguit χαλκισμόν et χαλκίζειν Becq de Fouqières: 'Il ne faut pas prendre à la lettre les expressions de Pollux. De même qu'il appelle . . . jeu de dés (κυβεία) tout jeu de hasard, il se sert de l'expression de jouer à pair ou impair en ne lui donnant que la signification très-générale de jouer à un jeu basé, comme celui de pair ou impair, sur une alternative. En effet il s' agissait de savoir, si la pièce tomberait ou ne tomberait pas, alternative inévitable semblable à celle qui se présente dans l' autre jeu, ou à chaque coup les pièces sont forcément en nombre pair ou impair' (p. 298). quae interpretatio verbi ἀρτιάζειν ut nimis artificiosa improbanda mihi videtur.

σκύτεσι βιβλίνοις αὐτὸν παίουσιν, ἕως τινὸς αὐτῶν λάβηται. Hesych. μυῖα χαλκῆ· λέγεται παιδιά τις, ἣν οἱ παῖδες παίζοντες καταμύουσιν ἀποτείναντες τὰς χεῖρας, ἄχρις ἄν τινος λάβωνται. καλεῖται δὲ καὶ τὸ πτηνὸν οὕτως.[186]) add. Phot. μυῖα χαλκῆ καὶ μυίνδα· παιδιᾶς εἶδος, ἣν οἱ παίζοντες ἀποτετακότες τὰς χεῖρας ἐπιμύουσιν, ἕως ἂν λάβωνται τινός. similis lusus est μυίνδα, quem corruptis verbis describit Pollux IX 113 ex Heych. μυίνδα emendandus. cf. Becq de Fouquières p. 84.

βασιλίνδα. Breviter hunc lusum attingit Eust. p. 1425, 41 ... καὶ βασιλίνδα, παιδιά τις βασιλέας τινας ἀποδεικνύουσα. plura habent Hesychius et Pollux. Hesych. βασιλίνδα· παιδιᾶς εἶδος, ᾗ βασιλέας καὶ στρατιώτας ἀπομιμούμενοι ἐχρῶντο. Pollux IX 110 βασιλίνδα μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν διακληρωθέντες ὁ μὲν βασιλεὺς τάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δ' ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πᾶν τὸ ταχθὲν ὑπεκπονῇ.

χέλει χελώνῃ. De hoc puellarum lusu e Suetonio haec describit Eust. p. 1914, 54 (εἰ δέ τις οἴεται καὶ τὸ χέλει χελώνῃ τοῦ χελιδονισμοῦ[187]) ἔχεσθαι, ἴστω ὡς ἄλλο τι ἔστι τοῦτο). καθημένης γάρ τινος ἐν μέσῳ, ἥν, φασι, χελώνην ἐκάλουν, περιτρέχουσαι παρθένοι ἐπυνθάνοντο καὶ ἀντήκουον δι' ἀμοιβαίων ἰάμβων οὕτω·

χέλει χελώνη, τί ποῖεις ἐν τῷ μέσῳ;
ἔρια μαρύομαι [ἤγουν κλώθω] καὶ κρόκην Μιλησίαν.
ὁ δ' ἔγγονός σου τί ποῖων ἀπώλετο;
λευκᾶν ἀφ' ἵππων εἰς θάλασσαν ἅλατο.

(cf. Bergk PLG III[3] 1304). eadem narrat Pollux IX 125 ἡ δὲ χελιχελώνη παρθένων ἐστὶν ἡ παιδιά, παρόμοιόν τι ἔχουσα τῇ χύτρᾳ (χυτρίνδα? Poll. IX 113). ἡ μὲν γὰρ κάθηται καὶ καλεῖται χελώνη, αἱ δέ περιτρέχουσιν ἀνερωτῶσαι· 'χελιχελώνη — μέσῳ'; ἡ δ' ἀποκρίνεται· 'ἔρια — Μιλησίαν'. εἶτ' ἐκεῖναι πάλιν ἐκβοῶσιν· 'ὁ δ' ἔκγονος — ἀπώλετο'. ἡ δέ φησι· 'λευκᾶν — ἅλατο'. apud Hesychium lemma tantum superest: χελεῦ (sic) χελώνη.

σκινθαρίζειν. ῥαθαπυγίζειν. Prioris tantum glossae interpretationem servarunt ML: σκινθαρίζειν ἐστὶ τὸ τῷ μέσῳ δακτύλῳ παίειν τινὸς τὸν μυκτῆρα. utramque explicant Eust. p. 861, 10 frg. Par. § 10 ... σκινθαρίζειν μὲν τὸ τῷ μέσῳ δακτύλῳ παίειν μυκτῆρα τινός. ῥαθαπυγίζειν δὲ τὸ σιμῷ τῷ ποδὶ τὸν γλουτὸν παίειν, οὗ χρῆσις παρὰ τῷ κωμικῷ ἐν τῷ 'τὰς πρεσβείας ἀπελαύνεις ἐκ τῆς πόλεως ῥαθαπυγίζων' (Ar. Eq. 796). conspirat Pollux IX 126 τὸ δὲ σκανθαρίζειν ἐστὶ τὸ τῷ μέσῳ τῆς χειρὸς δακτύλῳ ὑπὸ τοῦ μείζονος ἀφεθέντι τὴν ῥῖνα παίειν. τὸ δὲ ῥαθαπυγίζειν σιμῷ τῷ ποδὶ τὸν γλουτὸν παίειν. Didymum auctorem laudat Hesych. σκινθαρίζειν· ἔνιοι σκανθαρίζειν· τὸ γὰρ τῷ μέσῳ δακτύλῳ τὸν μυκτῆρα παίειν δηλοῖ, ὡς Δίδυμος. ῥαθαπυγίζειν Eustathius iterum com-

---

[186]) Extrema Hesychi verba fortasse ad χαλκᾶς μυῖας pertinent ab Eustathio memoratas. — [187]) Quae de χελιδονισμῷ tradit Eust. p. 1914, 43, ex Athenaeo VIII 360b descripsit.

memorat p. 1818, 56 ἔστι γάρ, φασι, ῥαθαπυγίζειν τὸ πλατεῖ ποδὶ εἰς τὰ (τὴν vulgo) ἰσχία ῥαπίζειν: quae ex eodem lexico rhetorico descripsit, quod Photius adhibuit s. v. ῥαθαπυγίζειν· τὸ πλατεῖ ποδὶ εἰς τὰ ἰσχία ῥαπίζειν. duas interpretationes conflavit Hesych. ῥαθαπυγίζειν· ὅ τινες σκομβρίζειν[188]), τὸ τῷ σκέλους πλάτει παίειν κατὰ τῶν ἰσχίων, (ἢ) τὸ εἰς τὸν γλουτὸν σιμῷ ποδὶ τύπτειν. apud Aristophanem l. l. quidam videntur ῥοθοπυγίζειν legisse: cf. schol. Ar. τῇ πυγῇ ῥόθον ποιῶν τουτέστι τῇ χειρὶ τὴν πυγὴν παίων ἢ τῷ ποδὶ τύπτων κτλ.

Restat, ut de Aristophanis cum Suetonio necessitudine dicamus, quam Reifferscheid artissimam fuisse coniecit ac Nauckio probavit, Fresenius nullam esse demonstare studuit. codice enim Athoo nondum cognito, cum propter frg. Par. § 19—22 Nauck statuisset Aristophanem περὶ βλασφημιῶν scripsisse (v. sup. p. 327), Reifferscheid facere non potuit quin Suetoni librum περὶ βλασφημιῶν (Suidae et Et. Mg. 151, 35 testimoniis firmatum) Aristophanei capitis περὶ βλασφημιῶν imitationem fuisse diceret (Suet. Rel. Add. p. XVIII). atque hinc profectus obscurum Suidae (s. v. Τράγκυλλος) titulum συγγενικὸν Καισάρων (Καισάρωνι Vossianus, unde recte Bernhardy Καισάρων ιβ΄)· περιέχει δὲ βίους κατὰ (sic Reifferscheid, καὶ libri) διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ· βιβλία η΄ sic emendavit, ut συγγενικόν a sequentibus seiungendum esse et peculiaris libri titulum significare affirmaret: quo libro Suetonium exemplo Aristophanis περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων exposuisse. atque illa quidem de Suetoni περὶ βλασφημιῶν libro sententia, ex qua profectus est Reifferscheid, falsa fuit; nunc enim constat Aristophanem non scripsisse περὶ βλασφημιῶν. at tamen falsam esse Reifferscheidi emendationem illius Suidae tituli infeliciter ab aliis temptati non sequitur. immo Reifferscheid, cum vocem συγγενικόν a Καισάρων secerneret, facillima ratione corruptum titulum sustulit, duos librorum indices planos et non obscuros restituit. sed Fresenius hanc emendationem improbavit, qua effici putat, ut pro uno indice non ferendo duos legamus, quorum neuter sit ferendus (p. 74). iam igitur videamus, quibus de causis indices a Reifferscheidio restitutos non ferendos ille iudicaverit. ac primum quidem si genetivus Καισάρων sive Καισάρων ιβ΄ ad verba βιβλία η΄ pertineat, haec ab illo divelli posse negat interpositis verbis περιέχει δὲ κτλ. sed Καισάρων genetivum non a verbis βιβλία η΄ pendere me monuit Reifferscheid. nimirum Καισάρων per se indicem libri Suetoniani (de vita Caesarum) exhibet. non enim raro fit, ut librorum indices nudo genetivo a scriptoribus laudentur. quem genetivi usum in indicibus antiquorum vulgatum,

[188]) σκομβρίζειν explicat Phot. σκομβρίσαι· παρὰ Ἰόβᾳ ἐν β΄ διεφθορυίας λέξεως· παιδιᾶς ἀσελγοῦς εἶδος· ἀποδίδοται καὶ κατὰ τὸ ἧτρον πλατεῖ τῷ ποδὶ πλήσσοντος ὡς ψόφον ἐργάσασθαι. Naber σκομβρίσαι corruptum esse suspicatur e σκολαβρίσαι.

cum non omnibus notus sit, appositis exemplis ut illustrarem idem ille praeceptor meus auctor fuit. ipse Suidas aliis multis locis eadem dicendi ratione utitur: s. v. Εὐαγόρας· ... Τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ ζητουμένων κατὰ λέξιν. s. v. Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου· ... Χρονικῶν κακόνων παντοδαπῆς ἱστορίας, καὶ ἄλλα πλεῖστα. s. v. Ἡφαιστίων· ... Κωμικῶν ἀπορημάτων λύσεις· Τραγικῶν λύσεων, καὶ ἄλλα πλεῖστα. s. v. Θεόφραστος· ... Ἀναλύσεως συλλογισμῶν, Ἀναλυτικῶν ἐπιτομήν, Ἀνηγμένων τόπων. vel apud optimos scriptores haec indicum ratio reperitur. e multis apud scriptores Romanos exemplis haec attulisse satis habeo: Cic. ad Att. II, 2, 1 Πελληναίων (scil. πολιτείαν Dicaearchi) in manibus tenebam ... Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere. Gell. N. A. praef. 4 idcirco eas inscripsimus Noctium [esse] Atticarum (cf. Priscian. VII, 80 p. 355, 20 Hertz: ... unde A. Gellius Noctium Atticarum inscripsit) ... namque alii Musarum inscripserunt, alii silvarum, ... quidam lectionis suae, alius antiquarum lectionum atque alius ἀνθηρῶν et item alius εὑρημάτων e. q. s. saepe grammatici Latini, ubi scriptorum locos laudant, librorum indices solo genetivo significant. cf. Charis. I p. 65, 15 Keil (et frequenter Varro rerum rusticarum sic), I p. 81, 18 (et Macer theriacon), I p. 102, 15 (Varro rerum humanarum), I p. 126, 11 (Caesar epistolarum ad Ciceronem), II p. 217, 25 (Lucilius saturarum), II p. 229, 15 (Maro bucolicon), compluries 'Cato dierum dictarum de consulatu suo'. his similibusque exemplis, quorum numerum augere facile possum, indicem libri Suetoniani Καισάρων satis superque defendi arbitror. — at Fresenius indicem quoque συγγενικόν ferri posse negavit. 'ut enim, inquit, auctor epistulae ad Alexium Comnenum scripserit Ἀριστοφάνης ἐν τῷ συγγενικῷ, Suidam vel eius auctorem caput περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων dixisse συγγενικόν, omni caret probabilitate, quia idem capitum περὶ παιδιῶν et περὶ βλασφημιῶν indices accuratissime tradidit.' equidem me non intellegere fateor, cur Suidae compilatori Byzantino idem tribuere non liceat, quod epistolographus ille Byzantinus commisit. mihi quidem epistula illa index συγγενικόν satis videtur firmari. sed ne opus quidem est solo niti hoc homine Byzantino. alia exstant exempla, quibus indicem συγγενικόν nihil habere offensionis demonstratur. notissima est Didymi λέξις κωμική, collectio illa vocum comicarum amplissima. at Et. Mg. 492, 55 libri manu scripti (excepto Marciano) edunt Δίδυμος ἐν τῷ κωμικῷ. tribus locis Et. Mg. 62, 1. 96, 49. 678, 42 Φιλόξενος εἰς τὸ ῥηματικὸν αὐτοῦ laudatur, cuius libri verum indicem περὶ ῥηματικῶν ὀνομάτων (de nominibus verbalibus) fuisse iure Kleist affirmavit (de Philoxeni stud. etym. p. 11 n. 10). atque haec citandi ratio non modo apud homines Byzantinos invenitur, sed videtur etiam a bonis grammaticis antiquiorum temporum usurpari. laudatur ab Athenaeo III 97d Ἀπολλώνιος ἐν τριηρικῷ (agitur de ἐπινομίς triremis particula, qua de Hesych. s. v. scribit ἐν τοῖς ναυτικοῖς (scil. ὀνό-

μαcι) λέγεται. cf. Hesych. s. v. cτῆμα). recte de hoc Apollonii cuiusdam libello Schweighaeuser Athen. t. IX p. 43 haec adnotavit: 'fortasse grammaticum aliquod scriptum fuit de nominibus singularum partium et rerum omnium ad triremes spectantium'. itaque librum περὶ τριηρικῶν ὀνομάτων inscriptum fuisse arbitror, quem Athenaeus (vel eius auctor) breviter dixit τριηρικόν (non τριηρικός, ut scripsit Schweighaeuser). Athen. XII 516c grammaticos enumerat, qui ὀψαρτυτικὰ ὀνόματα composuerint (οἱ τὰ ὀψαρτυτικὰ cυνθέντεc), singulos autem laudare solet verbis ἐν τῷ ὀψαρτυτικῷ (ut Epaenetum Heraclidem Syracusanum alios): indicem igitur περὶ ὀψαρτυτικῶν ὀνομάτων sive ὀψαρτυτικά convertit in ὀψαρτυτικόν[189]): hunc enim esse nominativum puto, non ὀψαρτυτικός. itaque cυγγενικόν titulus libri Suetoniani satis munitus mihi videtur.

His de causis Reifferscheidi emendationem certissimam esse iudico. Suetonius igitur scripsit cυγγενικόν sive περὶ cυγγενικῶν ὀνομάτων. hinc Reifferscheid, qui Suetoni cυγγενικὸν imitationem capitis Aristophanei περὶ cυγγενικῶν ὀνομάτων fuisse putaret, cetera quoque λέξεων capita Aristophanea imitando expressa esse a Tranquillo suspicatus est. excerptis codicis Athoi a Millero editis, Reifferscheidi coniecturam Nauck (Mélanges Gréco-Romains III p. 167. 172. 175) ita probavit, ut omnia illius codicis excerpta et Aristophanea et Suetoniana Aristophanis λέξεων libro ascriberet eaque per Suetonium ad nos pervenisse statueret fragmento nisus Parisino, ubi tum quidem λέξειc Aristophaneas tantum inesse putabatur. nunc quoniam Freseni industria constat fragmenti Parisini paragraphos 18—22 olim Tranquilli nomen prae se tulisse (v. sup. p. 327), excerpta librorum περὶ βλαcφημιῶν et περὶ παιδιῶν ab Aristophane sunt removenda. nihilo secius omnem inter Aristophanem et Suetonium conexum cum Fresenio negare nequeo. ut rationem aliquam intercedere credam inter hos grammaticos eo maxime adducor, quod in libris ML grammaticus Alexandrinus cum grammatico Latino ita coniunctus reperitur, ut inter duo scripta Suetoniana inserta sint capita quaedam λέξεων Aristophanearum. hominem Byzantinum quendam hoc modo illos coniunxisse mihi quidem incredibile videtur. deinde valde mirum est, quod e tot tantisque λέξεων operibus a grammaticis Graecis illis temporibus conditis Aristophanis potissimum unius antiquissimi λέξεων bona excerpta quaedam ad nos pervenerunt, mutilata illa quidem ac decurtata neglegentia hominum Byzantinorum ita tamen comparata, ut speciem ac dispositionem operis doctissimi cognoscere liceat, cum ceterorum illius et posteriorum aetatum grammaticorum λέξειc paene interierint. quid? si per Suetonium, grammaticum Latinum, memoria Aristophanis Byzantii

[189]) Contrarium exemplum praebet schol. Plat. Alcib. p. 105a, ubi Πολυδεύκηc ἐν Ὀνομαcτικοῖc laudatur, cum Iulii Pollucis liber Ὀνομαcτικόν inscriptus esset.

λέξεων ad Byzantinos, hinc ad nos propagata est? sic enim existimo: Suetonius, cum in Prato suo varia glossarum et vocabulorum genera tractaret, graecas quasdam de hoc eruditionis loco commentationes (quas latine imitatus est) e graeco fonte compositas adiecit, in his commentationem περὶ βλασφημιῶν et capita quaedam λέξεων Aristophanis grammatici; item Ludicrae Historiae, quod opus quattuor librorum fuit (quorum duo ad Graecos duo ad Romanos pertinebant), unus liber fuit περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν e graeco fonte depromptus. quo factum est, ut homo ille Byzantinus, cum e Prato Suetoniano excerpta libri περὶ βλασφημιῶν faceret, quibus excerpta e libello περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν adnecteret, simul capita illa λέξεων Aristophanearum a Suetonio in Pratum suum cum Aristophanis nomine transscripta excerperet. sic etiam illud explicatur, quod excerptis illis Byzantinis capita Aristophanea περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς, περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν, περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων, περὶ προσφωνήσεων servantur, λέξεις vero Ἀττικαί et Λακωνικαὶ γλῶσσαι non traduntur. nempe Suetonius ea tantum, quae latino sermone imitatus est, in librum suum transtulit, Ἀττικὰς λέξεις et Λακωνικὰς γλώσσας, quas latine imitando exprimere non posset, omnino praetermisit. ipsum autem Aristophanis λέξεων librum Suetonius non videtur adiisse, sed ut libellos περὶ βλασφημιῶν et περὶ παιδιῶν e Pamphili lexico amplissimo compilavit, ita ex eodem capita illa Aristophanea transscripsit: quae in Pamphili lexicon transisse atque hinc omnibus fere posterioribus grammaticis cognita fuisse supra fidem facere studuimus.

Haec habui quae de Aristophane grammatico et Suetonio Eustathi auctoribus dicerem. rem propositam spero mox me continuaturum ac ceteros deinceps Eustathi fontes tractaturum. opto autem, ut quae hoc loco disputavi inprimis AUGUSTO NAUCKIO et AUGUSTO REIFFERSCHEIDIO praeceptori de me optime merito, quo auctore et adiutore me in his studiis versari gratissimo animo profiteor, probentur atque ut huic quamvis exiguam utilem tamen symbolam ad novam Suetoni reliquiarum editionem, quam eum parare scio, conferre videantur.

ANALECTA ARISTARCHEA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
PHILOLOGICA
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
ANTE DIEM SEXTVM CALENDAS OCTOBRES
H. X.
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
ADOLFVS SCHIMBERG
BRANDENBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

J. NIEJAHR, DR. PHIL.
E. MAASS, SEN. SEM. REG. PHIL.
H. LEVERKVS, STVD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.
MDCCCLXXVIII.

MEMORIAE

CAROLI · LEHRSII.

Vetus erat grammaticorum Graecorum consuetudo, ut in quibuslibet commentariis ὁμωνυμίας adnotarent atque explicarent. Qui quidem mos profectus a locis obscuris, qui iustam explicationem flagitabant, mox tamen latius serpere et ita cum tota grammaticorum ratione cohaerere coepit, ut qui eum neglegeret, a vera interpretandi arte recedere videretur [1]). Atque exempla quidem huius rationis reperis in quibusvis scholiis lexicisve et apud vel infimae aetatis scriptores [2]). Hunc

---

1) Exemplum pro multis adscribam unum. Ad Apoll. Rhod. Argonaut. III, 1085 sqq.

ἔστι τις αἰπεινοῖσι περίδρομος οὔρεσι γαῖα,
πάμπαν ἐύρρηνός τε καὶ εὔβοτος, ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο νηοὺς
ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ καὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

haec adnotantur: *ἐκ τίνος γυναικὸς ὁ Δευκαλίων ἐγένετο Προμηθεῖ σεσιώπηται· ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Δευκαλίων, περὶ οὗ Ἑλλάνικος ἱστορεῖ, καὶ ἄλλος ὁ Μίνωος, περὶ οὗ Φερεκύδης, καὶ τέταρτος ὁ Ἄβαντος, οὗ μνημονεύει Ἀρίστιππος ἐν Ἀρκαδικοῖς.* Etsi totus Deucalionum index ad explicandos poetae versus prorsus nihi valet, cum hic Deucalio propter attributum *Ἰαπετιονίδης* cum ceteris confundi non possit, tamen omnes cognomines hoc loco enumerandos esse vetus interpres censuit, nimirum quia et magistri eius et ipse ita consueverant.

2) Pauca ut scias qualia sint afferam exempla.

Schol. Aristoph. Nub. 1022. *Ἀντίμαχος· οὗτος εἰς θηλύτητα κωμῳδεῖται καὶ εὐμορφίαν. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος ἐπὶ πονηρίᾳ κωμῳδούμενος· τρίτος*

grammaticorum usum ita mihi proposui hac dissertatione illustrare, ut ostendam, quo modo et a quonam grammatico ortus per quosnam deinceps imitando conservatus sit et divulgatus. Distinguendum autem est in tota hac quaestione inter hominum et rerum geographicarum, velut urbium fluminum mon-

---

ὁ Ψακάδος λεγόμενος· τέταρτος ὁ τραπεζίτης, οὗ μέμνηται Εὔπολις ἐν Δήμοις· πέμπτος ἱστοριογράφος. τάχα δὲ αὐτός ἐστι τῷ εὐμύρφῳ.

Schol. Iliad. B 716: *Μηθῶναι δὲ τρεῖς, ἡ ἐν Μακεδονίᾳ, ἡ ὑπὸ Φιλοκτήτην καὶ περὶ Τροιζῆνα.* B L

Schol. Pind. Pyth. IV, 455. *Τΰθι γὰρ γένος Εὐφάμου· . . . ἐγένοντο δὲ καὶ πλείους Εὔφημοι· πρῶτος ὁ Μηκιονίκης καὶ Ποσειδῶνος, δεύτερος ὁ Σάμου παῖς ἀπόγονος τοῦ πρώτου Εὐφήμου, τρίτος ὁ σὺν Βάττῳ, τέταρτος ὁ κατὰ τὸν Ἀρκεσίλαον, ὅν ξενologήσοντα ἔπεμψεν ὁ βασιλεὺς καὶ τὸν Πυθικὸν ἀγῶνα ἀγωνιούμενον.*

Schol. Eurip. Rhes. 28: *Διττὰς δὲ τὰς Εὐρώπας ἀναγράφουσιν ἔνιοι· μίαν μὲν Ὠκεανίδα, ἀφ' ἧς καὶ τὸ ἕν μέρος τῆς οἰκουμένης κληθῆναι, καθάπερ Ἀπίων ἐν ταῖς περὶ ἐπωνύμων καὶ Ἀριστοτέλης ἐν πρώτῳ τῆς Θεογονίας. ἑτέραν δὲ Φοίνικος ἔνιοι καὶ Ἀγήνορος, ὡς καὶ Εὐριπίδης καὶ ἄλλοι ἱστοροῦσιν, ἧς τοὺς περὶ τὸν Μίνω γενέσθαι φασίν. ἔνιοι δέ εἰσιν οἳ καὶ παρὰ τὴν αὐτὴν ὠνομάσθαι τὴν ἤπειρον, καθάπερ καὶ Καλλίμαχος, Ζηνόδοτος ἐξ αὐτοῦ. εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τρίτην ἀναγράψαντες, καθάπερ Ἡγησίππος ἐν Παλληνιακοῖς.*

Schol. Apoll. Rhod. Argonaut. II, 498: *Τινὲς δ' Ἀριστᾶίους γενεαλογοῦσιν, ὡς καὶ Βακχυλίδης, τὸν μὲν Καρίστου, ἄλλον δὲ Χείρωνος, ἄλλον δὲ Γῆς καὶ Οὐρανοῦ, καὶ τὸν Κυρήνης.*

Schol. Aesch. Ctesiph. 137. *Εὐρύβατοι δύο ἐγένοντο, ἄμφω πονηροί, ἄπιστοι, πανοῦργοι.*

Tzetzae schol. in Lycophr. 432. *Ἐκ τοῦ εἰπεῖν δὲ, ὅτι ἐπόψεται τάφον Ἀδώνιδος ἤτοι τὸν Ἄδωνιν, τὸν τύπτον λέγει, ἔνθα κεῖται ὁ Ἄδωνις, ἢ τὴν Βύβλον, ἢ τὴν Κύπρον. καὶ ἐν τῇ Βύβλῳ γὰρ ἦν Ἄδωνις, καὶ ἐν τῇ Κύπρῳ ἕτερος Ἄδωνις. ὁ Κινύρου.*

Harpocrat. s. v. *Νικάνωρ*: *Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους· τρεῖς γεγόνασιν Νικάνορες, ὁ μὲν υἱὸς Βαλάκτρου, ἕτερος δὲ Παρμενίωνος υἱός, ἄλλος δὲ Σταγειρίτης τὸ γένος, οὗ μνημονεύοι ἂν νῦν ὁ ῥήτωρ.*

Phot. lex. s. v. *Λίνος . . . ἐγένοντο δὲ τρεῖς ἥρωες Λίνοι, Καλλιόπης, ὁ δὲ Ἀλκιόπης καὶ Ἀπόλλωνος, τρίτος δὲ Ψαμάθης τῆς Κροτίου καὶ Ἀπόλλωνος.*

Hesych. *περιπόνηρος Ἀρτέμων· παρὰ τὴν παροιμίαν τὴν περιφόρητος Ἀρτέμων. εἰσὶ δὲ Ἀρτέμωνες δύο.*

Et similia in lexicis Stephani Byz., Suidae, Eudociae.

tium, ὁμωνυμίας. Quarum quidem haec cum facilius et explicari et ad certos auctores referri possint, ab eis initium capiam.

I.

De geographicis igitur homonymiis disputaturo mihi a Stephano Byzantio exordiendum est, apud quem s. v. Ἔφυρα haec legimus: Ἔφυρα, πόλις Ἠπείρου, ἀπὸ Ἐφύρου τοῦ Ἀμβρακος τοῦ Θεσπρωτοῦ τοῦ Λυκάονος τοῦ Πελασγοῦ τοῦ γηγενοῦς τοῦ Ἀρκάδος. ἐκ ταύτης Ἀστυόχη, ἡ μήτηρ Τληπολέμου, ὥς φησιν Ὅμηρος [B 658]. ἦν δὲ αὕτη μεταξὺ Πύλου καὶ Ἤλιδος, ὡς Παρμενίσκος φησίν. ἠγνόησε δ' ὅτι μυχὸς ἡ Κόρινθός ἐστι Γλαύκῳ [Z 152] πρὸς ἀνατολὰς οἰκοῦντι, ὡς ἂν τῆς Εὐρώπης οὖσα δυτικωτάτη. κέκληται δὲ ἀπὸ Κορίνθου. Ὅμηρος οὖν τὸ Ἐφύρη ἐπὶ τῆς Κορίνθου ἔφη. ἐστὶ καὶ ἄλλη Ἐφύρη Κραννοὺν λεγομένη, ὥς φησι Κινέας ὁ ῥήτωρ καὶ Ἐπαφρόδιτος. δευτέρα περὶ Θεσσαλίαν. τρίτη Οἰνόη, καὶ νῆσος οὐ μακρὰν ἀπέχουσα Μήλου. ὁ πολίτης Ἐφυραῖος.

Ἔστι καὶ Ἀρκαδίας ἄλλη. ἔστι καὶ Θεσσαλίας καὶ Ἰταλίας κατὰ Καμπανίαν. ἔστι καὶ κώμη Αἰτωλίας Ἐφύρα. τὸ ἐθνικὸν Ἔφυρος. τὸ κτητικὸν τῆς Θεσπρωτίας Ἐφύριος. καὶ Ἐφύρηθεν ἀπὸ τόπου ἐπίῤῥημα.

Quamvis totus hic locus ab Hermolae, Stephani epitomatore, misere turbatus sit, facile tamen cognosci potest, hunc indicem ex duobus aliis esse compositum, quorum priore, qui usque ad verba ὁ πολίτης Ἐφυραῖος pertinet, quinque Ephyrae (Ἠπείρου, ἡ νῦν Κόρινθος, Θεσσαλίας seu Κράννουν, Ἤλιδος seu Οἰνόη, νῆσος) enumerantur, altero ceterae adduntur. Iam prior index unde manaverit si quaerimus, tenendum est totam hanc disputationem ad Homeri explicationem spectare; nam et Astyochae Glaucique mentio ex Homeri carminibus petita est et poeta ipse bis citatur. Praeterea laudatur Epaphroditus

grammaticus, e cuius commentariis Stephanum quaecunque in lexico ad geographiam Homericam pertinent, paene omnia hausisse rectissime docuit B. Niese in Mus. Rhen. XXXII p. 276. Itaque Epaphroditi commentarios Homericos prioris indicis fontem esse probabile est. Quid quod etiamnunc in codd. Veneto B et Lipsiensi ad Z 152 prorsus similem adnotationem, qua quinque Ephyrae eodem ordine enumerantur, invenimus? Τὴν Κόρινθον λέγει. εἰσὶ δὲ Ἔφυραι καὶ ἄλλαι, ἡ ἐν Θεσπρωτίᾳ, ἡ ἐν Θεσσαλίᾳ, ἡ ἐν Οἰνόῃ καὶ νῆσος περὶ Μῆλον.

Sed Epaphroditum prodidisse quidem Stephano Ephyrarum indicem valde mihi probabile videtur, ipsum vero composuisse non item. Neque enim primus Homerum interpretatus est neque primus homonymis distinguendis operam dedit. Immo vero iam ante eum quattuor Ephyrarum indicem extitisse, ex scholio N 301 apparet: Ἰστέον δὲ ὅτι Ἔφυραι τέσσαρές εἰσι, μία μὲν ἡ κατὰ Θεσσαλίαν, δευτέρα δὲ ἡ κατὰ τὴν Ἤπειρον, τρίτη δὲ ἡ τῆς Ἤλιδος καὶ τετάρτη ἡ νῦν καλουμένη Κόρινθος. νῦν οὖν λέγει τοὺς καλουμένους Κραννουνίους[1]) ἐν Θεσσαλίᾳ, ὡς Ἀπολλόδωρος ἱστορεῖ. Cui hoc scholion adscribendum sit, dubitari nequit, cum auctor et ipse citetur et facillime ex Strabone colligi possit. Is enim VIII 338, quo in libro Apollodorum excerpit, easdem componit Ephyras hisce verbis: ἐφ' ᾧ (sc. Σελλήεντι, Elidis flumini) Ἔφυρα πόλις, ἑτέρα τῆς Θεσπρωτικῆς καὶ Θετταλικῆς καὶ τῆς Κορίνθου, τετάρτη τις ἐπὶ τῇ ὁδῷ κειμένη τῇ ἐπὶ τὸν Λασίωνα, ἤτοι ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ Βοιωνώᾳ (τὴν γὰρ Οἰνόην οὕτω καλεῖν εἰώθασιν) ἢ πλησίον ἐκείνης. Ex Apollodori igitur opere, quod Νεῶν κατάλογος inscriptum erat, Epaphroditus quattuor Ephyras petiit, ipse quintam insulam illam addidit. Sed ipsum Apollodori catalogum Epaphroditum

1) Ut apud Stephanum sic etiam in hoc scholio Thessalica forma restituenda est, cuius vestigia composuit Meinekius ad Steph. p. 290.

inspexisse neque Niesius (Mus. Rhen. XXXII p. 276) pro explorato habet, neque mihi verisimile videtur. Immo per Didymi commentarios, quaecunque Apollodorea habuit, accepisse videtur, siquidem certis mox exemplis probabo et Didymum Apollodori opere usum esse (cf. p. 19 sq.), et Epaphroditum Didymi commentarios excerpsisse (cf. p. 25). Quid igitur obstat quominus etiam hunc Ephyrarum indicem ex Didymi commentariis Epaphroditum deprompsisse sumamus? Accedit aliud. Componas quaeso cum scholio N 301, quod modo exscripsi, hoc in Pind. Nem. VII, 53. Ἔφυραν δὲ εἶπε νῦν τὴν ἐν Ἠπείρῳ, ἣν Κίχυρόν φασιν μετωνομάσθαι [1]) ἀπὸ Κιχύρου τοῦ Μερμέρου. τέσσαρας δὲ ἀναγράφει τὰς Ἐφύρας. πρώτην μὲν τὴν αὖθις Κόρινθον ὀνομασθεῖσαν. Ὅμηρος [Z. 152].

Ἔστι πόλις Ἐφύρη.

ἑτέραν δὲ τὴν περὶ Θετταλίαν. Ὅμηρος [α 259]·

ἐξ Ἐφύρης ἀνίοντι παρ' Ἴλου Μερμερίδαο.

τρίτην δὲ περὶ Ἦλιν, ἧς Ἱππίας μνημονεύει. τετάρτην τὴν ἐν Θεσπρωτοῖς.

Quem putas haec duo scholia ex Apollodori opere exscripsisse — nam Apollodorus ipse Pindarum quidem non interpretatus est —, et quem putas inter Apollodori et Epaphroditi tempora eum fuisse grammaticum, qui pari studio et Homeri et Pindari carmina explicaverit et quem ipsum pari studio posteriores excerpserint? Equidem nullum alium nisi Didymum invenio. Cum illo scholio Pindarico conferendum est hoc in Pyth. X, 85: Ἕλπομαι δ' Ἐφυραίων· σφόδρα ἐζητήθη, τίνας νῦν τοὺς Ἐφυραίους φησίν· ὁ μὲν γὰρ Ἀγέστρατος τοὺς Κορινθίους φησίν· Ἐφύρα γὰρ ἡ Κόρινθος, ὡς καὶ Ὅμηρος [Z 152]·

---

1) Quanto studio Apollodorus has *μετονομασίας* persecutus sit docent quae composuit Niesius l. l. p. 274 n².

Ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο.

καὶ ἀποδίδωσι τὴν διάνοιαν οὕτως· ὅτι νικήσει ὁ νικηφόρος Ἴσθμια καὶ ὑπὸ τῶν Κορινθίων ἀνυμνηθήσεται. γελοῖον δέ. τί γὰρ μᾶλλον, εἴπερ εὔχεται μὴ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα νικήσειν; τινὲς δὲ Ἐφυραίους τοὺς ἐν Θεσπρωτίᾳ ἤκουσαν, ἧς καὶ Ὅμηρος μνημονεύει [B 659].

τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

ὁ δὲ Πίνδαρος ἀμφὶ Πηνειόν φησι αὐτούς. δῆλον δὲ δήπουθεν, ὡς ὁ Πηνειὸς τῆς Θεσσαλίας ἐστί, καὶ φαίνεται, ὅτι Ἐφυραίους οὔτε τοὺς ἐν Θεσπρωτίᾳ οὔτε τοὺς Κορινθίους φησί· ῥητέον οὖν, ὅτι τοὺς Κραννουνίους. Κραννοὺν δὲ πόλις Θεσσαλίας. Θεσσαλὸς δὲ καὶ ὁ νικηφόρος. οὕτω δὲ πρότερον οἱ Κραννούνιοι Ἐφυραῖοι ἐκαλοῦντο. μαρτυρεῖ δὲ τούτῳ Κινέας· φησὶ γὰρ ἄρχεσθαι αὐτὴν ὑπὸ τῷ Κραννοῦνι, καὶ αὐτὸν ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν τῆς Ἱπποδαμείας γάμον ἐν Πίσῃ, εἶτα ἐκεῖ καταστρέψαντος τὸν βίον οἱ Θεσσαλοὶ τὴν Ἐφύραν καλουμένην πόλιν εἰς τιμὴν τοῦ τεθνηκότος Κραννοῦνα μετωνόμασαν. Totum adscripsi scholion, ut intellegas, quantopere haec explicatio pendeat ex Apollodori catalogo. Et illud quoque, quod de Cinea traditum est, ad eundem referendum esse demonstrari potest. Vidimus Cineam etiam a Stephano in Ephyrarum indice citari: ὡς φησι Κινέας ὁ ῥήτωρ καὶ Ἐπαφρόδιτος. Eiusdem fit mentio una cum Suida historico apud Strab. VII, 329, ubi prolixa de Dodona disputatio ex Apollodoro exscripta est; utriusque vero cum Epaphrodito coniunctam memoriam habes apud Steph. s. v. Λωδώνη. Cum igitur Cineas et Suidas apud Strabonem eis locis commemorentur, qui Apollodoreae doctrinae speciem prae se ferant, cumque iidem apud Stephanum occurrant una cum Epaphrodito, quem vidimus ex Apollodoro hausisse, uterque inter Apollodori auctores referendus est.

Sed ne Apollodorus quidem, qui quattuor composuit, primus de Ephyris variis disseruit. Etenim in schol. Odyss.

a 259 trium invenimus Ephyrarum indicem: ἐξ Ἐφύρης· πόλεως Θεσπρωτίας· Ἔφυραι δὲ τρεῖς εἰσι, ἥ τε Θεσπρωτική, ἡ νῦν Κόρινθος καὶ ἡ τρίτη Ἤλιδος. V. et in cod. E: πόλις Θεσπρωτίας. δύο (re vera tres) δέ εἰσιν, ἥ τε Θεσπρωτικὴ, ἡ νῦν καλουμένη Κόρινθος, ἡ τῆς Ἤλιδος καὶ ἡ κατὰ τὴν Ἤπειρον (eadem ac Θεσπρωτική) [1]). Hic index etsi nunc quidem adscriptus est ad Odyss. a 259, confectus tamen primum est ad explicandum versum Il. O 531:

τόν τοτε Φυλεὺς
ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος,

ad quem hodie adnotatum in cod. Victoriano: Τῆς ἐν Ἤλιδι, ἧς καὶ ἐν ἄλλοις μνημονεύει·

ἦ καὶ εἰς Ἐφύρην ἐθέλεις πείραν ἄρουραν
ἐλθεῖν. (Odyss. β, 328).

et in scholiis, quae minora seu Didymi vocantur: τῆς ἐν Ἤλιδι, ἥ νῦν καλεῖται Οἰνόη.

Quis fuerit, qui versum ita interpretatus est, ex Strab. VIII, 339 discimus: Οὕτω φησὶ (sc. Ἀπολλόδωρος) καὶ Θεσπρωτικὴν Ἔφυραν διαστέλλεσθαι τῷ τε τηλόθεν [2]) καὶ τῷ

ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος.

ταῦτα δ' οὐχ ὁμολογεῖ τοῖς ὑπὸ τοῦ Σκηψίου Δημητρίου λεγομένοις, παρ' οὗ μεταφέρει τὰ πλεῖστα. ἐκεῖνος γὰρ οὗ φησιν εἶναι Σελλήεντα ἐν Θεσπρωτοῖς ποταμόν, ἀλλ' ἐν τῇ Ἠλείᾳ παρὰ τὴν ἐκεῖ Ἔρυραν. Demetrius igitur Scepsius, quem apud Strabonem Apollodorus impugnat, Eliacam Ephyram O 531 intellegi voluit. Hac autem explicatione, qua tres apud poetam inveniri Ephyras statuit, ipse contra Aristarchi sententiam disputat, quae per Aristonicum nobis tradita est ad eunden versum O 531

1) Etiam in lexico. Hesych. Alex. trium Ephyrarum index hic est s. v. *Ἔφυρα· ἡ νῦν Κόρινθος, καὶ Κίχυρος καλουμένη ἐν τῇ Ἠπείρῳ, καὶ ἡ Οἰνόη.* Sed hic fortasse quartae et quintae Ephyrae mentio intercidit.

2) De voce *τηλόθεν* confer p. 28 n.

in cod. Veneto A: ἡ διπλῆ, ὅτι τῆς Θεσπρωτικῆς Ἐφύρας λέγει, οὐκ ἐκ τῆς Κορίνθου. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ Σελλήεντος, ἀφ' οὗ καὶ Σελλοὶ οἱ περίοικοι. καὶ ὅτι ἐπ' Ἀσίου ἕτερος ἐστὶ Σελλήεις ποταμός. Et Aristarchum re vera has duas tantum Ephyras apud Homerum discrevisse etiam scholiis Z 152 et N 301 confirmatur. Sed non solum Demetrius, verum etiam Parmeniscus Aristarchi interpretationem improbavit. Versum enim B 659:

τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος,

in quo poeta de Astyocha, Tlepolemi matre, loquitur, hic ad Thesproticam, ille ad Eliacam urbem retulit. Confer Aristarchi sententiam in schol. B 659: ἡ διπλῆ ὅτι ἡ Ἐφύρη αὕτη ἑτέρα ἐστὶ τῆς Κορίνθου, τῆς Θεσπρωτίας οὖσα A, Parmenisci apud Stephanum s. v. Ἔφυρα loco valde mutilato: ἐκ ταύτης (sc. Ἠπείρου) Ἀστυόχη, ἡ μήτηρ Τληπολέμου, ὡς φησιν Ὅμηρος. ἦν δὲ αὕτη (sc. ea, quae patria Astyochae erat[1]) μεταξὺ Πύλου καὶ Ἤλιδος, ὡς Παρμενίσκος φησίν.

Iam vero tota veterum grammaticorum de Ephyris disputatio ita patefacta esse videtur, ut nihil relictum sit, de quo dubitari possit[2]). Ab Aristarcho igitur profecta, ut paucis repetam, quae adhuc exposui, tota quaestio hos quasi gradus percurrit:

---

1) Cf. quod Meinekius ad hunc locum adnotavit. Quomodocunque autem lacunam suppleri vis, hoc quidem manifestum est, Parmeniscum, si Eliacam Ephyram alicubi ab Homero significari putavit, ab Aristarchi sententia recessisse.

2) Quae cum ita sint non iam ut fecit Berkelius de Stephani verbis desperabimus, in tantis turbis unquam fore medelam, neque ut Meinekius levi verborum mutatione locum obiter sanare studebimus, sed totam spectantes explicationem Stephanum integrum restituere poterimus.

Alter vero Ephyrarum index, qui subsequitur apud Stephanum, eodem modo resarciri nequit, cum unde haustus sit adhuc parum liqueat. Quodsi vero Niesius (De Stephani Byz. fontibus Kiliae 1873 p. 44) putat



Iam stemma quod modo descripsi aliis illustrabo exemplis et ita quidem, ut inverso ordine ab ipso Aristarcho proficiscar. Is enim in commentariis Homericis Oechaliam, quae bis (B 596 et 750) commemoratur, utroque loco Thessalicam urbem intellegendam esse docuit, neutro Euboicam, quae recentioris epicae poeseos fama inclaruit. Cf. Aristonicum ad B 596: Οἰχαλίηθεν· ὅτι Θεσσαλίας ἡ Οἰχαλία καθ' Ὅμηρον. οἱ δὲ νεώτεροι ἐπ' Εὐβοίας πεποιήκασιν A. et ad B 730: Οἰχαλίην· ὅτι οὐ τῆς Εὐβοίας ἡ Οἰχαλία καθ' Ὅμηρον, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέ-

---

Aeoliae vicum ex Strab. VIII, 338 petitum esse, errare mihi videtur. Primum enim accuratius Strabonis locum si inspicis: *Ἔστι δὲ καὶ περὶ Σικυῶνα Σελλήεις ποταμὸς καὶ Ἔφυρα πλησίον κώμη, καὶ ἐν τῇ Ἀργείᾳ τῆς Αἰτωλίας Ἔφυρα κώμη, οἱ δ' ἀπ' τῆς Ἔφυροι· καὶ ἄλλοι οἱ Περραιβῶν πρὸς Μακεδονίᾳ. καὶ Κραννούνιοι, καὶ οἱ Θεσπρωτικοὶ οἱ ἐκ Κιχύρου τῆς πρότερον Ἐφύρας*, statim apparet, indicem ita corruptum ac perversum esse, ut ab ipso Strabone conscriptus esse omnino non possit. Neque enim Ephyri Crannonii diversi putandi sunt a Perrhaebis (cf. Meinekii Vindic. Strab. p. 102), et Thesprotica Thessalicaque Ephyra a Strabone iam in superiore indice enumeratae fuerunt, et Sicyonica et Aetolica prorsus ei ignotae fuisse videntur, cum eis quidem locis, ubi vel maxime commemorandae erant, videlicet in enarratione Sicyoniae et Aetoliae, omnino praetermittantur. Accedit quod additum illud *ἐθνικόν*: *οἱ δ' ἀπ' αὐτῆς Ἔφυροι* non Strabonis, sed Stephani potius rationem redolet, apud quem legimus: *ἔστι καὶ κώμη Αἰτωλίας Ἐφύρα. τὸ ἐθνικὸν Ἔφυρος*. Itaque Meinekius indiculum illum, apud Strabonem servatum, subditicium arbitratur et aliunde adscitum, equidem eum ex integro Stephani opere vel ex eius fonte a stulto, sed non indocto interpolatore adscriptum esse opinor.

ροις, ἀλλὰ τῆς Θεσσαλίας. A. Contra Aristarchum Demetrius Scepsius non unius, sed duplicis Oechaliae memoriam apud Homerum extare contendit: priore enim loco Arcadicam quandam a poeta significari, altero vero Thessalicam urbem; Apollodorus deinde magistro Aristarcho patrocinatus utroque loco eandem Thessalicam; Strabo denique altero loco Thessalicam probasse, dubitasse de priore videtur. Cf. Strab. VIII, 339: Τοῦτό τε οὖν εἴρηκε (sc. Ἀπολλόδωρος) σκέψεως[1] δεόμενον καὶ περὶ Οἰχαλίας, ὅτι φησὶν οὐ μιᾶς οὔσης μίαν εἶναι „πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος," δηλονότι τὴν Θεσσαλικήν, ἐφ' ἧς φησι (B 730)·

Οἵ τ' ἔχον Οἰχαλίην, πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος.

Τίς οὖν ἐστι, ἐξ ἧς ὁρμηθέντα αἱ Μοῦσαι κατὰ Δώριον (B 595 sq.)

ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήικα παῦσαν ἀοιδῆς

[φησὶ μὲν γάρ.][2])

Οἰχαλίηθεν ἴοντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος;

εἰ μὲν γὰρ ἡ Θετταλική, οὐκ εὖ πάλιν ὁ Σκήψιος Ἀρκαδικήν τινα λέγων, ἣν νῦν Ἀνδανίαν καλοῦσιν. εἰ δ' οὗτος εὖ, καὶ ἡ Ἀρκαδικὴ πόλις Εὐρύτου εἴρηται, ὥστ' οὐ μία μόνον· ἐκεῖνος δὲ μίαν φησί.

Qua ratione ductus Demetrius Arcadicam Oechaliam intellexerit, patet ex Strab. VIII, 350: Δώριον δ' οἱ μὲν ὄρος, οἱ δὲ πεδίον φασίν· οὐδὲν δὲ νῦν δείκνυται· ὅμως δ' ἔνιοι τὴν νῦν Ὄλουριν ἢ Ὄλουραν ἐν τῷ καλουμένῳ Αὐλῶνι τῆς Μεσσηνίας κειμένην Δώριον λέγουσιν. αὐτοῦ δέ που καὶ ἡ Οἰχαλία ἐστὶν ἡ τοῦ Εὐρύτου, ἡ νῦν Ἀνδανία, πολίχνιον Ἀρκαδικόν, ὁμώνυμον τῷ Θετταλικῷ καὶ τῷ Εὐβοικῷ· ὅθεν φησὶν ὁ ποιητὴς ἐς τὸ Δώριον ἀφικόμενον Θάμυριν τὸν Θρᾷκα ὑπὸ Μουσῶν ἀφαιρεθῆναι τὴν

1) Ludere videtur hoc substantivo Strabo, ipsum Scepsium significans, quemadmodum tota eius disputatio lepore atque ioco condita videtur; ipse enim revera non dubitat, sed Demetrio adstipulatur.

2) Sic hunc locum cum Meinekio Vindic. Strab. p. 103 scribendum esse censeo, nisi quod is audacius praeter *φησὶ μὲν γὰρ* etiam versum Homericum B 596, qui sequitur, interpolatori tribuit.

μουσικήν. Et hoc quidem loco Strabo utrius sententiam comprobet, Demetrii an Apollodori, aperte ostendit. Eaedem tres Oechaliae componuntur Strab. IX, 438: Τὴν δὲ Οἰχαλίαν πόλιν λεγομένην ἐν τοῖς τόποις ταύτοις (sc. prope Triccam, Thessaliae urbem) καὶ ἐν Εὐβοίᾳ καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ καὶ μετονομάζουσιν ἄλλοι (add. Coraes) ἄλλως, ὃ καὶ ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς εἴρηται, etiam plures vero X, 448: Ἔστι δὲ καὶ Οἰχαλία κώμη τῆς Ἐρετρικῆς, λείψανον τῆς ἀναιρεθείσης πόλεως ὑπὸ Ἡρακλέους, ὁμώνυμος τῇ Τραχινίᾳ καὶ τῇ περὶ Τρίκκην καὶ τῇ Ἀρκαδικῇ, ἣν Ἀνδάνιαν οἱ ὕστεροι ἐκάλεσαν, καὶ τῇ ἐν Αἰτωλίᾳ περὶ τοὺς Εὐρυτᾶνας. Priorem indicem trium Oechaliarum vel similem Strabo apud Apollodorum invenit, alterum unde sumpserit nescio: ipse enim certe non composuit, siquidem neque Trachinia neque Aetolica Oechalia aliunde ei innotuisse videtur, cum neutrius suo loco ab eo mentio facta sit, neque in descriptione Thessaliae Trachiniae, neque Aetolicae in enarratione Aetoliae. Apud Stephanum denique haec leguntur: Οἰχαλία πόλις, ἣν Ὅμηρος ἐν τῷ Πελασγικῷ Ἄργει (i. e. Thessalia cf. Schol. Z. 152 A) τάσσει λέγων·

οἵ τ' ἔχον Οἰχαλίην, πόλιν Εὐρύτου.

οἱ δὲ νεώτεροι τεθείκασιν (cf. schol. B 596 οἱ δὲ ν. πεποιήκασιν) αὐτὴν ἐν Εὐβοίᾳ. ἔστι καὶ Μεσσηνὶς Οἰχαλία καὶ ἑτέρα ἐν Τραχῖνι καὶ ἐν Θετταλίᾳ καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ (eadem ac Μεσσηνίς cf. Strab. VIII, 350). ὁ πολίτης Οἰχαλιεὺς ὡς τὸ Αἰμονία Αἰμονιεύς, καὶ [ὡς] Αἰμονὶς οὕτω Οἰχαλίς, καὶ Οἰχαλιώτης ὡς Ἀμβρακιώτης [καὶ] Σικελιώτης. Λίνος γὰρ ὁ ἱστορικὸς Οἰχαλιώτης ἦν. λέγεται καὶ Οἰχάλιος καὶ Οἰχαλίηθεν ἐκ τόπου.

Quae apud Eustathium inveniuntur ad B 734 p. 332, 5, conflata sunt ex Strabone et Stephano. Etiam hoc exemplo luculenter docetur, quaenam ratio intercedat inter Aristarchum, Demetrium, Apollodorum, Strabonem, Stephanum.

Nunc alteram stemmatis partem illustrabo. Nota res est

Aristarchum duas apud Homerum distinxisse Orchomenos, Arcadicam et Boeoticam. cf. schol. B 511: Ὀρχομενὸν Μινύειον· ἡ διπλῆ ὅτι καὶ ἕτερος Ὀρχομενός. ἀλλ' ὁ μὲν Βοιωτιακὸς Μινύειος καλεῖται, ὁ δὲ Ἀρκαδικὸς πολύμηλος· καὶ τοῖς ἐπιθέτοις διαστέλλεται ἡ ὁμωνυμία A et ad eundem versum in codd. BL: ἀπὸ Μινυοῦ τοῦ Σισύφου τοῦ Αἰόλου, ὁ δὲ Ἀρκαδίας Ὀρχομενὸς πολύμηλος. et schol. B 605: πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν τοῦ Ὀρχομενοῦ, ὅτι τῷ ἐπιθέτῳ διέσταλκεν. Hanc Aristarchi distinctionem Apollodorum in Catalogo recepisse ex Strabone VIII, 338 discimus: Ἀπολλόδωρος δὲ διδάσκων, ὃν τρόπον ὁ ποιητὴς εἴωθε διαστέλλεσθαι τὰς ὁμωνυμίας, οἷον ἐπὶ τοῦ Ὀρχομενοῦ τὸν μὲν Ἀρκαδικὸν πολύμηλον καλῶν, τὸν δὲ Βοιωτικὸν Μινύειον κτλ. Catalogum vero aut fortasse ipsius Aristarchi commentarios — hoc enim loco diiudicari nequit — exscripsit vetus Pindari interpres, nimirum Didymus, ad Olymp. XIV, 1: Ἀσωπίχῳ Ὀρχομενίῳ· οὗτος ἐνίκησε τὴν ος΄ Ὀλυμπιάδα σταδίῳ· Κηφισὸς δὲ ποταμὸς ἐν Ὀρχομενῷ, ἔνθα καὶ Χάριτες τιμῶνται· ταύταις γὰρ Ἐτέοκλος, ὁ Κηφισοῦ τοῦ ποταμοῦ υἱός, πρῶτος ἔθυσεν, ὥς φησιν Ἡσίοδος. διὰ δὲ τοῦ Ὀρχομενοῦ ὁ Κηφισὸς ῥεῖ. δύο δὲ Ὀρχομενοί, ὁ μὲν Μινύειος ἐν Βοιωτίᾳ, ὁ δὲ πολύμηλος ἐν Ἀρκαδίᾳ. τοῦ δὲ Μινυείου νῦν μέμνηται.

Hinc iam certiore ratione iudicare licet de eis, quae de diversis Pylis Didymum ex Apollodori catalogo sumpsisse suspicor. Ad B 590 enim adnotatur in codd. BL: Οἱ δὲ Πύλον· ἐξ Αἰόλου Κριθεύς, ὃς Ἰωλκὸν κατέσχε Πελασγοὺς ἐκβαλών. τούτου δὲ οἱ παῖδες Πελίας μὲν ἅμα Ἰάσονι Ἰωλκὸν ᾤκουν, Νηλεὺς δὲ Πύλον σὺν Ἀμαθάονι, Φέρης δὲ Φέρας. τρεῖς δὲ Πύλοι εἰσίν, Μεσσηνίας, Τριφυλίας, Ἀρκαδίας. et in cod. D: Πύλος ὁ ὑπὸ Νέστορι τῆς Μεσσηνίας, τὸ καὶ Κορυφάσιον, ὁ δὲ Ἀρκαδίας ἡ τοῦ Νέστορος πατρίς, ὁ δὲ τῆς Ἠλείας παρὰ τὴν Ὠλενίαν πέτραν. Similem fere de tribus Pylis explicationem proposuisse Apollodorum, ex Strabone VIII 339 et 340 colligo, qui ipse illo

loco Apollodorum adhibuit: Μεταξὺ δὲ τῆς τοῦ Ἠνειοῦ καὶ τοῦ Σελλήεντος ἐκβολῆς Πύλος ᾠκεῖτο κατὰ τὸ Σκόλλιον, οὐχ ἡ Νέστορος πατρίς, ἀλλ' ἑτέρα τις, ἣ πρὸς τὸν Ἀλφειὸν οὐδέν ἐστι κοινώνημα, οὐδὲ πρὸς τὸν Ἁμισόν, εἴτε Ἄμαθον χρὴ καλεῖν. βιάζονται δ' ἔνιοι μνηστευόμενοι τὴν τοῦ Νέστορος δόξαν καὶ τὴν εὐγένειαν· τριῶν γὰρ Πύλων ἱστορουμένων ἐν Πελοποννήσῳ (καθότι καὶ τὸ ἔπος εἴρηται τουτί,

ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο· Πύλος γὲ μέν ἐστι καὶ ἄλλος),

τούτου τε καὶ τοῦ Λεπρεατικοῦ τοῦ ἐν τῇ Τριφυλίᾳ καὶ τῇ Ἱσάτιδι, τρίτου δὲ τοῦ Μεσσηνιακοῦ τοῦ κατὰ Κορυφάσιον, ἕκαστοι τὸν παρά σφισιν ἠμαθόεντα πειρῶνται δεικνύναι καὶ τὴν τοῦ Νέστορος πατρίδα τοῦτον ἀποφαίνουσιν. οἱ μὲν οὖν πολλοὶ τῶν νεωτέρων καὶ συγγρφέων καὶ ποιητῶν Μεσσηνιόν φασι τὸν Νέστορα, τῷ σωζομένῳ μεχρὶ εἰς αὐτοὺς προστιθέμενοι. οἱ δὲ Ὁμηρικώτεροι, τοῖς ἔπεσιν ἀκολουθοῦντες, τοῦτον εἶναί φασι τὸν τοῦ Νέστορος Πύλον, οὗ τὴν χώραν διέξεισιν ὁ Ἀλφειός. διέξεισι δὲ τὴν Ἱσᾶτιν καὶ Τριφυλίαν. οἱ δὲ οὖν ἐκ τῆς Κοίλης Ἤλιδος καὶ αὐτοὶ (libri τοιαύτην) φιλοτιμίαν προσετίθεσαν τῷ παρ' αὐτοῖς Πύλῳ, καὶ γνωρίσματα δεικνύντες Γέρηνον τόπον καὶ Γέροντα ποταμὸν καὶ ἄλλον Γεράνιον, εἶτ' ἀπὸ τούτων ἐπιθέτως Γερήνιον εἰρῆσθαι πιστούμενοι τὸν Νέστορα. τοῦτο δὲ ταὐτὸ καὶ οἱ Μεσσήνιοι πεποιήκασι, καὶ πιθανώτεροί γε φαίνονται: μᾶλλον γὰρ γνώριμά φασιν εἶναι τὰ παρ' ἐκείνοις Γέρηνα, συνοικουμένην ποτὲ εὖ. Didymus vero unum τῶν νεωτέρων, Pindarum, interpretatus prorsus τοῖς Ὁμηρικωτέροις adstipulatus est. cf. schol. Pind. Pyth. VI, 35: Μεσσανίου δὲ γέροντος· καὶ ὁ Πίνδαρος τὸν Νέστορα ἐκ τῆς Μεσσηνιακῆς Πύλου φησὶν εἶναι. τριῶν γὰρ ὄντων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Πύλων εἷς μέν ἐστιν ὁ περὶ τὸν Ἀλφειὸν ποταμὸν ἐν Ἤλιδι Πύλος, ὃν καὶ ὑπὸ Ἡρακλέους πεπορθῆναί φασιν. ἕτερος δὲ Τριφυλιακὸς Πύλος, ἐν ᾧ ὁ Ἀμαθόεις ποταμός· τρίτος ἐν Μεσσήνῃ περὶ τὸ Κορυφάσιον. εἶσι δὲ οἵ φασι τοὺς τρεῖς Πύλους ὑπὸ τὸν Νηλέα εἶναι. Δοκεῖ δὲ τῷ Διδύμῳ ἐκ τῆς

Τριφυλιακῆς Πύλου εἶναι τὸν Νέστορα, ἔνθα καὶ Ἀμαθόεις ἐστὶ ποταμὸς καθ' Ὅμηρον.

Ex Stephano hodie nihil nisi misellum excerptum hoc extat: Πύλος, πόλις ἐν Μεσσήνῃ. ἐκαλεῖτο δὲ Κορυφάσιον. τὸ ἐθνικὸν Πύλιος καὶ Πυλαῖος. λέγεται καὶ ἀρσενικῶς. τρία τοίνυν ἐθνικὰ Πύλιος, Πυλαῖος, Πυλίων. Eundem vero etiam aliarum Pylorum mentionen fecisse Eustathius ad B 591 p. 296, 27 nobis prodit his verbis: Πύλοι δὲ τρεῖς κατὰ τὸν τὰ ἐθνικὰ γράψαντα, Μεσσηνίας, Τριφυλίας, Ἀφκαδίας, quae ex ampliore Stephani exemplari transcripta sunt. Ubicunque enim ab eo ἐθνογράφος memoratur Stephanus, γεωγράφος Strabo intellegendus est.

Iam vero postquam pluribus exemplis monstravi, quanam ratione tales indices componi augeri excerpi solerent, pauca de singulis quos nominavi grammaticis addam et ita quidem, ut a serioribus ad priores escendam.

Epaphroditus quantum Stephano suppeditaverit, Niesius in Mus. Rhen. XXXII p. 276 ostendit, quibus ipse usus sit commentariis, adhuc parum cognitum neque satis accurate hac de re egit Luenznerus in dissertatione Bonnensi, qua „Epaphroditi qrammatici quae supersunt" composuit a. 1866. Itaque in hac re paulisper nobis commorandum est. Citantur apud Stephanum s. v. Βῆσσα grammatici, qui Βῆσσαν duplici σ scripserint, hi: Ἀπολλόδωρος καὶ Ἐπαφρόδιτος καὶ Ἡρακλέων. Vel ex hoc citandi genere conicere nobis licet Epaphroditum non solum Apollodori catalogo, verum etiam Heracleonis commentariis usum esse. Sed non opus est coniectura, cum res demonstrari possit argumentis sat certis. Fuisse grammaticum quendam — Apollodorum ipse suspicaberis — qui quattuor fontes Arethusas contulit, ex schol. Od. ν 408 discimus: Παρ Κόρακος πέτρῃ· Ἰστέον δὲ ὅτι Ἀρέθουσαι κρῆναί εἰσι τέσσαρες· ἐν Συρακούσαις, ἐν Σμύρνῃ, ἐν Χαλκίδι καὶ ἐν Ἰθάκῃ.

B. H. Q. Οὗτος ὁ Κόραξ κυνηγῶν ἀπὸ τῆς πέτρας πεσὼν ἐτελεύτησε καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ Ἀρέθουσα ἑαυτὴν ἀπήγξατο. Ἀρέθουσαι δὲ τέσσαρες· ἐν Συρακούσῃ, ἐν Σμύρνῃ, ἐν Χαλκίδι καὶ ἐν Ἰθάκῃ. V. Ἀρέθουσα κρήνη Ἰθάκης καὶ Ἄργους. V.

Didymum auxisse hunc indicem, Heracleonem talem commentandi rationem prorsus improbasse, quia omnis fons communi vocabulo ἀρέθουσα appellaretur[1]), Stephani docet epitome s. v. Ἀρέθουσα· πόλις Συρίας καὶ Θρᾴκης καὶ Εὐβοίας καὶ κρήνη Σικελίας· αὕτη Κυπάρα ἐλέγετο. ἔστι καὶ Ἰθάκης·

πὰρ Κόρακος πέτρῃ ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

Ὅμηρος (ν 408). Δίδυμος ὑπομνηματίζων τὴν ν΄ τῆς Ὀδυσσείας φησίν· Ἀρέθουσαι δέ εἰσιν ὀκτώ.[2]) Ἡρακλέων δὲ ὁ Γλαύκου τὴν αὐτὴν ὑπομνηματίζων φησίν. ἄρω ἐστὶ τὸ ποτίζω, οὗ τὸ ἄρδω παράγωγον, ἐκ τούτου ἀρέθω, ὡς φλέγω φλεγέθω, ἀφ οὗ πᾶσα κρήνη ἐπιθετικῶς οὕτω λέγεται· τὸ ἐθνικὸν Ἀρεθούσιος. Et Epaphroditum denique Heracleonis interpretationem recepisse ex schol. Theocriti I, 117 apparet: Ἀρέθουσα· ὅτι Σικελικὴ

---

1) Ut hic, sic etiam aliis locis suum ipse iudicium secutus est Heracleo, Glauci filius, Aegyptius. cf. scholion V ad Ω 44 sq.

ὣς Ἀχιλεὺς ἕλεον μὲν ἀπώλεσεν, οὐδὲ οἱ αἰδὼς
γίγνεται, ἥ τ' ἄνδρας μέγα οἴνεται ἠδ' ὀνίνησιν.

οὔπω γὰρ αἰδὼς καὶ αἰσχύνη διεκέκριτο, ἀλλ' ἐπὶ διαφόροις πράγμασιν ἐν ᾗ ὄνομα. πανταχοῦ δὲ τῶν ὑπομνημάτων οὕτως εὗρον, πλὴν Ἡρακλέωνος. et schol. Apoll. Rhod. I, 709 *ὅ ῥ' Ἀταλάντη· οἱ δὲ Ἀριστάρχειοι δι' ἑτέρου ρ ἔχουσι τὰς τοιαύτας γραφάς, ὡς Ἡρακλέων φησὶν ἐν τῇ π΄ τῆς Ἰλιάδος·*

τύ ῥα τότ' ἐκ χηλοῖο λαβών (228).

Quodsi vero ex altero loco M. Schmidt (Didymi frgm. p. 47) Antiaristarcheum Heracleonem fuisse collegit, nimis indulsisse arbitrio suo videtur.

2) Non recte mihi videtur Meinekius propter scholion ad *ν* 406 hoc loco *τέσσαρες* pro *ὀκτώ* coniecisse. Non enim demonstravit grammaticum, qui ibi quattuor Arethusas contulit, eundem atque Didymum esse. Quid quod ethnicorum et scholiorum locos, quos ex uno fonte fluxisse nemo negabit, si contuleris non quattuor, sed re vera octo Arethusas enumerari apparebit?

κρήνη. πρόδηλον δοκεῖ ὑπ' Ἀλφειοῦ πληροῦσθαι. ἔστι δὲ καὶ ἐν Εὐβοίᾳ καὶ ἄλλη ἐν Σάμῳ[1]) [καὶ ἐν Ἰθάκῃ]

πὰρ κόρακος πέτρῃ καὶ ἐπὶ κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

χαριέντως τοῦ Ἐπαφροδίτου λέγοντος ἐν τῷ περὶ στοιχείων[2])

	Stephanus	Schol. Odyss. ν 408	Schol. Theocrit. I 117
1.	*Συρίας*		
2.	*Θρᾴκης*		
3.	*Εὐβοίας*	*ἐν Χαλκίδι*	*ἐν Εὐβοίᾳ*
4.	*Σικελίας*	*ἐν Συρακούσαις*	*Σικελική*
5.	*Ἰθάκης*	*ἐν Ἰθάκῃ*	*ἐν Ἰθάκῃ*
6.		*ἐν Σμύρνῃ*	
7.		*Ἄργους*	
8.			*ἐν Σάμῳ.*

Omnis igitur difficultas ita solvi posse mihi videtur. Grammaticus quidam, Apollodorus opinor, quattuor composuit fontes cognomines; hunc indicem etiam urbibus additis Didymus supplevit atque auxit (cf. similem rationem in scholl. Iliad. Z 133 et Soph. Antig. 1131), exscripsit Epaphroditus adiuncta Heracleonis sententia; Epaphroditum excerpsit Stephanus, qui ipse ab Hermolao ita abbreviatus est, ut nunc quidem in lexico quinque tantum Arethusae inveniantur.

1) Post verba *καὶ ἄλλη ἐν Σάμῳ* aliquid intercidisse ex eo cognoscitur, quod versus Homericus ad Samiam Arethusam spectare non potest. Editores igitur unam addiderunt Ithacensem, ut sit quo referatur versus, sed quot revera omissae sint nescimus.

2) Commentarii inscriptio *ἐν τῷ περὶ στοιχείων*, quae ab optimo libro Ambrosiano omittitur, virorum doctorum acumen frustra exercuit. Luenznerum l. l. p. 9 *λέξεσι κωμικαῖς* Arethusae vocabuli explicationem adscribentem valde lapsum esse statim apparet. Neque Ahrensio adstipulandum est, qui titulum ex *ἐν τῷ περὶ λέξεων κατὰ στοιχεῖον* mutilatum esse suspicatur (Bucol. II p. 476). Cur doctissimum grammaticum de elementis, *περὶ στοιχείων*, peculiari commentario egisse, quae etiam Duebneri fuisse videtur opinio, praefracte negemus? Ceterum Crates in versibus Homericis

αἱ δὲ νέμονται
πὰρ κόρακος πέτρῃ ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ
ἔσθουσαι βάλανον μενοεικέα καὶ μέλαν ὕδωρ
πίνουσαι, τά θ' ὕεσσι τρέφει τεθαλυῖαν ἀλοιφήν.

ex tertio quem adscripsi versu *μέλαν ὕδωρ* — sic enim pro *μελανύδρου* scribendum videtur — in superiorem transtulisse, reliquum vero versum delevisse videtur.

ὡς ἀρεθούσας καλοῦσι τὰς (πάσας Meineck.) κρήνας. ἀγνοήσας δὲ Κράτης μεταγράφει·

ἐπὶ [τε] κρήνης μελανύδρου.

Tertius ad Didymum et Heracleonem Epaphroditi auctor accedit Philoxenus, de quo vide Steph. s. v. Δωδώνη. πόλις τῆς Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ, καθ' ἣν Δωδωναῖος Ζεύς

Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου

καὶ Διονύσιος

Δωδώνης ἤπειρος ἀπείριτος ἐκτετάνυσται.

Φιλόξενος δὲ ὁ τὴν Ὀδυσσείαν ὑπομνηματίζων δύο φησὶ Θετταλικὴν καὶ Θεσπρωτικήν, οὕτως „Δωδώνην νῦν φησι τὴν Θεσπρωτικήν, ἐν ᾗ τὸ μαντεῖον ἐκ τῆς δρυός, ἑτέρα δὲ ἡ Θετταλική, ἀφ' ἧς ὁ Ἀχιλλεὺς καλεῖ τὸν Δία." ἔοικε δὲ οὕτως ἐπιλελῆσθαι τὸ

ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ

σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

πῶς γὰρ τούτων μέμνηται ἀπὸ Θετταλικῆς καλῶν αὐτόν; οὕτω δὲ καὶ Ἐπαφρόδιτος ἐν τῇ π' τῆς Ἰλιάδος „τιμᾷ τοὺς ἐν Δωδώνῃ ἔχοντας ἐπιφανὲς μαντεῖον

τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι.

ἐπικέκληκε δὲ Ἀχιλλεὺς τὸν ἐν Θεσσαλίᾳ γειτνιῶντα θεόν, ὡς καὶ Πάνδαρος εὔχεται τῷ Λυκηγενεῖ καὶ ὁ Χρύσης τῷ Σμινθεῖ κτλ." Exscribit hoc loco ethnographus Epaphroditi in II 233 commentationem, qui quidem ipse et Philoxeni ὑπομνήματα τῆς Ὀδυσσείας et Apollodori catalogum cum auctoribus eius Cinea et Suida affert. Sed ne credas Stephanum ipsum Philoxeni commentarios adiisse, quia singula eius verba redderet, inspice ceteras lexici partes, quae integrae nobis ex libro XIII sersatae sunt inde a voce Δυμᾶνες usque ad Δώτιον: videbis hic tot opera αὐτολεξεί exscripta esse, ut vel nemo omnia ipsi Stephano praesto fuisse contendat. Immo Epaphroditus ut aliis locis (velut s. v. Δρυόπη· ὡς Ἡρόδωρος, ὃν παρατίθησιν Ἐπαφρόδιτος), sic etiam hic ipsis auctoris verbis utitur. Etiam-

nunc in scholiis Epaphroditi commentarii vestigia extant ad Odyss. ξ 227 et Iliad. II 233 sq., ubi eidem atque apud Stephanum citantur auctores, Thrasybulus, Acestodorus, Demon. Certe praeter Didymi, Heracleonis, Philoxeni commentarios aliis permultis usus est Epaphroditus, sed omnes hoc loco percensere ab eo quem hac dissertatione mihi proposui fine abhorret.

Itaque transeo ad Didymum. Hic quo modo Apollodori catalogo ad interpretanda Pindari carmina usus sit, tribus iam ostendi indicibus, Ephyrarum, Pylorum, Orchomenorum. Eundem vero in tragicorum quoque commentariis Apollodorum adhibuisse, uno comprobabo exemplo, quod est in schol. Eurip. Androm. 1: Θηβαία πόλις· τὴν ἐν Ἀσίᾳ λέγει τὴν Ὑποπλάκιον Θήβην, ἧς Ἠετίων ἐβασίλευσεν. B. G. M. T. Φιλέας δὲ καὶ ἐν Θεσσαλίᾳ φησὶν ἐν τῷ Φθιωτικῷ τέλει Θῆβας εἶναι. Θεόπομπος δὲ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς καὶ περὶ Μυκάλην ἄλλας (cod. ἄλας) εἶναί φησιν. ταύτας δὲ Μιλησίους ἀλλάξασθαι πρὸς αὐτούς. M. Πέντε εἰσὶ Θῆβαι, Ὑποπλάκιαι, Αἰγύπτιαι, Βοιώτιαι καὶ ἐν Φθιωτικῷ μέρει καὶ περὶ Μυκάλην. B. G. M. T. Habemus igitur trium Thebarum indicem, Hypoplaciae, Aegyptiae, Boiotiae, cui doctus interpres ex Phileae et Theopompi libris alias duas adiunxit cognomines. Prior index etiam in scholiis A D ad Iliad. Δ 378 legitur: Θῆβαί εἰσιν αἱ πᾶσαι τρεῖς ὧν μέμνηται ὁ ποιητής· καὶ μία μὲν, ὧν ποιεῖται νῦν λόγον· αἱ Ὑποπλάκιαι, ὧν μέμνηται ἐν τῇ A καὶ τῇ Z· καὶ αἱ Αἰγύπτιαι, περὶ ὧν φησιν ἐν τῇ I, quorum conf. schol. A 366. Quis vero has tres cognomines composuerit ex Strabonis verbis VIII 338: Ἀπολλόδωρος δὲ διδάσκων, ὃν τρόπον ὁ ποιητὴς εἴωθε διαστέλλεσθαι τὰς ὁμωνυμίας κτλ. conicias; quis reliquas adiecerit si recordaris, quemadmodum Didymum Apollodori copias excerpsisse vidimus, ipse suspicaberis.

Apollodori deinde rationem explicaturo mihi ordiendum

est a Strab. VIII 338: Ἀπολλόδωρος δὲ διδάσκων, ὃν τρόπον ὁ ποιητὴς εἴωθε διαστέλλεσθαι τὰς ὁμωνυμίας, οἷον ἐπὶ Ὀρχομενοῦ τὸν μὲν Ἀρκαδικὸν πολύμηλον καλῶν, τὸν δὲ Βοιωτιακὸν Μινύειον καὶ Σάμον Θρηικίην συντιθεὶς (Ω 78)

μεσσηγὺς τε Σάμοιο καὶ Ἴμβρου,

ἵνα χωρίσῃ ἀπὸ τῆς Ἰωνικῆς, οὕτω φησὶ καὶ τὴν Θεσπρωτικὴν Ἔφυραν διαστέλλεσθαι τῷ τε "τηλόθεν" [1]) καὶ τῷ

ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

Ταῦτα δ' οὐχ ὁμολογεῖ τοῖς ὑπὸ τοῦ Σκηψίου Δημητρίου λεγομένοις, παρ' οὗ μεταφέρει τὰ πλεῖστα, ἐκεῖνος γὰρ οὗ φησιν εἶναι Σελλήεντα ἐν Θεσπρωτοῖς ποταμὸν, ἀλλ' ἐν τῇ Ἠλείᾳ παρὰ τὴν

---

1) Scripsisse igitur Apollodorum

τηλόθεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος

etiam ex Strab. VII, 328 apparet, ubi totus versus sic adfertur; sed ex quanam editione hanc versus formam petierit, quaerendum est. Soli enim, ad quos spectare Apollodorus potuit, sunt aut versus B 656 sqq.:

τῶν μὲν Τληπόλεμος δουρίκλυτος ἡγεμόνευεν,
ὃν τέκεν Ἀστυόχεια βίῃ Ἡρακληείῃ.
τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος,
πέρσας ἄστεα πολλὰ Διοτρεφέων αἰζηῶν.

aut *O* 529 sqq.:

πυκινὸς δὲ οἱ (sc. Megeti Phylidae) *ἥρκεσε θώρηξ,*
τὸν ῥ' ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα. τὸν τότε Φυλεὺς
ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.
ξεῖνος γὰρ οἱ ἔδωκεν ἄναξ ἀνδρῶν Εὐφήτης κτλ.

Neutro loco pro *τὴν ἄγετ'* aut *ἤγαγεν* posse *τηλόθεν* substitui, nisi si deleantur vel prorsus aliter conformentur versus aut antecedentes aut subsequentes in propatulo est. Aristarchus, cuius utpote magistri recensione Apollodorum usum esse verisimile est, et Zenodotus et Aristophanes, quantum ex scholiis colligi potest, versus illos non aliter ediderunt ac nos in codicibus legimus; neque enim Didymus neque Aristonicus ullam adnotavit scripturae discrepantiam. Itaque eo inclinat animus meus ut Apollodorum versum illum e memoria ita scripsisse statuam, deceptum alius versus similitudine, qualis ex. gratia est B 857:

Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Quodsi vero Strabo in VIII, 338, ubi Scepsii profert explicationem, vulgatam reddit versus formam, illo loco ipsum inspexisse Homeri exemplar, hic Apollodori errorem non animadvertisse puto.

ἐκεὶ Ἔφυραν ὡς προείπομεν κτλ. Dedita ipitur opera Apollodorus homonymiarum apud Homerum geographicarum distinctionem tractavit. Quam commentandi rationem non ab ipso inventam, sed acceptam esse ab Aristarcho magistro duobus supra ostendi et Ephyrarum et Oechaliarum indicibus, nunc tertio probabo Orchomenorum exemplo. Conferas enim Apollodori distinctionem cum scholio Aristarcheo B 511: Ὀρχομενὸν Μινύειον· ἡ διπλῆ ὅτι καὶ ἕτερος Ὀρχομενός ἐστιν Ἀρκαδικός· ἀλλ' ὁ μὲν Βοιωτιακὸς Μινύειος καλεῖται, ὁ δὲ Ἀρκαδικὸς πολύμηλος· καὶ τοῖς ἐπιθέτοις διαστέλλεται ἡ ὁμωνυμία. A. Et Aristarchus quidem ubicumque apud poetam homonymiam seu urbium seu fluminum terrarumve invenit, apposuit διπλῆν (cf. B 511, 839 E 105, 173 Z 152 I 478 M 97 N 30 O 531 etc.), quae nota postea cur posita esset Aristonicus discipulus ita nobis explicavit, ut causas argumenta observationes Aristarchi ipsius afferret. Quodsi tenemus mox apparebit discrimen, quod intercedit inter Aristarchi et Apollodori rationem. Ut enim redeamus ad Strabonis locum VIII, 338, utpote quo fausta fortuna exempla Apollodoreae rationis servata nobis sunt luculentissima, discipulus in Orchomenis diversis et Ephyris enumerandis magistri vestigiis insistens in Samis duabus ab eo recedit. Talis enim Samorum distinctio, qualis apud eum legebatur, ab Aristarchi ratione proptera prorsus abhorret, quod Ionicae Sami mentio, cum apud Homerum tantummodo Samos prope Ithacam sita et Samos Thracia occurant apud illum, ne cogitari quidem potest. Aristarchus enim eos solum notavit versus, ubi Sami mentio fit, atque si Aristonici scholia omnia nobis servata esset, legeremus ita fere in B et N et Ω: Ὅτι δύο εἰσὶ Σάμοι, ἥ τε Κεφαλληνικὴ καὶ ἡ Θρακική. Apollodorus illam distinctionem etiam ad Ionicam insulam retulit, quae apud Homerum non invenitur; cumque sibi persuasisset poetam Thraciam insulam cum Imbro composuisse, ut eam ab Ionica

distingueret, hanc ipsam Ionicam illi notam fuisse crediderit necesse est. De qua explicatione quid Strabo censuerit ex his verbis X 457 cognoscas: Καλεῖ δὲ ὁ ποιητὴς Σάμον καὶ τὴν Θρᾳκίαν (antea de Caphallenica dictum est), ἣν νῦν Σαμοθρᾴκην καλοῦμεν. τὴν δὲ Ἰωνικὴν οἶδε μὲν, ὡς εἰκός· καὶ γὰρ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν εἰδέναι φαίνεται. οὐκ ἀντιδιέστειλε[1]) δὲ τὴν ὁμωνυμίαν περὶ τῆς Σαμοθρᾴκης λέγων τοτὲ μὲν τῷ ἐπιθέτῳ·

ὑψοῦ ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς Σάμου ὑληέσσης,
Θρηικίης·

τοτὲ δὲ τῇ συζυγίᾳ τῶν πλησίον νήσων·

ἐς Σάμον ἔς τ' Ἴμβρον καὶ Λῆμνον ἀμιχθαλόεσσαν·

καὶ πάλιν·

μεσσηγύς τε Σάμοιο καὶ Ἴμβρου παιπαλοέσσης·

ᾤδει μὲν οὖν, οὐκ ὠνόμακε δ' αὐτήν·

Ex Apollodori igitur disputatione pendent etiam haec scholia Odyss. α 246: Τρεῖς δὲ Σάμοι, Ἰωνική, Κεφαλληνική, Θρᾳκική et δ 671: Ἔστι δὲ Σάμος Ἰωνίας, Σάμος Θρᾴκης, Σάμος Κεφαλληνίας.

Quae cum ita sint profectum quidem Apollodorum ab Aristarchi ratione, provectum tamen longius esse apparet. Neque hoc miramur, si respicimus proprium utriusque consilium atque propositum. Aristarchus enim id agebat, ut ὁμωνυμίας geographicas, quae apud ipsum poetam reperiuntur notaret et distingueret, Apollodorus contra studiis geographicis nixus Homerum ita interpretandum sibi sumpsit, ut quod ὁμωνυμίας attinet, loca etiam ab aliis scriptoribus commemorata colligeret

---

1) Sic scribendum est. Male enim editores scripturam libris traditam turbaverunt addita particula *ἄν*. Etenim Strabo loc loco non refert tantummodo Apollodori commentationem, sed ita impugnat, ut notam quidem fuisse poetae Ionicam Samum ipse concedat, distinctionem vero illam neget. Cf. quae subsequuntur: *οὐδ' ἐκαλεῖτο τῷ αὐτῷ ὀνόματι πρότερον κτλ.*

et ex his quae in quoque apud Homerum verso intelligenda essent doceret. Atque huc spectat illa de Pylis explicatio quam supra (p. 12 sq.) e Strabone et e scholiis exscripsi, huc etiam Arisbarum, quarum una tantum a poeta memoratur, index in schol. Z, 13: Ἄρίσβα Τροίας· καὶ Λέσβου δέ ἐστιν. L. V. et in Strab. XIII 591, ubi postquam multum de Troica Arisba dictum est, sic pergitur: ἦν δὲ καὶ ἐν Λέσβῳ πόλις Ἀρίσβα, ἧς τὴν χώραν ἔχουσι Μηθυμναῖοι. ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς Ἄρισβος ἐν Θρᾴκῃ, huc alia permulta, quae enumerare supersedeo, cum iam Niesius l. l. p. 274 n. et p. 296 omnia composuerit ex eis Strabonis libris, quorum fons principalis Apollodori catalogus habetur, sc. e libris VIII—X et XII, 3 — XIV.

Restant Demetrius Scepsius et Parmeniscus. Quorum prior, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς Κράτητι καὶ Ἀριστάρχῳ (Strab. XIII 609), etsi discipulus Aristarchi appellari nequit, tamen in opere suo, quod Τρωικὸς διάκοσμος inscriptum erat, ipsum pendere ex illius ratione pluribus supra ostendi exemplis. Alter Parmeniscus, Aristarchi discipulus idemque aequalis, qui et Homerum tragicos Aratum interpretatus est et πρὸς Κράτητα scripsit libros, et ipse homonymis distinguendis operam dedit. De Ephyris quid statuerit supra (p. 8) dictum est, alia hic addantur exempla. Apud Stephanum s. v. Ἄλος legitur: δύο δὲ Παρμενίσκος Ἄλους ἱστορεῖ, τὸν μὲν Μαλιακὸν ὑπὸ Ἀχιλλεῖ, τὸν δὲ ὑπὸ Πρωτεσιλάῳ. Easdem urbes etiam Apollodorum distinxisse ex Strab. IX 433 concludi potest, ubi Φθιωτικός et Ἀχαϊκὸς [1]) Ἄλος, Achillis et Prote-

1) Haec Achaia pars Thessaliae sicut etiam Phthia. Ac Phthiam, ut hoc addam, terram esse non urbem Parmeniscus audacter affirmat (cf. Steph. s. v. *Φθία*: *Παρμενίσκος δὲ χώραν αὐτήν φησι καὶ οὐ πόλιν*, Strabo vel potius Apollodorus in dubio relinquit (cf. IX, 432: *ὁ μὲν οὖν ποιητὴς δύο ποιεῖ* (sc. *Ἑλλάδα καὶ Φθίαν*, non unam ut alii), *πότερον δὲ πόλεις ἢ χώρας οὐ δηλοῖ*.

silai urbs eodem modo componuntur. Nec solum in Homericis, verum etiam in tragicorum commentariis Parmeniscus eadem interpretandi ratione usus est. Audias scholiastam ad Eurip. Troad. 228: Κρᾶθις· δύο δέ εἰσι Κράθιδες, ὡς Παρμενίσκος φησίν· ὁ μὲν ὑπὸ Πελοτονήσου τὰς πηγὰς ἔχων ..... ὁ δὲ ἐν Ἰταλίᾳ, οὗ νῦν μέμνηται ὁ Εὐριπίδης κτλ. Sed hactenus de Parmenisco.

II.

Iam vero eis nixus, quae de geographicis exposui homonymiis, ad homines cognomines transeo. Hos Aristarchus etiam maiore studio quam illas persecutus est neque quisquam fuit, qui cum eo de his disceptaret. Etenim totam quaestionenm ita ipse pertractavit, ut nihil relinqueretur, quod posteriores grammatici adderent. Sed quanam ratione in his usus sit investigemus.

Primum ut geographicas, sic etiam hominum ὁμωνυμίας notavit omnes, id quod cum ex aliis scholiis permultis eisque Aristoniceis, tum optime ex hoc intellegi potest, B 867 A: ἡ διπλῆ ὅτι Ἄσιος οὗτος ὁμώνυμός ἐστι τῷ Ἑκάβης ἀδελφῷ. ἐσημειοῦτο δὲ ὁ Ἀρίσταρχος τὰς ὁμωνυμίας πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους. Accedit fragmentum, quod servatum est in codicis Veneti A folio octavo et quod partem esse praefationis Aristonicei illius περὶ σημείων libri Cobetus[1]) coniecit in Mne-

1) Doleo quod in bibliotheca Gryphiswaldensi Friedlaenderi dissertatio, in qua fragmentum hoc Aristoniceum esse negat, non extat. Itaque quid ipse sentiam de hac quaestione reticeo. Utut autem haec res se habet, hoc quidem, si ea spectamus, quae ex hoc fragmento cum scholiis Veneti A Aristoniceis congruunt, certissimum mihi videtur, prorsus fictum a magistello quodam Byzantino fragmentum non esse. Quam ob rem si non ipsum Aristonicum hoc loco, certe doctrinae Aristoniceae specimen luculentissimum deprehendisse videmur.

Quodsi vero Friedlaender, quantum ex eis colligo, quae Carnuthus

mos. nov. p. 28—34: σημειοῦται δὲ (sc. Ἀρίσταρχος) πρὸς τὸν αὐτὸν τὰς ὁμωνυμίας ἁπάσας.

Deinde quaerendum est, utrum satis habuerit Aristarchus ὁμωνυμίας tantummodo in editione notare, an accuratius de eis egerit alio loco.

Aristarchi nomine inscripta fuisse praeter duplicem recensionem duo genera operum Homericorum, ὑπομνήματα et συγγράμματα, omnibus notum est. Etenim cum editiones nihil continerent nisi versus Homeri notis criticis distinctos cumque notarum usus, in primis διπλῆς, varius ac multiplex esset, fieri non potuit, quin aut Aristarchus ipse aut discipuli eius, quae notata erant in editionibus, ὑπομνήμασιν i. e. commentariis explicarent, quorum singuli singulis deinceps rhapsodiis respondebant.

Sed praeter haec ὑπομνήματα Aristarchus etiam συγγράμματα conscripsit, quibus unam rem accurate et copiose pertractaret, quae cum ab ipso Aristarcho composito esse constaret, iam a veteribus grammaticis pluris aestimabantur, quam commentarii (cf. schol. B 111, Lehrs Aristarch. p. 21).

Homonymias autem in utro scriptionum genere congesserit, ex duobus scholiis conici potest. Nam ad B 837 A adnotatum est: Ἄσιος· ἡ διπλῆ ὅτι Ἄσιος οὗτος ὁμώνυμός ἐστι τῷ Ἑκάβης ἀδελφῷ. ἐσημειοῦτο δὲ ὁ Ἀρίσταρχος τὰς ὁμωνυμίας πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους. Notavit igitur Aristarchus homonymias, ut quaestionem solveret, quae de Pylaemene mota erat. Atque quam singulis animadversionibus sibi paraverat materiam, ab eo coniunctam alicubi propositam esse ultro sequitur, si quidem constipatis demum exemplis quaestio soluta poterat videri. Totam vero illam de homonymis disputationem contra

in Bursiani annalibus ex illius dissertatione retulit, dubitat, num Aristarchus propter Zenodotum homonymias notaverit, si meam legerit dissertationem, ipsum non amplius dubitaturum esse spero.

Zenodotum institutam esse, qui difficultatem, quae in duplice Pylaemenis commemoratione sita est, ita solvebat, ut altero loco Κυλαιμένης coniceret, ex fragmento illo apparet: σημειοῦται δὲ πρὸς τὸν αὐτὸν (sc. Ζηνόδοτον) ἀπεριστίκτῳ διπλῇ τὰς ὁμωνυμίας ἁπάσας, ὅτι οὐ νοήσας τὸ τοιοῦτον ἔγραψεν ὁτὲ μὲν Πυλαιμένεα, ὁτὲ δὲ Κυλαιμένεα. Ita igitur Aristarchus rem instituit, ut quascumque ὁμωνυμίας in editione notaverat, in illa de Pylaemene dissertatione enumeraret. Cf. schol. A 320 A: Εὐρυβάτης· ὅτι καὶ ἕτερος Εὐβάτης, Ὀδυσσέως κῆρυξ. ἡ δὲ ἀναφορὰ πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους. B 517 A: ὅτι καὶ ἕτερος Σχεδίος ἐστὶ Φωκεύς, τῶν ἐπὶ μέρος ἡγεμόνων, καὶ ἀμφότεροι ὑφ' Ἕκτορος ἀναιροῦνται. ἡ δὲ ἀναφορὰ πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους. Δ 295 A: Χρομίοντε· ὅτι τρίτος οὗτος Χρομίος Ὑλιος, πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους. O 515 A: Σχεδίον· ἡ διπλῆ, ὅτι οὗτός ἐστι Σχεδίος ὁμώνυμος τῷ ἐν καταλόγῳ. καὶ ἀμφότεροι ὑφ' Ἕκτορος ἀνῄρηνται· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν Ἰφίτου πατρός, οὗτος δὲ Περιμήδους. ἡ δὲ ἀναφορὰ πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους.

Iam fragmenta illius de Pylaemene dissertationis num quae etiamnunc extent, in scholiis circumspiciendum est. Ad N 643, ubi poeta Pylaemenis mentionem facit, scholion intermarginale hoc legitur: πρὸς τὴν περὶ τοῦ Πυλαιμένους ζήτησιν. Hoc non ad ζήτημα quoddam Πορφυρίου referendum esse, sed ad aliam quaestionem, quae iam Aristonico innotuit, ipsius Aristarchi, ex eo scholio intellegi potest, quod ad alium locum, ubi Pylaemenes a poeta introducitur, appositum est B 851 A: Πυλαιμένεος· ὅτι οὗτός ἐστι Πυλαιμένης, περὶ οὗ πολλοὶ τῶν ἀρχαίων ἐζητήκασι, sc. Aristarchus et ei, contra quos ipse disputavit. Deinde de qua re ἐζητήκασι, apparet ex scholio N 658 A: ζητεῖται πῶς ἀνωτέρω (E 576) ἀνῃρημένος ὑπὸ Μενελάου ὁ Πυλαιμένης τὰ νῦν δύναται ἀκολουθεῖν τῷ παιδὶ καὶ κλαίειν. ἔστι δὲ λέγειν ὅτι δύο Πυλαιμένεις Παφλαγόνων ἡγεμόνας συνίστησιν ὁ ποιητής, ὡς Αἴαντας δύο καὶ Εὐρυβάτας δύο κήρυκας,

τὸν μὲν Ἀγαμέμνονος, τὸν δὲ Ὀδυσσέως. Porro hic adscribendum est schol N 643 BLV: Ἔνιοι τοῦτον ἐνόμιζον εἶναι τὸν ἐν τῇ E (576) ἀναιρεθέντα·

ἔνθα Πυλαμένεα ἐλέτην ἀτάλαντον Ἄρηι,
ἄρχον Παφλαγόνων.

ἔστιν οὖν ὁμωνυμία ἐκείνου μὲν ἄρχοντος ὄντος, τούτου δὲ βασιλέως. πολλαὶ γὰρ παρὰ τῷ ποιητῇ ὁμωνυμίαι· Σχεδίοι γὰρ δύο, Φωκέων ἡγούμενοι, ὁ μὲν Περιμήδους, ὁ δὲ Ἰφίτου, οὓς ἀμφοτέρους Ἕκτωρ ἀναιρεῖ. Εὐρυμέδοντες δύο ἡνίοχοι, ὁ μὲν Ἀγαμέμνονος, ὁ δὲ Νέστορος. Κήρυκες Εὐρυβάται δύο, ὁ μὲν Ὀδυσσέως, ὁ δὲ Ἀγαμέμνονος. Ἄδραστοι τρεῖς βάρβαροι, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους ἀναιρούμενος, ὁ δὲ ὑπὸ Μενελάου, ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου. Ἀκάμαντες δύο, ὁ μὲν Εὐσώρου, ὁ δὲ Ἀντήνορος· Ἀστύνοοι δύο, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους ἀναιρούμενος, ὁ δὲ Πολυδάμαντος ἡνίοχος. Θόωνες βάρβαροι τρεῖς, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους, ὁ δὲ ὑπὸ Ὀδυσσέως, ὁ δὲ ὑπὸ Ἀντιλόχου ἀναιρούμενοι. Μελάνιπποι τρεῖς, ὁ μὲν ὑπὸ Ἕκτορος παρακινούμενος ἐμπεσεῖν ταῖς ναυσίν, ὁ δὲ ὑπὸ Τεύκρου, ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου ἀναιρούμενος. Ὀρελέσται δύο, ὁ μὲν Εὐρυπύλου, ὁ δὲ ὑπ' Αἴαντος. Πυλάρται δύο, ὁ μὲν ὑπ' Αἴαντος, ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου. Πείσανδροι δύο, ὁ μὲν ὑπ' Ἀγαμέμνονος, ὁ δὲ ὑπὸ Μενελάου. En habes duo scholio haud exigua, in quibus eam commentandi rationem invenis, quam ab Aristarcho in illa de Pylaemene explicatione adhibitam esse supra ostendi: etenim de Pylaemene ipso ita disputatur, ut homonymiae, quae notata erant in editione, hoc ipso loco respiciantur. Quae cum ita sint, equidem non dubito, quin haec duo scholia ex ipsa Aristarchi commentatione excerpta sint [1]).

---

1) Si vero quaeritur, per quemnam grammaticum magnum illud scholion N 643 nobis servatum sit, equidem per Aristonicum opinor. Primum enim tenendum est, totam explicationem spectare ad notam criticam versui appositam cf. schol. N 643 A. Deinde ex cognominibus viris praeter Schedios et Eurymedontas et Eurybatas, de

Iam qualis fuerit Aristarchi illa de Pylaemene vel de homonymiis explicatio, inquiramus. Seriem enim verborum accuratius si inspicis in priore fragmento: Αἴαντες, Εὐρυβάται, in altero: Σχεδίοι, Εὐρυμέδοντες, Εὐρυβάται, Ἄδραστοι, Ἀκάμαντες, Ἀστύνοοι, Θόωντες, Μελάνιπποι, Ὀφελέσται, Πυλάρται, Πείσανδροι nonne vides homonymos esse praeter tres in litteras digestos? Et illi tres Σχεδίοι, Ευρυμέδοντες, Εὐρυβάται qua ratione compositi sint discimus e schol. B 517 BL: Δύο Σχεδίοι παρ' Ὁμήρῳ „Σχεδίον Περιμήδεος υἱόν" καὶ „Σχεδίον μεγαθύμου Ἰφίτου υἱόν". καὶ δύο Εὐρυβάται κήρυκες, ὁ μὲν Ἀγαμέμνονος, ὁ δὲ Ὀδυσσέως. πάλιν τε δύο Εὐρυμέδοντες, ὅ τε Ἀγαμέμνονος καὶ ὁ Νέστορος ἡνίοχος. Habemus enim Schedium, de qua agitur, et exempla duo rursus litterarum ordine se excipientia. Apparet igitur haec tria nomina hinc illuc translata esse et excerptorem deinde ab initio exscribere incipientem cum eo pervenisset, ubi Σχεδίος nomen positum erat, h. e. usque ad litteram Σ substitisse. Reliqui autem homonymi ut in litteras digesti sint, sane non casu quodam factum est, sed natura atque indole eius libri, ex quo excerpti sunt. Talis vero litterarum ordo non ὑπομνήματα, sed σύγγραμμα quoddam peculiare rodolet *).

---

quorum ratione infra accuratius dicam, ceteri nullo alio scholiorum loco citantur. Quod cum casu factum esse nequeat, ita explicandum mihi videtur, ut sumamus, eum grammaticum, cuius erat omnes explicare *ὁμωνυμίας*, sc. Aristonicum, cum has semel uno eoque conspicuo loco adnotavisset, alio easdem repetere noluisse.

Quae cum ita sint, hinc quoque concludi potest, quod infra ostendere conabor, *σύγγραμμα* fuisse Aristarchi librum illum, ex quo Aristonicus hanc doctrinam hausit. Nam si commentarios, singulos deinceps versus explicantes, secutus esset, ipse singulis tantum, quo quaeque obvia erat, locis *ὁμωνυμίας* notasset.

1) Et ut videas quo modo grammatici in talibus excerptis pristinum ordinem servare soliti sint, Eustathium afferam, qui ipse illud scholion N 643 rursus excerpsit hunc in modum: *ἄλλοι δὲ ὁμωνυμίαν κάνταῦθα*

Quae si probabiliter disputavimus, συγγράμματος Aristarchei rationem dispositionem ordinem adumbrare licet. Plures extant apud Homerum versus, qui inter se pugnare videntur, quia homines vivi introducuntur, quorum mortem iam antea poeta descripsit, vel praesentes, qui adesse non possunt vel in quos alia similia cadunt. Quos cum grammatici quotquot ante Aristarchum interpretando Homero operam dederant, temere aut immutassent aut prorsus delevissent, Aristarchus, cui res satis magni momenti videbatur, accuratius in eam inquirendi consilium capit. Cum vero gravissimus et notissimus (περὶ οὗ πολλοὶ τῶν ἀρχαίων ἐζητήκασιν B 851 A) ille locus rhapsodiae N esset, ubi poeta Pylaemenem, a Menelao in rhapsodia E occisum, filii mortem deplorantem facit, inde Aristarchus exorsus libellum suum περὶ Πυλαιμένους inscripsit.

Incipit igitur ἡ ζήτησις περὶ Πυλαιμένους (N 643 A) et ζητεῖται quidem, πῶς ἀνωτέρω ἀνῃρημένος ὁ Πυλαιμένης τὰ νῦν δύναται ἀκολουθεῖν τῷ πατρὶ καὶ κλαίειν (N 659 AD). Itaque primum examinantur rationes superiorum grammaticorum. Ac Zenodotus quidem ipsum Pylaemenis nomen altero loco per coniecturam sustulit. Alii pro

μετὰ δὲ σφι πατὴρ κίε δάκρυα λείβων

coniecerunt μετὰ δ' οὗ σφι πατὴρ etc. (N 658 AD). Refutantur haec coniecturae. Alii interpretando rem expedire sibi visi sunt (E 576 A). Ne horum quidem ratiocinatio probatur. Deinde Aristarchus ad Aristophanem transit, qui versus N 658 sq. delendos esse putavit (N 658 V). Ipse Aristarchus cautior aut expugnendos esse censet aut ὁμωνυμίαν statuendam (N 658 V). Tum accuratius in cognomines viros inquirit,

---

αἰτιῶνται, ὡς ἑτέρου τούτου Πυλαιμένους ὄντος παρ' ἐκεῖνον τὸν ἀναιρεθέντα, παρασημειούμενοι καὶ ἄλλας πολλὰς ὁμωνυμίας παρὰ τῷ ποιητῇ, οἷον Σχεδίους δύο, Εὐρυμέδοντας δύο, Ἀδράστους τρεῖς, Ὀφελέστας δύο καὶ ἕτερα τοιαῦτα.

omnes colligit, e litterarum ordine enumerat. Postremo sic concludit: ἔστι δὲ λέγειν, ὅτι δύο Πυλαιμένεις Παφλογόνων ἡγημόνας συνίστησιν ὁ ποιητὴς ὁμωνύμους (N 658 AD).

Eandem interpretandi rationem etiam ad ceteros locos similes adhibet velut ad versum Γ 144, de quo sic iudicat: εἰ Θησέως λέγει μητέρα ἀθετητέον, εἰ δὲ ὁμωνυμία ἐστί, δύναται μένειν.

Hoc modo Arastarchus novam interpretandi rationem docuit et qui mos eius erat, Homerum ex ipso Homero explicuit. Summa igitur illius συγγράμματος erat dissertatio de homonymis, qui inveniuntur apud Homerum.

Ex toto vero συγγράμματι cognosce „criticum vel in errore laudabilem".

III.

Postremo conatus sum totum restituere σύγγραμμα, exemplo scholii N 643 BLV nixus et quantum potui verbis scholiastae usus. Etsi autem multa desunt hodie in scholiis, quae olim apud Aristarchum legebantur, tamen ea tantum recepi, quae in scholiis praesto sunt. Nonnunquam plura scholia in unum contraxi atque ita ex mutilis Byzantinorum fragmentis sententiam restitui uberiorem atque pleniorem. Ubique autem unde hauserim rationem reddidi: quae enim ex scholiis deprompsi, loco adscripto adnotavi, quae ex meo addidi, his uncis ≺ ≻ inclusi.

Ἀριστάρχου περὶ Πυλαιμένους σύγγραμμα.

≺ Πολλαὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἀπορίαι, οἷον ἐν τῇ Ε τὸ

Ἔνθα Πυλαιμένεα ἐλέτην ἀτάλαντον Ἄρηϊ,
ἄρχον Παφλαγόνων μεγαθύμων, ἀσπιστάων.

μάχεται τῷ ἐν τῇ παρὰ ναυσὶ μάχῃ ζῶντι Πυλαιμένει καὶ ἑπομένῳ τῷ παιδὶ Ἁρπαλίωνι.

μετὰ δέ σφι πατὴρ κίε δάκρυα λείβων.

Περὶ δὲ τῆς λύσεως πολλοὶ ἐζητήκασιν. >

Ζητεῖται πῶς ἀνωτέρω ἀνῃρημένος ὑπὸ Μενελάου ὁ Πολαιμένης ἐν τῇ N δύναται ἀκολουθεῖν τῷ παιδὶ καὶ κλαίειν [1]). Ὁ μὲν οὖν Ζηνόδοτος οὐ νοήσας ἐν μὲν τῇ E Πυλαιμένεα, ἐν δὲ τῇ N Κυλαιμένεα ἔγραψεν [2]). Ὁ δὲ Ἀριστοφάνης ἀθετεῖ ἐν τῇ N <οἰόμενος>, ὅτι πλανηθείς τις ἐκ τοῦ

ὅ ῥα πατρὶ φίλῳ ἕπετο

ἔταξεν τοὺς στίχους

ἄχνυμενοι· μετὰ δὲ σφι πατὴρ κίε δάκρυα λείβων.

ποίνη δ' οὔτις παιδὸς ἐγίγνετο τεθνηῶτος.

ἵνα καὶ ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ὀδύρηται· οὐ λέγει δὲ νῦν ἕπετο, ἀλλ' ὅτε τὸ πρῶτον ἐκ τῆς πατρίδος παρεγίνετο. διὸ καὶ πρόσκειται τὸ

ἐς Τροίην· οὐδ' αὖτις ἀφίκετο <πατρίδα γαῖαν> [3]).

Ἐγὼ δὲ ἃ ἀθετεῖν φημι ἢ ὁμωνυμίαν νομίζειν [4]). <Οὐ γὰρ οἶμαι τὸν ἐν τῇ N Πυλαιμένη εἶναι τὸν ἐν τῇ E ἀναιρεθέντα. > εἰ γὰρ τούτου τοῦ Πυλαιμένους ἦν υἱὸς ὁ Ἀρπαλίων, ἀλογώτατον ἦν μὴ φαίνεσθαι αὐτὸν ὑπερμαχοῦντα τοῦ πατρός [5]). ὁμωνυμίαι δὲ παρὰ τῷ ποιητῇ πολλαί [6]).

---

1) Cf. schol. N 659 AD.

2) Cf. frg. in Venet. A fol. 8.

3) Haec in schol. N 658 A, nisi quod ego Aristophanis nomen adscripsi ex schol. codicis V. Cf. n[4].

4) Schol. N 658 V: *ὁ μὲν Ἀριστοφάνης ἀθετεῖ, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος ἢ ἀθετεῖν φησι ἢ ὁμωνυμίαν νομίζειν.*

5) Cf. schol. N 643 V.

6) Haec ex schol. N 643 BLV.

Alias praeter has *λύσεις* invenis in scholiis Porphyrianis N 658 AD et E 576 B, sed eas, quae fortasse post Aristarchi aetatem propositae sint. Nomen quidem nusquam adscriptum est. Itaque cum de auctoritate dubitari possit, in ipsum *σύγγραμμα* eas recipere non audeo. Sunt autem haec: In schol. N 659 AD *ἔνιοι δὲ πιθανῶς μεταγράφουσι*

μετὰ δ' οὔ σφι πατὴρ κίε δακρύα λείβων.

in schol. E 576 B *καὶ τὸ "μετὰ δέ σφι κτλ." μετωνυμικῶς ἐκδέχεται ἢ*

Ἄδραστοι τρεῖς βάρβαροι, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους ἀναιρούμενος (Λ 333), ὁ δὲ ὑπὸ Μενελάου (Ζ 63), ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου (Π 694) [1]).

Ἀγέλαοι δύο, ὁ μὲν ὑφ' Ἕκτορος ἀναίρουμενος (Λ 302), ὁ δὲ Φραδμονίδης βάρβαρος ὑπὸ Διομήδους (Θ 257) [2]).

Αἴαντες δύο, ὁ μὲν Τελαμῶνος, κατὰ σύγκρισιν τοῦ ἑτέρου μέγας κεκλημένος, ὁ δὲ Οἰλῆος, ὁ μικρότερος ἐκείνου.

μείων οὔτι τόσος γε ὅσος Τελαμώνιος (Β 528) [3]).

Ἀκάμαντες δύο, ὁ μὲν Εὐσώρου (Β 844), ὁ δὲ Ἀντήνορος (Β 823)[4]).

τοῦ πατρὸς ψυχή (cod. *μνήμη*). *καὶ τὸ "ἔνθα Πυλαιμένεα ἐλέτην" οὐ πάντως ἐστὶν ἀνεῖλον, ἀλλὰ κατέλαβον, ὡς ἐπὶ τοῦ*

ζωὸν ἕλον· ἵππω γάρ οἱ ἀτυζομένω πεδίοιο. (Ζ 38)

οὐδὲ γὰρ ἀγῶνα αὐτοῦ εἴρηκεν, οἷα εἴωθε λέγειν τοῖς ἀποθανοῦσιν. τάχα οὖν αὐτὸ μόνον τέτρωται.

Illud autem *μνήμη*, quod per se intellegi nequit, correxi in *ψυχή* hanc respiciens Eustathii explicationem ad eundem versum p. 952, 69: *τινὲς ... εἶπον ἐνταῦθα χρῆναι νοεῖν τὴν ψυχὴν τοῦ πατρὸς Πυλαιμένους τῷ υἱῷ ἕπεσθαι, οἷα μήπω ταφέντος καὶ διὰ τοῦτο ὑπὲρ γῆν ἔτι ὄντος κτλ.*

1) Sic in schol. N 643 BLV. Erravit qui haec scripsit: Adrastus enim alter captus quidem est a Menelao, interfectus ab Agamemnone. Cf. Z 37 et 63.

2) Cf. ad v. *Λ* 303:

Καὶ Δόλοπα Κλυτίδην καὶ Ὑφέλτιον ἠδ' Ἀγέλαον

scholion hoc: *πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν, ὅτι καὶ Τρώων ἐστὶ Δόλοψ.*

τόφρα δὲ τῷ ἐπόρουσε Δύλοψ αἰχμῆς εὖ εἰδώς,
Λαμπετίδης (Ο 525)

Λάμπου υἱὸς τοῦ Πριάμου ἀδελφοῦ. καὶ τῶν μνηστήρων εἷς Ἀγέλαος. Quod in hoc scholio Odysseae Agelaus cum Iliaco componitur, non Aristarcho, sed Aristonico tribuendum est. Cf. n. ad voc. *Ἀμφίονες*. Itaque ego omisso proco barbarum Agelaum restitui.

3) Cf. schol. *Π* 358: *ὅτι συγκριτικῶς λέγεται πρὸς τὸν ἕτερον Αἴαντα ὁ μέγας ὁ Τελαμώνιος, ἐπεὶ ἐκεῖνος μείων* A et schol. P 115: *ὅτι πάλιν μέγαν εἶπε τὸν Τελαμῶνος Αἴαντα κατὰ σύγκρισιν τοῦ Οἰλιάδου· ἐκεῖνος γὰρ μικρότερος. "μείων κτλ."*

4) Sic in schol. N 643 BLV.

Ἄμφιοι δύο Περκώσιοι, ὁ μὲν Μέροπος (B 830), ὁ δὲ Σελάγου (E 612) [1]).

Ἀμφίονες δύο, ὁ μὲν Διὸς, Ζήθου ἀδελφός (λ 262), ὁ δὲ Ἰασίδης (λ 283) [2]).

Ἀρηΐθοοι τρεῖς, ὁ μὲν Ἀρκάς, ὁ ὑπὸ Νέστορος λεγόμενος ἐν τῇ H (137).

τεύχε' ἔχων ὤμοισιν Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος,

ὁ δὲ Βοιωτὸς ἐκείνου υἱός (H 8), ὁ δὲ Ῥίγμου θεράπων [3]).

---

1) Cf. schol. B 830: *ὅτι καὶ ἕτερος Ἄμφιος Περκώσιος Ἐλάτου* (leg. *Σελάγου*) A.

2) Cf. schol. Odyss. *β* 283: *οὐ τοῦ Ζήθου ἀδελφοῦ· ἕτερος γὰρ οὗτος.* B. *Ἕτερος οὗτος ὁ Ἀμφίων Ἀργεῖος ὁ Διός.* V. Tertius, qui in Iliad. N 692 commemoratur omissus est: neque enim Aristarchus Odysseae homonymos composuit cum Iliacis neque hos cum illis. Cf. eandem rationem in eis, quae ad vocc. *Εὐρυμέδοντες*, *Θόωντες*, *Κλυτίοι* adnotavi. Quae cum ita sint, non Aristarcho, sed inferiori grammatico debentur haec scholia *Π* 197 V: *Λαέρκεος· ὁμώνυμος αὐτῷ ὁ Πύλιος χρυσοχόος* (*γ* 425) et *κ* 2 V: *Αἴολοι δύο, ὁ μὲν Ἱππότου τοῦ Μίμαντος* (*κ* 2), *ὁ δὲ Ἕλληνος, ὃς ἦν Διός* (*Ζ* 154), *οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται.*

3) In schol. H 138 A duo tantum Areithoi componuntur, quamquam sunt apud Homerum tres: *ὅτι οὗτος ὁ Ἀρηΐθοος Ἀρκὰς ὢν ὁμώνυμός ἐστι τῷ Βοιωτῷ.* Cave ne hoc Aristarchi indiligentia factum esse tibi fingas. Immo error, si quidem error dici potest, ad Aristonicum referendus est, qui hoc loco non plenum reddere indicem, sed hunc Areithoum ab illo Boeoto distinguere voluit. Aliud Aristoniceae exemplum idque aptissimum habes in eo, quod ad v. *Ὀρέσται* adnotavi: in N primus Orestes componitur cum altero, in E idem cum tertio.

Scholio H 138 respondet hoc H 9 A: *ἡ δ., ὅτι οὗτος τοῦ Ἀρηϊθόου ὁμώνυμός ἐστι τοῦ ὑπὸ Νέστορος λεγομένου "τεύχε' ἔχων κτλ."* In hoc scholio mendum inesse nemo negabit; nam *ὁμώνυμος* a scholiasta cum genetivo nusquam construitur. Error ita explicari posse mihi videtur. Aristonicus Areithoum versus 8 cum Areithoo versus 138 confundi vetuit: illum enim esse Boeotum, hunc Arcadem. Accedit temporis ratio, siquidem *κορυνήτης* ille, quem occidit Lycurgus, pater Menesthii esse omnino non potest. Qua re Aristonicus illud *ὃν κορυνήτης γείνατο* non ad *Μενέσθιον*, sed ad *Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος* spectare docuit, ut Areithous claviger sit avus, Areithous, rex Arnae, Boeotiae urbis, pater, Menesthius filius. Aristonicus igitur scripsit: *ὅτι οὗτος τοῦ Ἀρηϊθόου υἱὸς ὁμώνυμός ἐστιν κτλ.* et excerptor Byzantinus facili errore illud *υἱὸς* omisit.

Ἄσιοι δύο, ὁ μὲν Ὑρτάκου υἱός (Β 837), ὁ δὲ Ἑκάβης ἀδελφός (Π 717) [1]).

Ἀστύνοοι δύο, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους ἀναιρούμενος (Ε 144), ὁ δὲ Πολυδάμαντος ἡνίοχος (Ο 455) [2]).

Δόλοπες δύο, ὁ μὲν Κλυτίδης, ὑφ' Ἕκτορος ἀναιρούμενος (Λ 302), ὁ δὲ Λάμπου υἱὸς τοῦ Πριάμου ἀδελφοῦ (Ο 525) [3]).

Δρύαντες δύο, ὁ μὲν Λυκούργου πατήρ (Ζ 130), ὁ δὲ Λαπίθης (Α 263) [4]).

Ἔννομοι δύο, ὁ μὲν ἐν τῷ διακόσμῳ
Μυσῶν δὲ χρόμις ἦρχε καὶ Ἔννομος (Β 858),
ὁ δὲ ὑπ' Ὀδυσσέως ἀνῃρημένος (Λ 422) [5]).

Ἐπίστροφοι τρεῖς, ὁ μὲν Ἰφίτου, Φωκέων ἄρχων (Β 517), ⟨ὁ δὲ Εὐήνου ὑπ' Ἀχιλλέως ἀνῃρημένος (Β 692),⟩ ὁ δὲ Ἁλιζώνων ἄρχων (Β 856) [6]).

Εὐρυμέδοντες δύο ἡνίοχοι, ὁ μὲν Ἀγαμέμνονος (Δ 228), ὁ δὲ Νέστορος (Θ 114) [7]).

Εὐρυβάται δύο κήρυκες, ὁ μὲν Ὀδυσσέως (Β 184), ὁ δὲ Ἀγαμέμνονος (Α 320) [8]).

---

1) Cf. schol. B 837: *ὅτι Ἄσιος οὗτος ὁμωνυμός ἐστι τῷ Ἑκάβης ἀδελφῷ.*

2) Sic in schol. N 643 BLV.

3) Cf. n. ad voc. *Ἀγέλαοι.*

4) Cf. ad v. Z 130:

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς, κρατερὸς Λυκόργος.

scholion hoc: . . . *ὁμώνυμος δὲ οὗτος Λυκοῦργος ἐκείνῳ "τὸν Λυκοῦργος ἔπεφνεν* (H 142)." *καὶ ὁ Δρύας δὲ τῷ Λαπίθῃ.* A.

5) Cf. schol. *Λ* 422 A: *ὅτι οὗτος ὁ Ἔννομος ὁμωνυμός ἐστι τῷ ἐν τῷ διακόσμῳ "Μυσῶν κτλ."* et P 218 A: *καὶ ἕτερον παραδίδωσιν Ἔννομον, ὑπὸ Ὀδυσσέως ἀνῃρημένον.*

6) In scholio B 856 A duo tantum nominantur Epistrophi: *Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος· ἡ δ., ὅτι ἑτερός ἐστιν Ὀδίος ὁμώνυμος· καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν Ἐπίστροφος.*

7) Sic in schol. N 643 BLV, quorum confer illa *Δ* 228 A et *Θ* 114 A. Etiam hic Odysseae Eurymedo, Gigantum rex (*η* 58), omittitur. Cf. n. ad voc. *Ἀμφίονες.*

8) Sic in schol. N 643 BLV, quorum confer illa A 320 AB et B 184 AD.

Θόωνες βάρβαροι τρεῖς, ὁ μὲν ὑπὸ Διομήδους (Ε 152), ὁ δὲ ὑφ' Ὀδυσσέως (Λ 422), ὁ δὲ ὑπ' Ἀντιλόχου (Ν 545), ἀναιρούμενοι [1]).

Ἱπποθόοι δύο, ὁ μὲν Πελασγός
Ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα Πελασγῶν (Β 840),
ὁ δὲ Τριάμου υἱός (Ω 251) [2]).

Κλυτίοι δύο, ὁ μὲν ἀδελφὸς Πριάμου (Ψ 238), ὁ δὲ ἐν τῷ „καὶ Δόλοπα Κλυτίδην" (Λ 302) [3]).

Λυκοῦργοι δύο, ὁ μὲν Δρύαντος (Ζ 310), ὁ δὲ ἐν τῷ „τὸν Λυκόοργος ἔπεφνεν" (Η 142) [4]).

Μελανίπποι τρεῖς, ὁ μὲν ὑφ' Ἕκτορος παραινούμενος ἐμπεσεῖν ταῖς ναυσίν (Θ 553), ὁ δὲ ὑπὸ Τεύκρου (Θ 276), ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου ἀναιρούμενος (Π 695) [5]).

Ὀδίοι δύο, ὁ μὲν Ἀλιζώνων ἡγεμών (Β 856), ὁ δὲ κῆρυξ τῶν Ἑλλήνων (Ι 170) [6]).

Ὀρέσται δύο, ὁ μὲν ὑφ' Ἕκτορος ἀνῃρημένος (Ε 705), ὁ δὲ βάρβαρος (Μ 138) [7]).

Ὀφελέσται δύο, ὁ μὲν ὑπ' Ἀχιλλέως (Θ 210), ὁ δὲ ὑπὸ Τεύκρου τοῦ Αἴαντος (Θ 274) ≺ ἀναιρούμενοι ≻ [8]).

---

1) Sic in schol. N 643 BLV. Mentio quarti Thoonis, Phaeacum unius, ab Aristarchi ratione abhorret. Cf. n. ad voc. *Ἀμφίονες*.

2) Cf. schol. Ω 251 A: *ὅτι ὁμώνυμος ὁ Ἱππόθοος τῷ Πελασγῷ* "*Ἱππόθοος κτλ.*"

3) Cf. schol. O 419 A: *ὅτι οὗτος ὁ Κλυτίος ἐστὶν ἀδελφὸς Πριάμου . . . ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Κλυτίος ὁμώνυμος·* "*καὶ Δόλοπα Κλυτίδην.*"

4) Cf. n. ad voc. *Δρύαντες*.

5) Sic in schol. N 643 BLV.

6) Cf. n. ad voc. *Ἐπίστροφοι*.

7) Aristonicus Orestem barbarum cum notissimo Orestis filio componit in schol. M 138 A: *ὅτι τῷ Ἀγαμέμνονος υἱῷ ὁμώνυμος εἷς τῶν βαρβάρων*. Tertius Orestes memoratur in schol. E 705: *ἡ δ. πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν, ὅτι ὁμώνυμος οὗτος τῷ Ἀγαμέμνονος υἱῷ Τεύθραντι* (leg. *Ὀρέστῃ*). — Etiam hic Agamemnonis filii mentio omittenda est e causis, quas exposui ad v. *Ἀγέλαοι*.

8) Parum recte in schol. N 643 BLV: *Ὀφελέσται δυο, ὁ μὲν ὑπ' Εὐρυπύλου, ὁ δὲ ὑπ' Αἴαντος.*

Πυλάρται δύο, ὁ μὲν ὑπ' Αἴαντος (Λ 491), ὁ δὲ ὑπὸ Πατρόκλου (Π 696), <ἀναιρούμενοι> [1]).

Πείσανδροι, δύο <μὲν ἀναιρούμενοι>, ὁ μὲν ὑπ' Ἀγαμέμνονος (Λ 122), ὁ δὲ ὑπὸ Μενελάου (Ν 611), <ὁ δὲ τρίτος Μυρμιδόνων ἡγεμών (Π 193)> [2]).

Σχεδίοι δύο, Φωκέων ἡγούμενοι, ὁ μὲν Περιμήδους (Ο 515), ὁ δὲ Ἰφίτου (Ρ 306), οὓς ἀμφοτέρους Ἕκτωρ ἀναιρεῖ [3]).

Ψηνορες δύο, ὁ μὲν Δολοπίονος (Ε 76), ὁ δὲ Ἱππασίδης (Ν 411) [4]).

Χρομίοι πέντε, ὁ μὲν πρῶτος Νηλέως υἱός (Δ 295), ὁ δὲ δεύτερος Πριάμου (Ε 160), ὁ δὲ τρίτος Λύκιος, ἀναιρούμενος ὑπ' Ὀδυσσέως (Ε 677), ὁ δὲ τέταρτος ἀναιρούμενος ὑπὸ Τεύκρου (Θ 275), ὁ δὲ πέμπτος Μυσῶν ἡγεμών (Ρ 494) [5]).

<Τοσαῦται παρὰ τῷ ποιητῇ ὁμωνυμίαι.> Ἔστιν οὖν λέγειν, ὅτι δύο Πυλαιμένεις, Παφλαγόνων ἡγεμόνας, συνίστησιν ὁ ποιητὴς <ὁμωνύμους> [6]), τὸν μὲν ἄρχοντα, τὸν δὲ βασιλέα [7]).

His homonymiis Aristarchus eas mihi videtur adiunxisse, quae et apud Homerum et in aliis fabulis occurrant. Nam etiam hi cognomines, cum eadem fere aetate, κατὰ τὰ Ἰλιακά, fuissent, a grammaticis ita confundebantur, ut etiam in his explicandis Aristarchus eandem rationem Homerum ex ipsius carminibus interpretandi adhiberet. Atque ego quidem quaecunque huc spectare mihi videntur, e scholiis hoc loco conscripsi. Ad versus Γ 144 sq.

---

1) Sic in schol. N 643 BLV.

2) Sic restitui schol. N 643 BLV, quod sub finem mutilatum videtur.

3) Sic in schol. N 643 BLV, quorum confer illa B 517 ABL, O 515 A, P 306 V.

4) Cf. schol. E 76 V.

5) Cf. ad v. *Δ* 295: *ἀμφὶ μέγαν Πελάγοντα, Ἀλάστορά τε Χρομίοντε* scholion hoc: *ὅτι τρίτος οὗτος Χρομίος Πύλιος. πρὸς τὰ περὶ Πυλαιμένους.* A.

6) Cf. schol. 658 AD.

7) Cf. schol. 643 BLV.

Οὐκ οἴη, ἅμα τῇγε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο,
Αἴθρη, Πιτθῆος θυγάτηρ, Κλυμένη τε βοώπις.

haec adnotantur εἰ μὲν τὴν Θησέως λέγει μητέρα, ἀθετητέον· ἀπίθανον γάρ ἐστιν Ἑλλένης ἀμφίπολιν εἶναι τὴν οὕτως ὑπεραρχαίαν, ἣν οὐκ ἐκποιετ ζῆν διὰ τὸ μῆκος τοῦ χρόνου. εἰ δὲ ὁμωνυμία ἐστίν, καθάπερ καὶ ἐπὶ πλειόνων, δύναται μένειν. καὶ γὰρ ἄλλοι εἰσὶν ὁμώνυμοιτινεί κατὰ τὰ Ἰλιακά, Ἄδραστος, Τεύθρας, Οἰνόμαος.

Schol. E 148 A: πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν· καὶ γὰρ Ἀργείων ἐβασίλευε Πολύϊδος, ὁ τὸν παῖδα ἀνευρὼν μάντις. ἡ δὲ ἀναφορὰ πρὸς τὸ „Αἴθρη Πιτθῆος θυγάτηρ."

Quam hic absolvi quaestionem de Homericis homonymiis, eadem instituenda est de eis, quae apud poetas antiquae comoediae et apud oratores Atticos inveniuntur, quarum indices etiamnunc extant haud pauci in scholiis Aristophaneis et in lexico Harpocrationis. De his autem alio, si dis placet, loco disseram. — Nullo vero modo cum hac grammaticorum ratione confundenda sunt, quae Demetrius Magnes in lexicis περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων et περὶ συνωνύμων πόλεων inscriptis composuit. Etenim hic in priore lexico rationem homonymorum componendorum, quae in grammaticorum commentariis illa aetate iam inveteraverat, ita in litterarum studia transtulit, ut cognomines scriptores ex pinacographorum tabulis colligeret, distingueret, sua cuique scripta restitueret, vitas adiceret; in altero geographicas ὁμωνυμίας undique conquisitas explicuit. — Priora vero cum grammaticis studiis et scriptorum interpretatione iuncta, ex Aristarchea illa dissertatione, quae ad unius versus Homerici explicationem conscripta erat, pendere paene omnia, cum discipuli optimi illius magistri exemptum cum pietate quadam imitati sint, iam ex eis quae adhuc exposui omnes suspicaturos esse spero.

Vita.

Carolus Adolfus Schimberg natus sum Alt-Döbern in vico Brandenburgensi non. Sept. a. h. s. LIII patre Carolo, matre Friderica e gente Bulian, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in vico patrio imbutus anno LXV receptus sum in gymnasium Cottbusiense, quod tum a Purrmanno v. ill. optime regebatur, nunc Noetelio rectore v. ill. floret. Inde vere anni LXXIII maturitatis testimonio instructus Gryphiswaldiam me contuli studiis philologicis operam daturus. Bis studia interrupi et stipendia militaria meritus in hac ipsa urbe et praeceptoris domestici munere functus per semestria duo. Disserentes in hacce universitate audivi Erdmannsdoerfferum, Hillerum, Kiesslingium, Preunerum, Reifferscheidium, Schoellium, Schuppium, Susemihlium, Vogtium, de Wilamowitzium, Wilmannsium v. v. ill. Seminariorum sodalis fui ordinarius philologici moderantibus Kiesslingio et Wilamowitzio tria semestria, germanici moderante Reifferscheidio sex menses. Praeterea exercitationibus interesse mihi licuit archaelogicis et historicis a Preunero, epigraphicis privatissime a Wilamowitzio, philosophicis a Schuppio, aristotelicis a Susemihlio institutis. Quibus omnibus quos nominavi viris doctissimis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Sententiae controversae.

I. Aeschyl. Eumenid. 615 sq. sic interpungendum:

ΑΠ. λέξω πρὸς ὑμᾶς, τόνδ' Ἀθηναίας μέγαν
θεσμὸν δικαίως, μάντις δ' ὧν οὐ ψεύσομαι.

et 681 sq. sic legendum:

ΑΘ. Κλύοιτ' ἂν ἤθη θεσμόν, Ἀττικὸς λεώς,
πρώτας δίκας κρίνοντας (codd. — τες) αἵματος χυτοῦ.

II. Plat. Crit. I p. 106 scribendum: Τῷ δὲ . . . θεῷ . . προσεύχομαι, τῶν ῥηθέντων ὅσα μὲν ἐρρήθη μετρίως, σωτηρίαν ἡμῖν αὐτὸν αὐτῶν διδόναι, παρὰ μέλος δὲ εἴ τι [περὶ] αὐτῶν ἄκοντις εἴπομεν, δίκην τὴν πρέπουσαν ἐπιτιθέναι.

III. Aesch. Ctesiph. 69 legendum: ἐπειδὴ τοίνυν παρελήλυθει τὰ Διονύσια, ἐγίγνοντο [δὲ] αἱ ἐκκλησίαι· ἐν δὲ τῇ προτέρᾳ [τῶν ἐκκλησιῶν] ἀνεγνώσθη δόγμα κοινὸν τῶν συμμάχων κτλ.

IV. Dionys. Halic. Antiq. VI, 1 sic scribendum: Δόγμα δὲ βουλῆς ἐκύρωσαν ἐπιεικὲς τοῖς τε Ῥωμαίοις καὶ Λατίνοις· Λατίνοις ἄνδρασιν εἴ τινες κτλ.

V. Appian. Hannib. VI sic emendandum: Σεμπρώνιος δ' ὁ ἕτερος ὕπατος . . . διέπλευσε πρὸς τὸν Σκιπίωνα καὶ τεσσαράκοντα σταδίους Ἀννίβου (libri αὐτοῦ) διασχὼν ἐστρατοπέδευσεν collatis locis Polyb. III 68,7, Liv. XXI 77,8 et 51,7.

VI. Stephani Byz. fons haud exiguus Favorini παντοδατὴ ἱστορία habenda est. Atque Favorinus Demetrii Magnetis opus περὶ συνωνύμων πόλεων inscriptum cum excerperet, illius doctrinam geographicam ipse auxit ex eorum auctorum libris, qui inter Demetrii et ipsius aetatem scripserunt, velut Pamphilae, Characis.

VII. Incerti scriptoris verba apud Suidam s. v. Θωράκιον sic emendanda sunt: Ὅτι Ἀννίβας, ὁ Καρχηδονίων στρατηγός, ἀφαιρῶν (libri φέρων) τῶν ἐλεφάντων τὰ θωράκια καὶ [τοῖς τῶν θηρίων οἰκιδίοις] ἐπὶ πλεῖστον ὕψος τοὺς κλάδους ἀποκόπτων, ἀσφαλῆ καὶ ῥᾳδίαν τὴν ὁδοιπορίαν κατεσκεύαζεν.

VIII. Plaut. Trinum. vv. 247 sqq. sic transponendi:

Ibi pendentem ferit; iam amplius orat.:
Quod bibit, quod comest, quod facit sumpti.
Non satis id est mali, ni amplius etiam:
Nox datur: ducitur familia tota.

IX. Horat. Carm. I, 3, 21 „dissociabili“ passiva notione accipiendum est.

X. Non recte Ueberweg (Gesch. d. Philos. III² p. 53) contendit Cartesium, cum dei existentiam lumine quod vocat naturale probet cumque ipsum hoc lumen propter dei veracitatem omni fraude carere doceat, vitiosum argumentandi circulum admittere.

Herrn Prof. Dr. E. Rohde empfiehlt sich
voll Verehrung und Hochachtung
der Verfasser.

DE M. TULLII CICERONIS

ORATIONE IN TOGA CANDIDA HABITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS KOETSCHAU

THURINGUS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXX.

DE M. TULLII CICERONIS

ORATIONE IN TOGA CANDIDA HABITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS KOETSCHAU

THURINGUS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXX.

LUDOVICO · LANGE

SACRUM

L. Cornelio Sulla mortuo cum optimates in republica potentiam, quam modo adepti erant, retinere atque etiam augere summopere studerent, populares, qui post tribuniciam potestatem a. 684/70 restitutam animos erigerent, legibus Gabinia, Cornelia, Manilia perlatis adversarios graviter afflixerunt. Nec vero optimates desperabant. Nam cum inde ab anno 688/66 populares non solum eos, quibus Sulla pecunias publicas dono dederat, sed etiam ipsum Sullae filium Faustum de pecuniis residuis accusavissent[1]), optimatibus, quorum potentissimus tum abesset adversarius Pompeius, contigit, ut et tribunorum plebis conatus irritos facerent et ipsi tres tribunicios postularent. Sed haec erant parvi momenti. Nam interim factio popularis C. Iulium Caesarem, virum singulari quodam ingenii acumine praeditum, et M. Licinium Crassum, omnium fere, qui tum erant Romanorum ditissimum, duces nacta est fortissimos. Hi, ut ea, quae uterque de dominatione in Romanos occupanda cupiebant, consequerentur, neve Pompeio, si victor cum ingenti exercitu Romam revertisset, inferiores essent, illo absente multos sibi et firmos socios adiungendos, magnas copias et opes conquirendas, perpetuas plebis voluntates comparandas esse non ignorabant. Itaque societate facta cum validiore factione et Caesar, quod ludos aedilicios summo cum splendore fecit ac Marii monumenta restituit, et Crassus, quod censor a. 689/65 factus Transpadanis latini nominis civitatem romanam dari Aegyptumque in provinciae formam redigi voluit[2]), totos in se converterunt plebis animos. Optimates nihil iam audebant, nihil poterant; populares alacres erant, imperium quasi tenebant: quid mirum, quod Caesar et Crassus tempus adesse putabant eversa republica ipsorum dominationis

1) Lange R. A. III² 221; Cicero pro Cluentio 34, 94. 53, 147.

2) Lange R. A. III² 227 sq. Mommsen R. G. III⁶ 169. John, Die Entstehungsgeschichte der Catilinarischen Verschwörung, p. 731. [Fleckeisen Suppl. VIII p. 703—819. (1876).]

fundamenta iaciendi[1])? Convenit igitur inter eos, ut initio a. 689/65 novis consulibus nobilissimisque senatoribus occisis P. Cornelius Sulla et P. Autronius Paetus, qui ambitus damnati erant, consules fierent, Caesar autem et Crassus revera reipublicae gubernacula prehenderent[2]).

Ad quod facinus perficiendum maxime idoneo et parato adiutore utebantur L. Sergio Catilina. Qui cum bona paterna consumpsisset, magnum aes alienum contraxisset, multa stupra, flagitia, scelera commisisset, et ipse, ut Sullana renovarentur tempora, vehementer cupiebat et alios homines abiectos et leves aliis alios artibus permovebat, ut se ducem sequerentur. Cum hac caterva facillime Catilina caedem optimatum perpetraturus fuisset, nisi nescio quis casus hoc prohibuisset[3]). Sed quanquam tunc nihil profecerant Caesar et Crassus, tamen mutata ratione optimates lacessebant accusationibus; et ille quidem, qui tum quaestioni de sicariis praeerat[4]), duos satellites Sullanos, L. Luscium et L. Annium Bellienum damnavit[5]).

Duabus igitur illis factionibus varia inter se fortuna confligentibus cum clarissimus quisque et fortissimus alicuius factionis esset, ac brevi tempore ipsa res publica in discrimen ventura esse videretur: ad summum magistratum accedere conatus est is, qui semper medius inter factiones steterat modo huic, modo illi favens, utcunque res, utilitates, studia ferebant, M. Tullius Cicero. Nam et propter mollitiem animi ac lenitatem[6]) facere non potuit, ut homo vere factiosus esset, et, quod homo novus erat,

---

1) Praeterea cf. Boissier, Cicéron et ses amis p. 67. Probo Johnii de consiliis Caesaris et Crassi sententiam expositam l. l. p. 706—726. Idem iam Mommsenus (R. G. III[6] 178) opinatus erat; Johnius rem argumentis confirmavit satis certis.

2) Sueton. Caes. 8. Cicero in 'expositione consiliorum suorum' (apud Ascon. p. 83; cf. Teuffel R. L.[3] p. 355, John l. l. p. 724) M. Crassum huius coniurationis auctorem fuisse arguit. Cf. pro Sulla 7, 21. 27, 76. Sueton. Caes. 9.

3) Sueton. Caes. 8. fin. auctore Tanusio tradit 'Crassum diem caedi destinatum non obiisse et idcirco ne Caesarem quidem signum quod ab eo dari convenerat dedisse'; cf. Ascon. p. 94.

4) Sueton. Caes. 11.

5) Ascon. p. 91. 92. Dio Cass. 37, 10. Lange R. A. III[2] 230.

6) Cf. pro Sulla 6, 18. 31, 87.

si nihil amplius optabat, quam ut consul fieret, prudentiae fuit neminem adversarium vel inimicum habere. Quare usque ad illud tempus semel accusatoris partibus functus erat[1]), contra non paucorum causis susceptis vel aliquomodo sublevatis cum multos, tum Pompeium, potentissimum virum, beneficiis sibi obstrictum habebat[2]). Adde, quod toti factioni populari sese commendaverat C. Cornelio et C. Manilio poena liberandis. Omnium cuiuslibet generis hominum suscipiebat patrocinia, dummodo grati illi futuri viderentur, orationes causarum ac temporum, non hominum ipsorum aut patronorum esse ratus[3]). Quid? Catilinam, repetundarum reum, nonne speravit, si sua opera absolutus esset, coniunctiorem sibi fore in ratione petitionis[4])? Quae spes Ciceronem fefellit. Nam Catilina reputans scilicet fore, ut Cicero sibi plus noceret, quam prodesset, amicitiam ultro oblatam repudiavit coitionemque fecit contra Ciceronem cum C. Antonio Hybrida, oratoris filio[5]), quo se idoneo socio consiliorumque fautore esse usurum sperabat.

Iam non dubium videbatur, quin Catilina et Antonius coniuncti unum Ciceronem superaturi essent. Huius enim petitioni maxime duae obstabant res: una, quod homo novus erat, altera, quod optimates adversarios habebat. Homini novo pugnandum erat cum nobilibus illis viris, qui omnibus nervis contendebant, ut ne quisquam humili loco natus in suum ordinem irreperet. Num paululum eos dubitasse putabimus, quin ob eam ipsam causam Ciceroni adversarentur, Catilinae et Antonio faverent? At qualis erat horum fama et existimatio[6])! Omnes sciebant quot flagitia Catilina, quot Antonius commisisset. Verum haec parvi aestimabantur in civitate illa corruptissima[7]). Sed ne compara-

1) In causa C. Verris. 2) Ad Att. I 1, 2 'Pompei nostri amici'.
3) Pro Cluentio 50, 139.
4) Ad Att. I 2, 1; pro Cael. 6, 14. Cf. Wirz, Catilinas und Ciceros Bewerbung um den Consulat für das Jahr 63. Zürich 1864. p. 7—10.
5) Ascon. p. 83. Johnium idem sentire postea animadverti (cf. mus. rh. 31 p. 429, n. 1. Fleckeis. suppl. VIII 728. 736. n. 30), cum Langius (R. A. III² 227) Ciceronem pro Catilina ideo non dixisse putet, quod itinere in Galliam faciendo prohibitus esset (ad Att. I 1, 2). Ceterum dubito, num quis Drumanno (G. R. V 410) Ciceronem re vera Catilinae causam egisse credat.
6) Cf. Q. Ciceronis commentariolum petitionis (2, 8. 9. 3, 10) et Ascon. p. 84—93. 7) De rep. 5, 1. Sall. Cat. 14.

verat quidem Cicero sibi iam tum nobilium favorem. Etsi enim a. 688/66 A. Cluentii Habiti causa feliciter peracta optimatum gratiam meruit, tamen eam paulo post perdidit Pompei et popularium rebus adiuvandis. Optimates incerti erant, utrum Cicero, si eum consulem fecissent, fidem sibi servaturus, an cum Pompeio popularibusque societatem initurus esset ad senatus auctoritatem remque publicam evertendam. Contra Catilinam et Antonium, quippe qui nobiles essent, nobilitatis ac senatus partes fortiter defensuros esse opinabantur.

Quae cum ita essent, tamen Cicero coitionem, h. e. Catilinam, adversarium haud despiciendum, superavit[1]). Hoc qui factum sit, si quis quaeret, respondendum est Ciceronem tum demum sibi viam ad consulatum patefecisse, cum habita oratione, quae inscripta fuit 'in toga candida' factionis senatoriae consecutus est favorem et auxilium.

Caput primum.

Catilina et Antonius cum a. 690/64 non solum ambitum in dies maiore cum licentia facerent, sed etiam palam vim atque arma pararent[2]), senatus huius audaciae coërcendae causa censuit, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur[3]). Huic S. C. ut intercederet, Catilina et Antonius Q. Mucium Orestinum tr. pl. pecunia adduxerunt[4]). Quod cum senatus aegerrime ferret, Cicero tempus adesse ratus, quo et adversarios suos profligaret et sua consilia patribus exponeret, cum de ipsa illa intercessione, ut videtur, relatum esset, sententiam rogatus surrexit et orationem in toga candida habuit.

Qua oratione quid efficere voluerit, ab Asconio[5]) his indicatum est verbis: 'in coitionem Catilinae et Antoni invectus est.' Id confirmant fragmenta, ex quibus colligitur Ciceronem, cum Orestinum leviter perstringeret[6]), quidquid irarum conceperat, in Catilinae et Antonii capita effudisse. Nam uterque eum laeserat; ille, quod auxilium eius aspernatus postea publice, quantopere eum contemneret, praedicaverat[7]), hic, quod pro beneficio a Cicerone

1) Ascon. p. 95. leg. agr. II 2, 4. 2) Ascon. p. 83. 88.
3) Ascon. p. 83. 4) Ascon. p. 83. 85. 88. 5) P. 83.
6) Ascon. p. 85. 86. 88. 7) Ascon. p. 87. 88.

accepto adeo ingratus fuerat[1]), ut contra eum cum Catilina coiret. Haec Cicero tunc ultus est. Explicavit enim, quam infamis fuerit Catilinae, quam inhonesta Antonii vita, tantamque ignominiam utrique inussit, ut ipsis senatoribus non iam digni consulatu viderentur.

Sed Cicero non solum prohibere voluit, ne Catilina et Antonius consules fierent, verum etiam — et id quidem multo acrius — studuit, ut semet ipse optimatibus commendaret eorumque suffragiis uteretur[2]). Idcirco S. C. quam utile esset, ostendit graviterque Orestini intercessionem vituperavit. Porro significatis modo perniciosis Catilinae et Antonii machinationibus[3]), modo fautoribus eorum nobilissimis, Caesare et Crasso, si non nominatis, tamen satis clare descriptis[4]) senatui, qui eos et oderat et timebat, non solum gratum fecit, sed etiam metum iniecit eversionis reipublicae. Iam pridem dubius per urbem serpserat rumor Kal. Jan. a. 689/65 omnia parata fuisse ad caedes consulum et optimatum faciendas. Tunc autem Catilina et Antonius coram populo gladiatores emebant[5]), perditos homines sibi adiungebant, oculis ipsis caedem et ruinas minabantur. Quae cum Cicero in senatu proferret simulque illum rumorem confirmaret[6]): quantam putas trepidationem patrum conscriptorum fuisse! Tenebant coniurationem adversus se factam trepidique circumspiciebant auxilium. Quod num quis potius tunc praestare poterat, quam Cicero, qui se futurum esse declararet fidelem ac perpetuum amicum senatus, fortem ac strenuum defensorem disciplinae atque auctoritatis, alacrem ac vigilem custodem legum et institutorum? Ergo oratione, de qua agimus, habita Cicero consulatum sibi confirmavit. Optimates enim eum, ubi sua erga eos studia professus est, quod meliorem non habebant[7]), salutis atque auctoritatis suae propugnatorem elegerunt[8]). Quodsi Cicero tam bonam occasionem declarandi, quid et cui vellet, nactus non fuisset, haud scio an futurum fuisset, ut vel prorsus iaceret, vel Catilinam haberet collegam metuendum.

---

1) Ascon. p. 85. 94. 2) Cf. comm. pet. 33, 53. 8, 29. John l. l. p. 735.
3) Ascon. p. 88.
4) Iis scil., coram quibus tum dixit; Asconius nonnulla certo interpretari non poterat; cf. p. 83. 88.
5) Ascon. p. 88. 6) Ascon. p. 93. 7) John l. l. p. 771.
8) Ascon. p. 95.

Quae cum ita sint, valde dolendum est orationem in toga candida habitam exceptis fragmentis, quae Asconius servavit, iniquitate temporum perisse. Integra si exstaret, in ea tanquam in tabula ambitus, machinationum occultarum, totius denique illius temporis imaginem expressam haberemus ac de coniuratione, quae vulgo appellatur Catilinaria prior[1]), sane certius iudicaremus. De ea quae in fragmentis invenimus dicta, satis obscura nostris quidem temporibus sunt; nam Cicero, consulto opinor, obscurius locutus est, ut Caesarem et Crassum ne nimis lacesseret, et eorum, quae moliebantur, terrorem etiam augeret. Inventa autem sunt huius orationis[2]) 28 fragmenta cum enarratione Q. Asconii Pediani in codice Sangallensi simul cum 4 aliarum Ciceronis orationum fragmentis et commentariis Asconianis a. p. C. n. 1416 a Poggio eiusque amicis. Codicem ipsum interisse, omnemque 5 enarrationum memoriam pendere e tribus apographis Poggii, Bartolomaei, Sozomeni[3]), uberius explicaverunt Kiesslingius et Schoellius. Textum igitur, quem vocant, huius orationis et mendis inquinatum et lacunis laceratum esse non mirabere. Plurima menda abstersit, multas lacunas scite supplevit Madvigius[4]). Post eum alii textum Asconiani libri haud infeliciter perpolire studuerunt. Quo factum est, ut huius quidem orationis fragmenta praeter ultimum corruptissimum fere omnia genuinam formam recuperasse videantur.

His fragmentis quasi fundamentis nixi si totius orationis te-

---

1) Re vera eam fuisse Caesaris et Crassi Johnius demonstravit l. l. p. 706—726; cf. Wirz l. l. p. 21.

2) Inscriptio huius orationis est haec: 'In senatu in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam competitores.' (Ascon. p. 82.) Eius nulla a veteribus mentio fit, nisi a Quintiliano (III 7 'et editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri vituperationem continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiae').

3) Huius 'nomen postea historia ecclesiastica condita inclaruisse' certiores nos faciunt Kiesslingius et Schoellius in praef. edit. suae, a. 1875 publici iuris factae, p. XXVIII. Spurios igitur declarant et scriptori saec. XV tribuunt libros, quos V p. Ch. n. saeculo ab altero Sozomeno scriptos esse usque adhuc viri docti ad unum omnes censuerunt. Verum dubitationem, quam minus caute fortasse moverunt, utinam argumentis firmare viris doctissimis placuisset.

4) De Q. Asconio Pediano et aliorum veterum interpretum in Ciceronis orationes commentariis, Havniae 1828, cum appendice critica.

norem et saltem sententiarum ordinem restituere velimus, in primis quaerendum est, quotam fere integrae orationis partem fragmenta nobis exhibeant. Minimam quidem exstare sibi persuasit Eussnerus[1]) 'tantam huius orationis reliquiarum paucitatem esse' questus, ut diceret 'vix triginta fragmenta exstare, quorum quidem nonnulla paucis verbis continerentur'. Qui vereor ne longe erraverit. Nam satis certis argumentis evinci posse confido orationem, de qua agimus, parvam fuisse, ideoque quae supersunt pro tertia fere orationis parte esse habenda. Sed ex ipso fragmentorum numero de orationis magnitudine coniecturam velle facere stulti esset. Nam quod ex Miloniana, quae 105 paragraphos continet, Asconius 20 fragmenta elegit, non continuo sequitur, quia ex hac oratione 28 fragmenta desumpsit, ut eam ex 150 fere paragraphis constitisse putemus. Praeterea haec conclusio propter argumentum orationis absurda est. Sed cur huius orationis tot Asconius servavit fragmenta? Nempe quod contra Fenestellam probare studebat Ciceronem Catilinae patronum non exstitisse, et quod hic saepius filii[2]) enarrationem desiderabant, quam alibi. Cum igitur numerus horum fragmentorum permagnus videatur respicientibus fragmentorum summam 4 reliquarum, quas Asconius enarravit orationum, tum fragmenta apparet tam arto inter se cohaerere sententiarum nexu, ut multa intercidisse non sit verisimile. Quid? longane tunc opus fuit oratione, an parva? Sane quae dicenda erant, nisi presse dicta essent, patrum animos non magnopere movissent. Accedit, quod ipse Asconius argumentum orationis tenue fuisse testari videtur, cum dicat[3]): 'quod crimen saepius ei tota oratione obicit' et postea[4]) 'et cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat?' Denique brevem fuisse orationem nostram ea ex re concludo, quod ante huius fragmenta tales versuum numeri non exstant, quales in ceteris enarrationibus Asconianis inveniuntur. Paucis rem exponam. Primum hoc ne a Blassio quidem negari puto, quod Ritschelius[5]) olim fieri potuisse dixit, Wachsmuthius nuper[6]) recte affirmavit:

1) Commentariolum petitionis examinatum atque emendatum, programma gymn. Virceburc. 1872, 4°. p. 15.

2) Cf. Ascon. noviss. edit. praef. p. X sq. 3) P. 84. 4) P. 86.

5) In alexandrin. Bibl. appendice de stichometria = opusc. I 84 sq.

6) In mus. rhen. 34, 1, p. 38—51; cf. Fr. Blass ibidem 34, 2 p. 214 sqq.

Asconium, ubi numeros versuum adscriberet, respexisse exemplar ad hanc ipsam rem accommodatum, fortasse ab ipso scriptum[1]). Alterum vero multo facilius mihi concedent viri docti: ab Asconio ipso numerorum notas fragmentis esse praescriptas. Aliter sensit Beckius[2]), qui propterea, quod 'talia enuntiata' in hac oratione 'prorsus desunt, ea aetate illa a librario adscripta esse' putet, 'qua oratione in toga candida — iam deperdita duae incolumes Cornelianae totaque Scauriana et Pisoniana virorum doctorum in manibus etiam tum erant'. Haec argumentatio ideo caduca est, quod Beckius falso sumit omnia illa enuntiata a librario nescio quo adscripta esse. Ex ipsius enim Asconii verbis[3]) 'qui oblitus sit ante minus XX versus haec de eo ipso Ciceronem dixisse' cognoscimus eius modi notationes velut: cir. ver. a primo DCXL (p. 10) ab Asconio commentis suis esse insertas. Hac re concessa sequitur, ut reliqua enuntiata — sive orationis tenori intexta, sive fragmentis nude praeposita sunt — utique Asconio tribuamus. At scribae vel miniatoris cuiusdam neglegentia fieri potuit, ut in hac oratione numeri omitterentur. Et ita iudicaverunt Madvigius et cum Schoellio Kiesslingius[4]). At primum in hac oratione factum esse, ut omnes huius generis notationes neglegentia omitterentur, mihi verisimile non videtur. Deinde quoniam hic satis multae exstant notationes[5]), cum non pauca fragmenta iis plane carere videamus ceteras enarrationes perlustrantes[6]), num tandem etiam plures requiremus in hac oratione? Iam si quaerimus, cur hic Asconius versuum numeros non indicaverit, reputandum est iis alibi eo consilio usum esse enarratorem, ut filii et quicunque commenta sua legeret[7]), in

1) In quaestiones stichometricas nuper magno cum studio a Ch. Grauxio (in revue de philologie II, 1878, p. 97—143) C. Wachsmuthio, Fr. Blassio l. l. retractatas diligentius inquirere ab hoc loco alienum. Hoc certum esse puto apud Asconium 'versus' significare 'Raumzeilen'.

2) Quaest. in Cic. pro C. Cornelio orr., Diss. Lips. 1877, p. 35.

3) P. 80. Tradita sunt verba hoc falso ordine 'minus ante XX'.

4) Hi in edit. p. XXIII, ille l. l. p. 60 sq. 5) P. 84. 85. 86. 90. 91.

6) Velut cum or. Milonianae Asconius 20 fragmenta enarrarit, 8 fragmentis notationes praeposuit, reliquis nullas.

7) Non dubito, quin Asconius commentarios suos ediderit, iisque praecipue magistri sint usi, cum discipulis Ciceronis orationes explicarent.

ipsis libris Ciceronianis singulos locos facile invenire possent. Ergo tum opus erat numeris, cum ex longiore oratione pauca atque ea eligebantur, quae satis magno inter se distarent intervallo. Cur igitur in hac oratione desunt numeri? Quod non necessarii erant, quod notationes generales velut 'postea' 'paulo post' sufficiebant in oratione tam parva tantoque fragmentorum numero brevibus intervallis sese excipientium. Ego eam vix 30 paragraphos excessisse eiusque tertiam fere partem 28 fragmentis ab Asconio enarratis servatam esse opinor. Similis erat oratio nostra iis, quas Cicero in Catilinam habuit et amplitudine et argumento. Nam ut in illis, sic in hac Ciceronem praecipue in Catilinam invectum esse testantur fragmenta[1]). Quare oratione i. t. c. habita Cicero quasi praelusionem fecit proelii illius acerrimi, quod mox cum Catilina commisit et 4 orationibus in eum habitis feliciter finivit.

Ceterum haec oratio, quia Cicero de Catilina et Antonio et Orestino agit, generis demonstrativi est; si loquendi occasionem respicimus, eandem in genere deliberativo ponere licet, namque habita est, cum senatus de Orestini intercessione deliberabat[2]).

His demonstratis conemur definire, quando oratio nostra habita esse videatur. Habitam esse eam 'ante dies comitiorum paucos' Asconius refert[3]). Ergo cum comitia illis temporibus mense Quintili haberi solerent, neque a. 690/64 dilata esse tradantur[4]), Cicero locutus eo ipso mense esse videatur. Sed quia propter ludos Apollinares, qui pridie nonas Quintiles incipiebant et ante idus Quintiles finiebantur[5]), diebus comitialibus VI ante

---

1) 2 fragmenta sunt de malis civibus, 7 de Orestino, 18 de Catilina, 4 de Antonio, 3 de utroque. Ergo plus dimidium est de Catilina. Numero fragmenta secundum editionem Kiesslingii et Schoellii, ubi 28 distincta leguntur; in editionis operum M. Ciceronis a Baitero et Kaysero curatae vol. XI. tantum 22 leguntur coniunctis iis, quae statim se excipere apparet.

2) Cf. Cornif. rhetor. ad C. Her. I 2, 2. Cic. de invent. I 5, 7.

3) P. 83. Praeterea generaliter tempus definit p. 82 'Haec oratio dicta est L. Caesare C. Figulo coss. post annum quam pro Cornelio dixerat.'

4) Hoc argumento ex silentio, si magnam Asconii diligentiam reputamus, quin uti nobis liceat, non dubium.

5) Lange R. A. I³ 876. 778. II² 200 sq. Cf. I. L. A. p. 396.

idus Quint. usque ad III ante idus Quint. comitia fieri non poterant, ea aliquanto post idus Quint. facta, orationem autem i. t. c. fere ipsis idibus Quint. vel paulo post habitam esse puto.

Contra hoc constat Orestinum pridie, quam Cicero dixit, in eum invectum esse[1]). Quod utrum eo tempore fecerit, cum S. C. intercedebat, an alio, quaerere ideo magni momenti est, quod illo demum explorato alterum: 'dixeritne Cicero ex tempore, necne' ad finem perducere possumus. Atque Drumannus[2]) et Langius[3]) putant Orestinum intercedentem Ciceroni dignitatem abiudicasse, et Ciceronem postero die dixisse. Contra Tijdemanus[4]) contendit Ciceronem ex tempore coitionem aggressum esse, Orestinum postero die intercessisse, quam Ciceroni maledixisset. Utra sententia sit recta, neque ex Asconii neque ex Ciceronis verbis elucet. Nam verba illius[5]) 'eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat. Tum (scil. cum de intercessione referebatur) Cicero graviter senatu intercessionem ferente surrexit atque in coitionem Catilinae et Antoni invectus est' et haec[6]) 'Q. enim Mucius tr. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur, quod facere pro Catilina videbatur' in utramque partem accipi posse non nego, etsi Asconium, si intercessionem pridie, quam Cicero dixit, factam esse credidisset, hoc claris verbis indicaturum fuisse putem. Neque ex Ciceronis verbis[7]) 'Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire, ut coepit senatus consultum' quidquam certi enucleare possumus. Etsi igitur desperandum sit de certo in hac causa iudicio, tamen licet perscrutari, utra sententia probabilior videa-

---

1) Cicero apud Ascon. p. 86 'qui hesterna die me esse dignum consulatu negabas'.

2) G. R. V 422.

3) R. A. III² 232: „Dem dieses Gesetz betreffenden Senatusconsultum intercedirte jedoch der Volkstribun Q. Mucius Orestinus. Da derselbe bei dieser Gelegenheit den Cicero als unwürdig des Consulats bezeichnet hatte, so hielt Cicero im Senate eine Rede gegen seine Mitbewerber Catilina und Antonius": scil. post unum diem, quam tribunus intercessit, id quod frgm. 6 postulat.

4) Huius libellum, qui inscribitur 'in Q. Cic. de pet. cons. adnott. Lugd. Bat. 1838' inspicere mihi non licuit. Sententiam illam ex Drumanni G. R. V p. 422 cognovi.

5) P. 83. 6) P. 85. 7) Frgm. 13 (p. 88).

tur rationibus ex re ipsa desumptis. Iam faciamus Orestinum Ciceroni male dixisse eo tempore, cum S. C. intercessit: nonne mirum est Ciceronem ita provocatum tam diu dubitasse multo plures et graviores, quam acceperat, plagas tribuno infligere? Nonne timendum erat, ne tacendo ipse suam imbecillitatem affirmare videretur? Nam hoc pro certo habere possumus Ciceronem illo tempore, cum de nova lege de ambitu ferenda agebatur adversariis suis perniciosa, nunquam senatui non interfuisse. Sed fortasse Ciceroni loquendi facultas non est data, seu senatus aliquam ob causam dimissus est, seu tribunus sero intercessit, ut de intercessione illo quidem die referri non posset. At qui fieri potuit, ut tribunus eodem tempore et intercederet S. C. et Ciceronem dignum esse consulatu negaret? Primum enim hae res tam diversae sunt, ut, quomodo coniungi bene potuerint, non videam. Deinde Orestinus imprudenter, vel potius stulte fecisset, si paene suis verbis declarasset se Catilinae et Antonii causae favere — scilicet pecunia eorum emptum — et ideo S. C. intercedere — scilicet ne quid noceret emptoribus suis —. Ne longus sim, ut intercessio in senatu fieri oportebat, ita convicium Ciceroni nusquam commodius dici poterat, quam in contione aliqua, a tribuno ad id ipsum convocata. Multas tum eiusmodi contiones[1]) habitas esse nemo negabit. Catilinam quoque opinor in contione aliqua 'se Ciceronem contemnere' praedicasse[2]). Quibus de causis si cum Tijdemano et Brueckner[3]) et Johnio[4]) Orestinum pridie, quam intercessit, de Cicerone contumeliose dixisse statuimus, sequitur, ut orationem i. t. c. ex tempore habitam esse putemus. Cicero enim, ubi se a tribuno lacessitum esse audivit, forsitan, quomodo eum ulcisceretur, repente excogitavit, orationem certe neque animo neque litteris composuit, quippe quam loco, tempori, rebus aptare deberet. Itaque cum postero die in relatione de Orestini intercessione sententiam rogatus esset, occasione data tribuno novissimam eius in se iniuriam exprobravit, cum inprimis in Catilinae et Antonii coitionem inveheretur. Sane oratio eo vehementius patrum animos percussit, quo magis ex subita oratoris commotione atque indignatione orta

1) Cf. comm. pet. 13, 53. 2) Cf. frgm. 10 (p. 87).
3) Leben Ciceros cap. XI. med. 4) L. l. p. 734 med.

videbatur. Et quanquam periculosum ac difficile videtur e fragmentis coniecturam de integra oratione facere[1]), tamen, quoniam magnam huius orationis partem exstare supra ostendi, ipsum eius colorem atque elocutionem subitarii nescio quid prodere contenderim. Sed fortasse dicet aliquis facile fieri potuisse, ut Cicero non eam orationem, quam habuit, ederet, sed plus minusve mutatam. At haud absurda est Wirzii opinio Ciceronem, ubi senatu excesserit, statim orationem per servos litterarios conscribendam et divulgandam curasse putantis[2]). Ciceronis enim valde intererat et senatores, qui tum afuerant, et omnes quotquot aut senatoriis partibus favebant, aut Catilinae machinationes timebant, ipsius voluntates et studia cognoscere. Hoc optime et facillime poterat consequi oratione cito edita. Porro nemo dubitabit, quin Cicero, si 'plerumque maxime necessaria et utique initia scripsisse, cetera cogitatione complexus esse' fertur[3]), hanc oratiunculam sine ullo labore ex tempore habere potuerit. Accedit, quod oratori de paucis tantummodo rebus, quae ei illo ipso die, quo dixit, innotuerant, — de intercessione Orestini, de conventu domi Caesaris vel Crassi noctu facto — de improviso dicendum erat, cum totam fere reliquam materiem iam diu conquisitam ac dispositam mente teneret. Deinde orationis argumentum tam parvum ac tenue erat, ut Cicero saepius easdem res attigerit[4]), non solum quo clarius eas illustraret, sed etiam ne argumenti cognosceretur exiguitas. Praeterea res tractandas ei facile disiungere ac fere rebus, ut ab adversariis gestae erant, simpliciter enarratis optimam componere licebat orationem. Denique ne omittas Quintum Ciceronem fratri suo magnam partem materiae suppeditasse omnibus flagitiis Catilinae et Antonii in

1) Audacius haec dicit Johnius (l. l. p. 710): „Dies zeigt er meines Erachtens am deutlichsten dadurch, dass er in seiner Candidatenrede aus dem Jahre 690 — in dem erschöpfenden Sündenregister Catilinas nichts davon erwähnt hat“ (cf. p. 733 et mus. rhen. 31 p. 413 sq.). Tale argumentum, quod dicimus ex silentio, adhibere non debuit. An certo affirmare possumus Asconium omnia, quae enarratione egebant, enarrasse? Quid? si consulto nonnulla ut nota omisit, quae nobis satis obscura viderentur?

2) L. l. p. 28. Cf. Ascon. p. 95 'Feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus.'

3) A Quintiliano X extr. 4) Ascon. p. 84. 86.

commentariolo petitionis accurate enumeratis. Cum autem veteres sine ulla dubitatione alienas sententias atque elocutiones in suum usum convertisse notum sit, non habemus, quod Ciceronem, qui monumentum illud fraterni erga se amoris et studii sane diligenter perlegit, vel tantillum dubitasse arbitremur, quin, quae sibi viderentur, ex fratris libello desumpta memoriter huic orationi intexeret.

Sed exsistet mihi hoc loco Eussnerus[1]), haud spernendus adversarius, opponetque commentariolum petitionis ementiri Quintum auctorem, scriptum esse a nescio quo rhetore I. p. C. saeculi. Quod si verum esset, Marcum furti suspicione purgare possemus. At vereor, ne vir doctissimus, quia Marco furti crimen afferre non audebat, argumentis suis iusto plus tribuerit momenti. Et quanquam Wirzius, postquam Baehrius dubitanter ea de re dixit[2]), Eussneri argumenta non tantam vim habere ostendit, ut commentariolum spurium putemus[3]); tamen, quia res nondum absoluta videtur esse, eam denuo pertractare et, quod possim, ad finem perducere hoc loco idcirco non alienum puto, quod, si appareat commentarioli auctorem nonnulla ex hac oratione furatum esse, nobis furta repetere iisque ad restituendum huius orationis tenorem uti licebit, sin evincatur Quinti esse commentariolum, de largiore fructu ex eo percipiendo desperare debebimus. Rem ita instituam, ut prius quam ad leviora et tanquam subsidiaria transgrediar argumenta, ea refutem, quae potentissima videntur. Ac maximi quidem momenti esse putat Eussnerus[4]), quod ‘mira multarum sententiarum intercedat similitudo inter commentariolum et orationem i. t. c., pro Plancio, pro Murena habitas atque primam Marci ad Quintum epistolam’. Primum omittere debuit Plancianam, quam cum attente perlegerem, nusquam deprehendi talis similitudinis vestigium. Deinde falso contendit[5]) ‘orationis i. t. c. habitae locorum consimilium, ut in tanta reliquiarum orationis paucitate perquam magnum esse numerum’; nam, ut supra[6]) ostendi, tertiam fere orationis partem superstitem habemus. Inveniri autem duos tantum locos mire cum duobus commentarioli locis congruentes Buecheler recte demonstra-

1) V. s. p. 9 n. 1. 2) in Heidelb. Jahrb. 1872 p. 620—624.
3) Philol. Anzeiger 1873, 499—505. 4) L. l. p. 15.
5) Ibidem. 6) P. 9—11.

vit[1]). Iam si casu fieri potuit, ut Asconius omnes ex oratione locos similes — scil. illos duos — eligeret, num exprobrabimus Marco tam levem fraterni libelli expilationem? Quid? quod Marcus ex Graecorum scriptis permulta et palam et clam in suum usum convertit? Denique Marcus, si orationem suam fratris aliquibus ornavit sententiis, hunc tantum aberat ut laederet, ut ei gratissimum faceret, quod is commentariolum non solum fraterni amoris testimonium, sed etiam Marco usui esse volebat. Neque vero ex commentarioli clausula (14, 58) concludere debemus Quintum divulgandum curasse commentariolum; nihil enim aliud significat nisi hoc: 'Quanquam hic libellus tibi soli, non aliis, destinatus est, tamen peto, ut eum perpolias.' Ergo nihil prohibet, quominus Marcum duos illos locos ex fratris scripto depromptos suae orationi interposuisse putemus. Deinde Eussnerus memorat orationem pro Murena et primam epistolam ad Quintum multis locis cum commentariolo cum sententiis tum verbis mire consonare. At ex 15 locis, quos ex oratione pro Murena attulit, certe unus eximendus est ut nec verbis nec sententia similis (pro Mur. 34, 71: comm. pet. 6, 21). Decem paria uno vel duobus verbis concinunt, sententia nullum. Quorum specimen apponam hoc:

pro Mur. 24, 48 cum populum Romanum in eum metum adduxisti	comm. pet. 6, 23 adducenda amicitia in spem

Eiusdem generis reliqua sunt paria. Quid igitur? scriptorem commentarioli, ut talia cognosceret verba vel enuntiata, orationem pro Murena adisse consentaneum est? Graeculum hunc vel barbarum fuisse credo, non rhetorem romanum, 'tempore ab ipsa Ciceronis aetate proximo florentem'[2]). Sed restant ex multis illis locis quattuor paria magis, ut videtur, concinentia (pro Mur. 11, 24: comm. pet. 1, 2. pro Mur. 21, 43: comm. pet. 14, 56. pro Mur. 21, 44: comm. pet. 9, 34. pro Mur. 23, 47: comm. pet. 6, 24. Cf. Eussnerum l. l. p. 15). Fateor similes utrim-

1) Commentarioli petitionis locos affero secundum editionem Quinti Ciceronis reliquiarum Lipsiae a. 1869 a Buechelero curatam; cf. ibi p. 9. Loci sunt: comm. pet. 3, 10: or. i. t. c h. p. 92 et comm. pet. 3, 12: or. i. t. c. h. p. 94.

2) Cf. Eussner. l. l. p. 22.

que comparere locutiones, sed nolo ita rem expedire, ut unum auctorem ab altero furatum esse dicam. Mirandus profecto ille rhetor, si tantummodo ea, quae et ipse, ut homo romanus, in ore habebat, transscribere maluit, quam totas sententias. Ego cum Wirzio rem sic explico: quoniam in oratione pro Murena uberius de ambitione disputatur, quod in commentariolo praecipue de ambitu agitur, non est mirum in utroque scripto consimiles locos inveniri. Pergamus nunc ad primam ep. ad Quintum fratrem. Huic si ponendum erit artam necessitudinem cum commentariolo intercedere, ego abiciam hastas, quia incredibile est Marcum ex fratris libello deprompta huic remisisse. Percenseamus igitur 17 locorum paria ab Eussnero hic enumerata. Atque, ut in principio iudicium meum ponam, nusquam ne speciem quidem angustioris cuiusdam coniunctionis potui investigare. Nam quae verba vel enuntiata Eussnerus alteri scriptori ab altero erepta esse arbitratur, ea tunc tritissima erant et ab omnibus usurpabantur. De duobus tantum locorum paribus:

ep. ad Q. fr. I 6, 18 quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intellegam prudentia non esse inferiorem, quam me?	comm. pet. 14, 58 haec sunt quae putavi non melius scire me quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse.
12, 36 at ea quidem — non ut te instituerem scripsi —	1, 1 non sum alienum arbitratus ad te perscribere — non ut aliquid ex his novi addisceres

forsitan aliter, quam de reliquis iudicandum est, non quidem ita, ut hanc orationis formam, qua urbani utuntur, surreptam esse a Marci epistola affirmemus — an falsarium finges tam rusticum, ut urbanitatem doceri oportuerit? — immo Marcum iisdem usum urbanitatis figuris fratri respondisse veri simillimum est. Tum Eussnerus verba, quae et in prima ep. ad Quintum et in commentariolo saepius leguntur, enumerat. Nimis argute, puto. Fieri enim non poterat, quin propter consilium et argumentum simillimum in utroque scripto eadem verba, eaedem formulae ac locutiones saepius usurparentur. Quod vero et Marcus et Quintus similiter 'in excursum abire' videntur, aut casu factum est, aut Marcus consulto fratris libellum respexit. Quibus demonstratis

quicunque rem libere et simpliciter retractaverit, mihi adsentietur locos ab Eussnero allatos non adeo congruere, ut unum scriptorem ab altero sumpsisse existimemus. Sed fac nonnullos locos mire consonare: num continuo cum Eussnero ratiocinabere? An non Quintus cum Marco fratre saepe convenit, de multis sane rebus ac maxime de petitione consulatus disputavit, denique ut discipulus modo hanc modo illam cogitationem a fratre excepit?

Ceterorum argumentorum, quae ipse Eussnerus concedet minoris ponderis esse et fere concidere una cum illis, quae modo debilitavimus, distinguenda sunt duo genera, quorum alterum complectitur argumenta ex commentariolo ipso, alterum aliunde sumpta. De hoc prius disserere liceat. Offendit Eussnerus[1]), quod commentariolum initio demum a. 690/64 scriptum sit, neque omnes competitores enumeratos habeat. At tum demum vera inter candidatos certatio exoriebatur, neque opus erat de iis, qui iam tum plane iacebant, verba facere. Deinde Eussnerus 'hoc factum esse' negat[2]), 'ut praeciperetur ab eo homine, qui tum non modo vir consularis non erat, sed ne praeturam quidem attigerat.' Quasi vero ambitus naturam in quaesturae petitione cognoscere non potuerit! Quid? si ipse brevi post praeturam petiturus erat, nonne, quae ad talis magistratus petitionem necessaria essent, diligenter debebat perquirere? Multo etiam infirmiores sunt eae rationes, quas Eussnerus tanquam subsidiarias addit. 'Fictae', inquit[3]), 'epistolae (scil. ep. ad Octavianum) alteram adiectam esse item suppositiciam' (scil. commentariolum). Nonne eadem cum probabilitate et simplicius concludemus illud propterea factum esse, quod commentariolum, cum inter Marci orationes ferretur, Marci non esse librarii intellegebant? Non magis suffragatur Eussnero quod Asconius commentarioli nullam mentionem fecit. Quid? si subditicias illas orationes, quanquam ut contra ipsam orationem i. t. c. habitae haud leviter eam attingebant, tamen paene silentio transiit, nonne multo etiam rectius de commentariolo omnino tacuisse videtur? Quid de eo dicere potuit? Nempe ea, quae tum notissima erant. Veniamus deinceps ad alterum genus argumentorum, quod pertinet ad commentariolum ipsum et ea, quae de Quinti genere dicendi ac moribus tradita sunt. Negat Eussne-

1) P. 4. 2) P. 4. 3) P. 23.

rus[1]) hunc libellum epistolam esse, quod notissima proferat, cum Marcus ipse declaret 'epistolae proprium esse, ut is, ad quem scribatur, de iis rebus, quas ignoret, certior fiat.' Rectissima haec. At Marcus alio loco[2]) haec dicit: 'Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentis, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset — reliqua sunt epistolarum genera duo — unum familiare et iocosum, alterum severum et grave.' Nihil manifestius, quam hunc libellum generis severi et gravis h. e. eam epistolam esse, quam nos dicimus 'Sendschreiben'. Atque hoc ipsum Quintus in clausula epistolae praedicat his verbis: 'volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum'. Si res ita est, num crimini vertemus Quinto quod, quo scripserit loco, aperte significare supersedit? Id Marcus profecto sciebat, aliorum scire non intererat. Iam vero valde miror Eussnerum huic libello obicere[3]) quod, cum solum ambitum tractet, non perfectum sit commentariolum petitionis. Num hoc sibi sumit? Contra in fine libelli dicit Quintus: 'quae tametsi ita sunt scripta, ut non ad omnes qui honores petant, set ad te proprie et ad hanc petitionem tuam valeant, tamen tu —'. Quid igitur? propterea a Quinto commentariolum abiudicabimus? Maxime eum reprehendere licebit, quod solam fratris petitionem respexerit. Quid? si soli fratri destinatum esse commentariolum manifesto declarat, si, ut supra[4]) vidimus, nullo ex loco elici potest eum illud divulgare voluisse? Nam concedo Eussnero Quintum non tam libere de Pompeio, popularibus, optimatibus dicturum fuisse, si libellum suum proferre cogitasset in publicum. Sed si Quintus familiariter ad fratrem scripsit, non mirum nos hic secretiores eius sententias expositas habere.

Iam restat, ut de commentarioli sermone ac dispositione pauca disseramus. Quodsi Eussnerus vituperat[5]), 'rarissime efferri commentarioli sermonem, paucas esse translationes verborum, crebriores aliquanto interrogationes, cumulatas anaphoras; miram esse similitudinem commissurarum, putidam et nonnunquam falsam distributionem, nullam denique verborum copiam': haec omnia nimis acute urgeri videntur. Nam Quintus cum ipse commentariolum

1) P. 5. 2) Ad fam. 2, 4. 3) P. 6. 4) P. 16. 5) P. 7 sqq.

perfectum esse neget, tum, id quod Wirzius recte monet[1]), propter argumentum durum et asperum vix aliter scribere potuit, cum praesertim poëta potius esset, quam orator. At vero Eussnerus minime convenire, ait[2]), ieiunum commentarioli sermonem ei, 'qui in oratione pedestri subtiliter et ornate, suaviter et graviter, Aristophaneo etiam modo scripsisse feratur'. Ego primum moneo, ne nimium fraternis illis blanditiis tribuamus. Deinde Eussnerum neglexisse puto libros de oratore a. 699/55 et primam libri tertii ad Quintum epistolam a. 700/54 scriptam esse[3]). Intra 9 vel 10 annos sermo non solum excoli et limari, sed etiam immutari solet. Quam ob causam etiam Eussnerus[4]) cavere debuit, ne 'epistolarum sermoni facili et iocoso' opponeret 'morosam et difficilem commentarioli orationem', quoniam illae 5, 15, 20 annis post scriptae sunt, quam hoc ortum videtur esse[5]). Quid? quod inter quattuor illas epistolas atque commentariolum ne intercedunt quidem tales discrepantiae, quales Eussnerus statuit? Immo deprehendimus 'putidae illius divisionum ostentationis[6])', quam Eussnerus in commentariolo valde castigat, exempla etiam in Quinti epistolis. Subscribam hic locos:

ep. 1. et tibi et ago gratias et gratulor	comm. pet. 12, 48 et incertum est et in diem et in paucioribus — et certe abalienes et statim et pluris (cf. §§ 3. 14. 18. 25. 31. 33. 39. 44. 55.).
1. Sabini pueris et promisi omnia et faciam	
3. et vera et dulcia nuntiantur	

Porro cum appareat Quintum bis in una epistola sententias ita coniunxisse, ut unum enuntiatum relativum alterum sequeretur nullo vinculo cum illo conexum, simillimas in commentariolo exstare structuras haec comparatio docebit:

ep. 4. quos ego penitus novi — plenos, qui nisi — recesserint — est. incredibile est, quae ego — fecisse, quos ille latro, nisi — fuerit — deleniet.	comm. pet. 11, 44 vultu ac fronte, quae est animi ianua, quae si significat — parvi refert — 6, 21 nedum ii, quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos — (Sic praeterea ter.)

1) L. l. p. 503. 2) P. 6.
3) Cf. Teuffelii hist. litt. rom.[3] §§ 182, 2. 184, 3. 4) L. l. p. 7.
5) Cf. Buecheleri praef. edit. Q. Cic. rell. p. 3. 6) P. 7. 12.

Adde, quod et Quintus et commentarioli auctor mirum quantum adamant sententiarum structuras elegantiores, velut:

ep. 4. maximum ab universo naufragio periculum	comm. pet. 8, 33 illa adulescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur

Denique ne illud quidem Eussneri sententiam confirmat quod, cum in epistolis 1. et 3. bis inveniamus 'etiam', nusquam 'quoque', in commentariolo exceptis duobus locis, ubi 'quoque' legitur (9, 34 et 10, 40), semper particula 'etiam' oculis nostris occurrit. Sed haec hactenus. Satis certis enim argumentis evicisse mihi videor Eussnerum iniuria a Quinto Cicerone abiudicasse commentariolum petitionis. Quod cum vero auctori redditum esse laetemur, tum nulli fere nobis usui fore ad restituendum orationis nostrae tenorem valde dolemus.

Caput alterum.

Iam ad fragmenta, quae supersunt, transeamus ita, ut prius quam ipsa enarrare, corrigere, ordinare conemur, qua Asconius ratione in deligendis iis enarrandisque usus sit, explicemus. Ac simplicissima ratio erat eodem ordine fragmenta enumerandi, quo sese excipiebant in libris Ciceronianis; eamque ab Asconio adhibitam esse commenta in Pisonianam, Scaurianam, Milonianam luculenter edocent. Sed interdum ab ea declinavit, neque vero hoc aliquo modo significare neglexit. Velut in Pisonianae enarratione haec legimus[1]) 'quis fuerit socer Pisonis patris, ipse supra dixit his verbis'. Ergo si Asconius nulla re soliti ordinis turbationem indicavit legentibus, ordinem integrum esse cogemus. Porro enarrator diligentissimus hic nos in definiendis spatiis, quae inter singula fragmenta videntur fuisse, optime adiuvat si non versuum numeris, at saltem his notationibus adscriptis: 'statim[2]), paulo post[3]), postea[4]), quo loco[5]).' Atque 'statim' cum non aliam, quam vulgo, vim habere duo loci Pisonianae[6]) declarent, etiam in

1) P. 52. 2) P. 85. 3) P. 91. 4) P. 84. 86. 5) P. 90.

6) Ascon. p. 10. 14. 15 (cf. p. 67. 73 et Ciceronis editt.). Simillima est huic notatio 'sequitur' (p. 67. 80).

nostra oratione alterum fragmentum continuo sequi alterum indicat. Deinde habemus ‘paulo post’, notationem satis ambiguam. Nam Pisonianae et Milonianae enarrationibus perlustratis eam spatia modo 11 verborum modo 28 versuum significare vidi[1]). Excipio enim unum locum, ubi septem paragraphos inter duo fragmenta interesse doceret, nisi illic nonnulla in codice intercidisse veri esset similius[2]). Idem quod ‘paulo post’, valet ‘paulo ante’, quam notationem Asconius ter usurpat[3]), ubi quid a se iam supra dictum esse monet. Etiam latius patet significatio vocabuli ‘postea’[4]) eandemque vim habet atque vulgo. Denique in hac oratione reperimus quasi titulos 4 fragmentis praescriptos (p. 85) ‘Hunc Mucium in hac oratione Cicero appellans sic ait’, (p. 90) ‘Quo loco dicit Catilinam caput M. Mari gestasse’, (p. 91) ‘Loquitur cum Catilina’, (p. 94) ‘Dicit de malis civibus’. Ex his de magnitudine spatiorum fere nihil concludi potest. Nam ea quoque notio, cuius potestas certo terminari posse videatur, ‘quo loco’, tam ambigua est, ut, si Milonianam respexeris[5]), amplius fere pateat, quam ‘postea’, si hanc orationem, haud multum discrepare videatur a notatione ‘statim’. Praeterea Asconius in ipsa enarratione quinquiens earum orationis partium, quae interierunt, vel rationem habuit, vel aliqua servavit. Ex quibus quantum lucrari possimus, considerandum est. Memorat igitur Asconius (p. 84): ‘Nominatim etiam postea Cicero dicit quos occiderit (scil. Catilina), Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium.’ Sed quo hos nominaverit loco, non apparet, nisi hoc post secundum fragmentum esse factum. Verum tribus tantummodo locis illos nominare poterat Cicero, nempe post fragmenta 9. 19. 23 (24). At post fragmentum 9. nefaria Gratidiani caede memorata satis evincebatur Catilinam parvi fecisse populum romanum. Contra nomina illa magna cum probabilitate collocabimus post fragmentum 19. Nam quoniam Cicero in fragmento 21. Catilinae quasi praenuntiavit capitis periculum propter caedes commissas subeundum, ne falsus vates

---

1) Ascon. p. 8: 11 verba; p. 9: 15—16 versus; p. 11: 9 versus; p. 15: 28 versus. Ascon. p. 43: 14—15 versus; p. 44: 10—11 versus; p. 49: 7—8 versus.

2) P. 49. Haec est sententia Hermanni Gaumitz, quam nuper in medium protulit in Leipz. Stud. 1879 t. II 2 p. 272. n. 2.

3) P. 84. 87. 89. 4) P. 84. 86. 5) P. 53.

videretur, antea absolutam omnium flagitiorum Catilinae imaginem depingere debebat. Tum inter fragmenta 23. et 24. haec nomina a Cicerone iterum memorata esse infra demonstrare studebimus. Deinde dicit Asconius (p. 84): 'quod crimen saepius ei tota oratione obicit'. Notio 'saepius' quam vim habeat, ex ipsis Asconii verbis intelligimus (p. 93): 'dictum est iam saepius Catilinam ex praetura Africam obtinuisse'. Ter autem eam rem memoraverat[1]), et in Cornelianae et in huius orationis commentario, neque in deperditis, qui hunc antecedebant, talis mentionis locus fuit. Itaque certe tribus locis Gratidiani caedem Catilinae exprobratam esse puto. Quod cum bis in fragmentis 9. et 18. 19. factum videamus, tertius locus est investigandus. Nusquam autem commodius caedes illa memorari poterat tertium, quam inter fragmenta 23. et 24. una cum caedibus Caecilii, Volumnii, Tanusii. Infra ea de re plura; nunc ea reputemus, quae Asconius dicit p. 86: 'et cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat?' Quod cum ter in fragmentis attingatur (in frgm. 4. 16. 24ª.), non necesse est quartum circumspicere locum. Tum non omittenda haec Asconii verba (p. 92): 'quem Cicero ait avunculum esse Catilinae' — eo consilio, opinor, ut, si Bellienus, Catilinae propinquus, damnatus esset, eo minus fore, ut Catilina effugeret, tanquam ominaretur. Id autem ante fragmentum 20. fecit, nam 20. et 21. arte cohaerent. Maximi vero pretii est quintus locus, quippe quo Asconius ipsa Ciceronis verba afferat (p. 92) 'cum et imperitos se homines esse et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent ac negarent quoque: Catilinam vero infitiari non posse'. Et oratio obliqua et verba 'negarent quoque', quia respondent verbis fragmenti 21. 'denique illi negare potuerunt et negaverunt', ostendunt ab Asconio ea quoque servata esse, quae inter fragmenta 20. et 21. erant. Quare illa verba in rectam orationem versa infra suo loco restituam[2]).

---

1) Cf. noviss. edit. praef. p. XVII, ubi post lin. 10. (II. In oratione in toga candida:) haec sunt addenda: 'p. 75, 13 de quo paulo ante mentionem fecimus = p. 74, 17'.

2) Etsi non satis certo definire possum, quid praeterea Asconius in enarrationem transtulerit ex hac oratione, tamen, quae ex ea pendere verisimile est, hic proponam. Atque argumenti quidem orationis, quod Asconius enarrationi praemisit, cum priorem partem (de competi-

Sed satis de Asconio. Ciceronis verba, quae deperditis orationis partibus aliquantum lucis afferre possunt, si in enarrandis fragmentis in ea incidero, diligenter excutiam. Nunc fragmentorum ordinem valde turbatum esse, si placet, demonstrabo. Hoc enim manifesto ea ex re apparet, quod pars fragmenti 8. cum 24. plane congruit, nisi quod hic nonnulla verba exstant, quae illic desunt ('cuncto populo reclamante ac resistente'). Absurdum esset contendere Ciceronem eandem sententiam iisdem plane verbis bis in eadem oratione elocutum esse; immo Asconium illa verba, quae iam antea descripserat, suo loco vel consulto vel casu repetivisse censebimus. Attulerat autem primo loco fragmentum 8. simul cum fragmentis 5. 6. 7. ea mente, ut Catilinam ab Cicerone non defensum esse ipsis Ciceronis verbis probaret. Quae

---

toribus Ciceronis) una cum primi fragmenti enarratione ex Ciceronis 'expositione consiliorum suorum' (Ascon. p. 83. Cf. supra p. 4. n. 2.) fluxisse putem, tum alteram ('Causa orationis' etqs.) secundum hanc orationem conformatam esse censeo. Iam 'Gratidianum arta necessitudine Ciceroni coniunctum fuisse' (p. 84) unde cognoverit Asconius, non minus dubium est, quam ex quo fonte ea quae sequuntur (p. 84) desumpta sint; equidem haec verba 'nam is — turmas' huic orationi, reliqua usque ad frgm. 2. aliis fontibus deberi puto. Deinde in frgm. 4. enarratione (p. 85) Asconius haec: 'accusatus est repetundarum a P. Clodio adulescente' ex ipsa oratione cognoscere potuit; quae sequuntur: 'qui postea inimicus Ciceronis fuit' omnibus erant notissima. Tum verba: 'Q. enim Mucius tr. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur; quod facere pro Catilina videbatur' (p. 85) ex hac oratione originem duxisse veri simillimum habeo. Neque vero minus probabile est haec: 'Ita quidem — esse facta' (p. 87) ex eodem fonte hausta esse. Tum 'Q. Mucio tr. pl. cognomen Orestino fuisse' (p. 89) dubito, num aliunde cognoverit Asconius, quam ex hac oratione. Etiam haec: 'Catilinam per infamiam repetundarum iudicio liberatum esse ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret', (p. 90) in oratione i. t. c. h. si non inventa, tamen conclusa esse ex ea ab Asconio opinor. Tum frgm. 21. enarrationem magnam partem ex hac oratione originem traxisse supra ostendi (p. 23). Quibus porro frgm. 25. enarrat Asconius, ea ex eodem Ciceronis libello sumpsisse videtur, quem post frgm. 1. ut fontem suum nominavit. Denique satis certum mihi videtur verba 'malis civibus' (p. 94 ante frgm. 27.) in or. i. t. c. h. exstitisse. Sed ea, quae modo exposui, quoniam ambigua sunt, nec discerni potest, quae Asconius ex ipsa Ciceronis oratione in suum libellum transtulerit, quae ex coniectura orta sint, quaeve aliunde fluxerint, cavendum est, ne iis infra, ubi frgm. complere studebimus, incaute utamur.

fragmenta quoniam eadem de causa omnia sunt prolata, si unum eorum ex inferiore oratione sumptum esse constat, sequitur, ut de reliquis idem sit iudicandum. Nam ex superiore quodquam electum esse nego propterea, quod iam tum Asconius contra Fenestellam dicendi occasionem arrepturus fuisset. Quo denique quattuor illa fragmenta inseri debeant, exquiremus, cum in enumerandis fragmentis ad illos locos pervenerimus; nunc autem de singulis fragmentis deinceps agendum[1]).

Primum fragmentum hoc est:

I. (1.) *Dico, P. C., superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu docti*[2]) *et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.*

His verbis, quae, quanquam obscure dicta erant, tamen ab omnibus profecto, qui audiebant, intellegebantur, Cicero ea, quae tum Crassus et Caesar agitabant, perstringens hos veros ambitus licentiae auctores nuncupavit. Quodsi reputamus ‘causam orationis — fuisse, quod propter praecipuam Catilinae et Antoni audaciam censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur, eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat’[3]), facile exordium orationis restituere possumus. Nam quoniam Cicero, cum de Mucii intercessione referebatur, sententiam rogatus in competitores invectus est, tum tempori aptissimum erat principio de intercessione, deinde de ambitu disseri, tum paulo ante fragmentum primum ambitus mentionem factam esse haec verba ostendunt ‘in hoc largitionis quaestu’. Ceterum opinor verbum ‘dico’, quod primum fragmentum incohat, post aliquotiens eadem ratione repetitum esse; neque enim solum ‘convenerunt’ Catilina et Antonius, sed etiam consilia secreta agitaverunt. De his autem certiorem factum esse Ciceronem, per speculatores scilicet, demonstrant ea, quae ipse in ‘expositione consiliorum suorum’ de Crasso et Caesare memoravit[4]).

---

1) Recipio plerumque eas lectiones, quas Kiesslingius et Schoellius proposuerunt; a quibus ubi recedam, id claris verbis indicabo.

2) Necessariam duco Halmii coniecturam; etsi enim ‘noti’ per se bonum sensum praebet (significat ‘berüchtigt’, cf. pro Cael. 13, 31; Verr. acc. I 6, 17; Verr. act. 6, 15), tamen valde dubito, num Cicero dixerit ‘notus in aliqua re’.

3) Ascon p. 83. 4) Ascon. p. 83; v. supra p. 4. n. 2.

Sequitur fragmentum secundum:

II. (2.) *Quem enim aut amicum potest habere is qui tot cives trucidavit, aut ⟨clientem is⟩ qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?*

Quod fragmentum quomodo cum primo cohaereat, non difficile est dictu. Hic enim erit, ut opinor, sententiarum nexus: Catilinam et Antonium fautoribus uti nobilibus quibusdam viris (1.); praeter eos neque ex senatu neque ex populo quemquam habere amicum (2.).

Iam omisso orator Antonio de solo Catilina dicit primum in fragmento

III. (3.) *Nec senatum respexit*[1]*), cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.*

Inter hoc et fragmentum sequens:

IV (4.) *In iudiciis quanta*[2]*) vis esset didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium aut illa absolutio nominanda est.* non ita multa interciderunt. Illic enim vexationes provinciae Africae, hic iudicium significatur ob eas de Catilina factum. Absolutus erat ab equitibus et tribunis aerariis, quibus huius rei ignominia inusta iis senatoribus gratum fecit, qui illum damnaverant[3]); idque eo magis, quod ii antea in iudiciis regnantes, tunc equitibus et tribunis inferiores his valde gaudebant aliquid exprobrari.

Venimus nunc omissis iis fragmentis, quae ab Asconio extra ordinem allata sunt, ad fragmentum nonum:

V. (9.) *Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.*

Gravissima hoc loco quaestio oritur, utrum fragmentum nonum continuo excipiat quartum, necne. Potuit enim fieri, ut Asconius eo,

---

1) Traditum est: 'ne se (si) iam tum (tam) respexit (despexit)'. Johnius (mus. rhen. 31, 401. n. 1) frustra defendit hanc scripturam: 'nec se iam tum respexit'. Haec enim minime significant 'schon damals nahm er keine Raison an'. Praeterea 'se respicere' Cicero nusquam, Plancus et Terentius uno uterque loco dixere. Scribendum est cum Kiesslingio-Schoellio 'nec senatum respexit'. Similiter Cicero infra dixit (p. 90) 'a senatoribus?'

2) I. e. 'wie wenig'; similiter dixit C. (p. 87) in frgm. 9. 'quanti faceret'.

3) Ascon. p. 90.

unde digressus erat, nollet redire, sed ut post fragmentum octavum pergeret interpretari. Si hoc statuimus: quo tandem modo fragmentum nonum cum antecedentibus coniunctum fuit? Paucis adumbratae sunt in fragmento septimo singulae res, quae postea exponuntur pluribus. Cum igitur in fragmento octavo Cicero de his verbis 'diripuit socios' uberius dicat, fortasse haec 'caede nefaria cruentavit' in fragmento nono descripta esse putabis. At neque est Ciceronis tam confuso res propositas ordine illustrare, neque fragmentum nonum ad illa verba pertinet. Nam ibi exemplo caedis Gratidiani demonstratur, quantam in populum impudentiam ostenderit Catilina. Porro vocula 'vero' (frgm. 9.) iam antea de Catilinae impudentia dictum esse indicat. Denique fragmentum nonum excepisse octavum rati, quod fragmentum 8. cum 24. coniungendum est, nonum post vicesimum quartum collocare Asconiumque mirifice omnia permiscuisse fragmenta credere cogeremur. Quid plura? Si fragmentum nonum post quartum ponimus, optime procedit oratio. Manifestum est enim fragmenta 3. 4. 9. et

VI. (10.) *Me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. Utrum ⟨me⟩*[1] *aequo animo laturum putavit? At*[2] *in suo familiarissimo viderat me ne aliorum ⟨quidem⟩ iniurias mediocriter posse ferre.*

et forma et sententia cognata esse. In omnibus enim non solum ea notio, quae gravissima est, primum locum tenet (nec senatum — in iudiciis — populum vero — me), sed etiam mentio fit impudentiae, qua fuerit Catilina in senatum (frgm. 3.), in iudices senatorios (4.), in populum (9.), in Ciceronem (10.). Hunc quidem maxime laesit Catilina, quod illius auxilium a. 689/65 ultro oblatum repudiavit eamque rem in contione aliqua Ciceronem irridens non dubitavit aperire. Non enim persuadere mihi possum Ciceronem haec dicturum fuisse (in or. pro Cael. 6, 14) 'me ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit, cum et civis

1) Consentio cum Kaysero 'me' esse inserendum, sed hanc vocula m post 'utrum', quam post 'laturum' ponere malo. Nam si scriptum erat 'utrummeequo' (cf. Ascon. p. 84/75. n. 15. 'equa in re') 'me' facillime poterat excidere.

2) Comprobo cum Kiesslingio Madvigii coniecturam 'at' pro 'an' scribentis.

mihi bonus et optimi cuiusque cupidus et firmus amicus ac fidelis videretur', nisi Catilina antea rem in medium protulisset.

Hucusque Catilinae facinora enumerata sunt; sequitur altera pars orationis, qua demonstretur Catilinam et Antonium, quocunque possint modo, consulatum occupare velle. Comparare igitur sibi socios gladiatoresque (frgm. 11. 12.) ad vim faciendam paratos, praeterea per Orestini pecunia corrupti intercessionem impedire S. C. ac legem de ambitu denuo rogandam (13.).

VII. VIII. (11. 12.) *Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet, ex quibus ait se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.* (12.) *Alter induxit † eum quem potuit,*[1]) *ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est.*

Haec duo fragmenta tam arto formae ac sententiae nexu coniuncta sunt, ut unum ex iis efficere probabilius sit, quam aliquid inter ea supplere. Contra inter fragmenta 10. et 11. haud pauca interisse censeo.

Pergimus ad fragmentum

IX. (13.) *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire ut coepit senatusconsultum; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.*

Quaerendum est, 'quamobrem' Cicero tribuni mercedem augendam esse dixerit: scilicet quod Orestinus S. C. tam scite et constanter etiam fremente senatu intercedebat, ut corollarium insuper meruisse videretur. Haec igitur ante fragmentum 13. exposita sunt. In hoc autem fragmento Cicero Catilinam frustra laborare monet; nam consulatum non impetraturum, immo poenas propter ambitum etiam lege Calpurnia esse daturum. Qua sententia Cicero transgressum sibi paravit ad tertiam partem orationis, ubi, quantulam spem consulatus occupandi habeant competitores sui, docet. Exstant ex hac parte fragmenta 14. 15. 16. 17. 18. 19. Proponam singula.

X. (14.) *Atque ut istum omittam in exercitu Syllano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium —*

1) Haec verba sana esse nego, sed emendationem satis probabilem invenire mihi non contigit.

XI. (15.) *Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcacio cos. in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.* XII. (16.) *A senatoribus? qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt?* XIII. (17.) *Ab equestri ordine, quem trucidasti?* XIV. (18.) *A plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut ⟨te⟩ nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit?*

XV. (19.) *Quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Syllam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.*

Quorum fragmentorum primum et ultimum parvis spatiis ab antecedentibus et a sequentibus distare, reliqua fere continuari et in totum posse coniungi videntur. Quanquam non nego Asconium fortasse nonnulla vocabula, sicut in fragmento 8. verba 'cuncto populo reclamante ac resistente' praeteriit, ita in his quoque fragmentis omisisse. Ceterum clare hic perspici potest accuratissima enuntiatorum descriptio. Legimus enim: 'a principibus, qui — (15.) a senatoribus, qui — (16.) ab equestri ordine, quem — (17.) a plebe, cui — (18.). Similiter in fragmentis 3. 4. 9. 10. singuli enumerantur, quos Catilina laeserit. Apparet et hic et illic Ciceronem perparvam materiem eo consilio tam subtiliter et accurate disiunxisse, quo plura et graviora dicere videretur, quam dixit. Iam quae inter fragmenta 14. et 15. et inter 18. et 19. perierint, non difficile est exploratu. Nam post fragmentum 14. narravit Cicero Antonium suo beneficio ex ultimo ad tertium locum praeturae pervenisse, nec vero facilius consulatum nacturum esse. Deinde ad Catilinam transiit eumque neque a principibus civitatis (15.), neque a senatoribus (16.), neque ab equitibus (17.), neque a plebe (18.) creatum iri confirmavit. Postremo, quo maiorem Catilinae invidiam faceret, in caede Gratidiani diutius commoratus est. Hoc loco quae desunt supplendi opportunitatem nobis praebet Quinti Ciceronis commentariolum petitionis (3, 10). Sed nolo pro certo habere Marcum etiam illa mutuatum esse a fratre; at si in fragmento nono de eadem re similiter atque Quintus locutus est, haud longe a vero recedemus, si idem statuemus de hoc loco. Praeterea huc nomina Caecilii,

Volumnii, Tanusii inserenda esse iam supra[1]) ostendi. His praemissis Cicero in fragmentis 20. et 21.

XVI. (20.) XVII. (21.) *Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non ⟨dixerint? at illi multa⟩ dixerunt, quae tibi dicere non licebit — Primum dicere potuerunt imperitos se homines esse, nec, quantum scelus susciperent, satis intellexisse; deinde, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori se paruisse. — Denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem † impudentiae[2]) locum reliquisti. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.*

ita cum Catilina loquitur, quasi iam reus inter sicarios factus sit. Haec dicere non poterat, nisi Lucceium Catilinae nomen delaturum esse iam certo sciebat[3]). Lacunam inter fragm. 20. et 21. ita, ut feci, explendam esse supra (p. 23) exposui.

Veniamus nunc ad fragmenta 22. 23. 24. 8. 7., quae simul omnia liceat mihi tractare. Ordiendum est a fragmento 24.,

---

1) P. 22.

2) Hoc verbum corruptum est. Ego, donec melior reperiatur emendatio, ita scribere velim 'quidem impudenter locum r.'

3) L. Lucceium iam ante comitia consularia a. 690/64 Catilinae nomen detulisse ad Iulium Caesarem aedilicium, qui tum quaestioni de sicariis praecerat (Lange R. A. III² p. 230), sed hunc aut nomen non recepisse, aut iudicium ultra com. consul. prolatasse Johnius l. l. p. 736. (cf. 734. 735.) opinatus est. Huius coniecturae causas affert duas „dass Cicero mit der grössten Bestimmtheit von diesem Prozess spricht —, ferner, dass Catilina im Fall der Designation der Anklage entzogen gewesen wäre (vgl. Asc. p. 19, 14 fg. Dio 39, 7)." At ex illa re non continuo sequitur, ut Lucceium iam ante com. consul. accusationem Catilinae frustra instituisse censeamus — an Asconium hoc silentio praeterisse putas? Et ipse Johnius alio loco (in mus. rh. 31. p. 414) item ad Asconium provocat —, contra rem simpliciter reputantibus Cicero aliquo modo de Luccei consilio certior videtur factus esse. Alteram vero causam prorsus nullam esse cum Asconius p. 19 („ne Scaurus — antequam de eo iudicari posset, magistratum iniret") tum Cicero frgm. 13. huius orationis („qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus") satis clare ostendunt, neque vero his minorem fidem habebimus, quam Dioni (39, 7 „ὡς καὶ τὴν δίκην τῆς βίας, ἂν ἀποδειχθῇ, διαφευξόμενος"). Denique in verbis Ciceronis: „Quare praeclara dicentur iudicia tulisse si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem" (frg. 21.) non

quod cum 8. coniunctum et 24. loco positum hoc numero: 24ª. signamus. Quodsi fragmentum 8. suo loco repositum est, quia Asconius notatione 'postea' hoc post septimum fuisse indicat, septimum locabimus ante 24ª. In septimo autem fragmento breviter eae res proponuntur, de quibus Cicero postea dicturus est. Hoc reputantibus nobis nullus occurrit intra fragmentum 1. et 21. locus, quo apte fragmentum septimum possit constitui. Reliquum est, ut aut ante fragmenta 22. et 23., aut inter ea, aut post ea ponamus. Sed quominus duobus fragmentis intericiamus, prohibet et ea res, quod fragm. 22. et 23. arte cohaerent, et ea, quod Cicero in fragmentis 22. et 23. cum Catilina, in fragmento septimo de eo loquitur. Eadem de causa ne post 23. quidem ponemus. Praeterea notio 'postea', quae inter 7. et 8. est, non brevi intervallo distare alterum ab altero significat, — ad hoc Asconius utitur notatione 'paulo post' — sed satis magnum inter utrumque spatium intercedere. Ergo nulla optione relicta fragmentum 7. ante 22. collocabimus ita:

XVIII. (7.) *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit —*

XIX. (22.) *Hanc tu habes dignitatem qua fretus me contemnis et despicis, an eam quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.* Sequuntur deinceps fragmenta:

XX. (23.) *Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.*

XXI. (8. 24. h. e. 24ª.) *Quid? ego ut violaveris provinciam praedicem cuncto populo reclamante ac resistente?*[1]) *Nam*

---

cum Johnio statuemus (l. l. p. 734) inesse „die Vorausankündigung der Freisprechung Catilinas —", immo Cicero, ne Catilina postea absolveretur, prohibere studebat, cum demonstraret magno iudicibus dedecori fore absolutionem Catilinae.

1) Patricii coniecturam pro 'violaveris pr.' bis 'involaveris in pr.' scribentis quanquam Madvigius (in libello supra l.) probavit, reicio, quoniam duobus locis (p. 86. 93) eadem verba sine ulla variatione exstant, ac Mommseno adsentior iudicanti (in noviss. edit. app. crit. illi frgm. subscripto) 'iniuriam significari in repetundarum iudicio

ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse aliud nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!

Hunc ordinem fragmentorum verum esse satis certis probare possumus rationibus. Cum enim res in fragmento septimo paucis circumscriptae in fragmentis 22. 23. 24ª., quae sequuntur, pluribus illustrentur, in fragmentis 22. et 23. de his verbis 'stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit', in fragmento 24ª. de his 'diripuit socios' deinceps agitur. Verba quae restant 'caede nefaria cruentavit' inter fragmenta 23. et 24ª. ita tractata videntur esse, ut denuo Catilinae caedes Caecilii, Volumnii, Tanusii probro sint datae[1]). Iam fragmenta 22. et 23. in unum conflanda sunt non solum propterea, quod utrumque de stupris Catilinae est, sed etiam quod in utraque singulae orationis particulae vocabulo 'cum' saepius atque in principio repetito conexae sunt. Ergo, si quidquam, certe huiusmodi sententiolas aliquot intercidisse veri simile est. At mihi quidem nihil hic desiderari videtur, quod, cum post fragmentum 23. prorsus nihil etiam gravioris momenti afferri possit, illorum stuprorum numerum augere importunum est.

Neque vero multa interierunt inter fragmenta 24ª. et 25., scilicet ea, quibus, quam vera essent verba 'leges, quaestiones, iudicia violavit', exemplis demonstrabatur. Id autem fecit Catilina, quod plurimos iudices ipsumque accusatorem Clodium in causa repetundarum pecunia data corrupit[2]). Quod ad leges attinet, despexit profecto leges de ambitu[3]) et de numero sectatorum et similes. Fortasse etiam in causa incesti, quod cum Fabia, virgine Vestali, commisisse arguebatur[4]), contemptim lo-

---

provinciae illatam'. Tum, ut magis rhetorice conformetur sententia, post 'quid' interrogationis signum pono. Reliqua sana sunt, si cum Halmio pro 'clamante' 'reclamante' scripseris (cf. nunt. Mon. 1862 II p. 29 et Cic. in Pis. 2, 5. 13, 29.).

1) V. supra p. 23. 2) Ascon. p. 87. 88. Cf. comm. pet. 3, 10.
3) Cf. Cic. pro Sulla 22, 63. 4) Ascon. p. 93.

cutus erat de iudiciis, sive in ipsa actione, sive alibi. Porro fragmento septimo aliquid addere velim. Non enim dubium est, quin fragmentum

XXII. (25.) *Praetereo nefarium illum conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem, caedem optimatum facere voluisti.*

cum antecedentibus artius coniungi et simul cum aliis ad fragmentum septimum referri debeat. Quare fragmento septimo haec fere adicio: 'ipsum reipublicae statum labefactare conatus est'. In fragmento autem 25. Cicero, etsi hanc rem praeterire se velle fingit, tamen, quoniam maxima quaeque praeteritionis figura usus dicere solebat, Catilinam sane gravissime afflixit[1]). Sententia denique eius partis orationis, quae complectitur fragmenta 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 7. 22. 23. 24ª. 25. haec fere est: Catilinam nullam spem consulatus habere, primum quod impudentia sua flagitiisque omnes ordines laeserit, deinde quod eam dignitatem amiserit, quam omnes candidati consulares habere debeant.

Satis iam Cicero de Catilina dixerat; restabat, ut de Antonio et Orestino verba faceret. Ad quos hoc fere modo transiit, ut exponeret: Catilinam utique indignum esse consulatu, Antonium saltem minus dignum, quam ipsum. Ita enim populum iudicasse, cum praetores a. 688/66 creasset. Quae hic perierunt maiorem partem ad Antonium pertinuisse, quam ad Catilinam probabilius est. Tametsi enim Ciceronem, ut et Catilinae vitia clarius illustraret, neve Antonii ut collegae magis exoptati stomachum nimis moveret, huic multo magis pepercisse, quam Catilinae, ex fragmentis elucet, tamen iusto brevius de Antonio actum fuisset, si hoc loco plura de Antonio intercidisse negaremus. Sequitur deinceps fragmentum

XXIII. (26.) *An oblitus es te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boculus nunquam impetrasset?*

Quid praeterea hic protulerit, dubium, nisi hoc probabile

1) Cf. John. l. l. 719. 735.

eum nonnullas eiusdem generis narratiunculas dictaque illis addidisse.

Praeter 26. unum fragmentum ad solum Antonium pertinet quintum, idque incertae sedis. Quo igitur loco collocandum est? Non quidem post fragmentum secundum, quia Asconius infra, non supra quattuor illa fragmenta elegit; neque haberemus, quo commode fragmentum sextum insereremus, quippe quod illud statim sequi Asconius indicet. Ex tribus reliquis locis, de quibus cogitare possumus (frgm. 11. 14. 26.), primum reiciendum est fragmentum 11., praecipue quod fieri non potest, ut fragmentum 6. ante 11. ponatur. Minus etiam idoneus ob eandem causam est locus circa fragmentum 14. Superest fragmentum 26. Pone hoc fragmenta 5. et 6. locabimus.

XXIV. (5.) *Nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et conlatione centuriarum et meo maxime beneficio ex postremo in tertium locum esse subiectum?*

XXV. (6.) *Te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesterna die me esse dignum consulatu negabas. Quid? p. R. minus diligenter sibi constituet*[1]) *defensorem quam tu tibi? Cum tecum furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cuius tu auxilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem p. R. auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore cum L. Caleno furti depectus sis, eo ⟨te⟩*[2]) *tempore in me tibi parum esse auxilii vidisse.*

Quantum sit spatium inter fragmenta 26. et 5. definire non possumus. Nonnullas vero sententias ex initio fragmenti 6. restituere licet. Ibi cum summa totius enuntiati vis posita sit in verbis 'tam male de p. R. existimare', ita fere Ciceronem dixisse nobis fingemus: populum Romanum in comitiis praetoriis sese digniorem praetura duxisse, quam Antonium, idque Antonium

1) Ita cum Halmio (l. l. p. 28.) pro 'constitueret' scribendum est; nam de consulatu dicit Cicero.

2) Necesse est voculam 'te' aliquo inseri. Aptissimus est locus ante 'tempore'. Repetitum vocabulum 'tempore' nullam offensionem habet.

neque ignorare (fragm. 26. 5.), neque negare; Orestinum tamen de populo Romano male existimare se moleste ferre (fragm. 6.).

Tandem ad finem orationis pervenimus, nam duo fragmenta, quae supersunt, si non conclusisse orationem, tamen in extrema fuisse oratione videntur. Ac fragmentum alterum:

XXVI. (27.) *Qui posteaquam illo ⟨quo⟩ conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere*[1]).

satis sanum est, contra alterum:

XXVII. (28.) *Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse lapillum Catilinae † iudic. quã Q. ve Curium hominem quaestorium.*

tam corrupte traditum est, ut ne sententiam quidem elicere, nedum pristinam formam restituere possimus. Hoc certum est Ciceronem in utroque fragmento 'de malis civibus dixisse'[2]). Et ne hoc quidem dubium, quin hic iidem significentur, atque in principio orationis. Neque hoc inconsulte fecit Cicero. Sicut enim, cum coepit dicere, audientibus novarum rerum metu admovendo id quod volebat, ut facinora conatusque Catilinae etiam periculosiora viderentur, plane consecutus est, sic in fine ad eosdem socios ac fautores Catilinae et Antonii recurrens priorem metum non solum renovavit, sed etiam auxit effecitque, ut ipse consul omnium consensu fieret, Catilina repulsam acciperet. Quot ante fragmenta 27. et 28. aut inter ea, aut post ea interciderint, enucleare non possumus. Hoc unum dicere licet Ciceronem nonnulla similia illis addidisse.

In fine huius capitis brevem descriptionem orationis in toga candida habitae proponere in animo est. Sed praemoneo, ne dispositionem rhetorum praeceptis diligenter accommodatam requiras. Hoc vetabat argumentum orationis. Statuendum igitur est, secundum quas rationes tota materies disiuncta sit. Atque,

---

1) Quanquam Asconius dicit 'duas sicas Catilinam et Antonium appellari manifestum est', tamen, nescio quo pacto, Drumannus (G. R. V, 421) 'Catilinam et Antonium sicas destringere' dicit hoc fragmentum respiciens. Contra Catilina et Antonius sicae nuncupantur a Caesare et Crasso destrictae.

2) Cf. p. 24.

si tota oratio in toga candida h. de coitione Catilinae et Antonii est[1]), etiam singulas partes ad eandem referre debemus coitionem. Quod num commode et apte fieri possit, dispositionis imago, quam extemplo hic subscribam, manifesto ostendet.

A. Exordium

videtur fuisse

a) de Orestini intercessione,

b) de huius auctoribus, Catilina et Antonio. [Ex hac orationis parte nihil servatum est.]

B. In Tractatione

Cicero I., senatus consultum defendit, cum

a) describit ambitum Catilinae et Antonii et

b) dicit de hominibus nobilibus coitionis fautoribus. [Lacuna, fragm. 1., lacuna.]

II., parte, qualis sit coitio, ostendit moribus factisque Catilinae expositis. [Frgm. 2., lacuna, frgm. 3., lacuna, frgm. 4., lacuna, frgm. 9., lacuna, frgm. 10.] In

III., parte dicit de coitionis consiliis. Quae, qualia sint, inde apparet, quod

a) vim et arma parant Catilina et Antonius, [Lacuna, frgm. 11., frgm. 12.]

b) Orestinum mercede adduxerunt, ut senatus consulto intercederet. [Lacuna, frgm. 13., lacuna.] In

IV., parte demonstrat coitionem nullam spem habere. Catilina nullam habet, quod

a) nemo eum creaturus est, immo quidam mox accusaturus; [Frgm. 14., lacuna, frgm. 15., frgm. 16., frgm. 17., frgm. 18., lacuna, frgm. 19. — lacuna, frgm. 20., lacuna, frgm. 21.]

b) quod nullam habet dignitatem. [Lacuna, frgm. 7., lacuna, frgm. 22., frgm. 23., lacuna, frgm. 24ª., lacuna, frgm. 25., lacuna.] In

V., parte exponit Antonium, etsi maiorem dignitatem Catilina habere, tamen multo minorem ipso. Id illustratur exemplis e vita Antonii sumptis. Interea breviter attingit Orestinum. [Frgm. 26., lacuna, frgm. 5., fragm. 6., lacuna.] In

VI., parte, quam perniciosa sit coitio reipublicae et senatus auctoritati, memorat. [Frgm. 29., lacuna, frgm. 28., lacuna.]

---

1) Ascon. p. 83.

C. Conclusio

fortasse continebat et admonitiones precesque atque exposita Ciceronis consilia voluntatesque et Ciceronis de Orestini intercessione sententiam. [Ex hac parte nullum fragmentum superest.]

Caput tertium.

Etiamsi ea, quae hucusque de fragmentis huius orationis ordinandis complendisque disputavi, magnam partem e rationibus non satis certis pendere videantur, tamen me, si quae inter singula fragmenta perisse puto, iam breviter describere conabor, cum nimiae audaciae crimen evitaturum, tum aliquod operae pretium facturum esse spero. Neque vero ignoro ne a sagacissimis quidem viris proprias Ciceronis cogitationes, nedum verba certo divinari atque ita fragmentis ingeri posse, ut pristina renascatur oratio. Contra nimius is quoque videtur, qui omnia, quae a Cicerone in hac oratione dicta esse variis de causis probabile est, ut incerta abiciat ac de restituendo sententiarum tenore prorsus desperet, cum praesertim permulta fragmenta, si parvum totius orationis circuitum respexeris, ab Asconio servata esse supra demonstraverim[1]). Praeterea non inutile videtur et eum fragmentorum ordinem, quem verum duco, et eas cogitationes praecipuas, quas inter fragmenta fuisse supra probare studui, summatim in conspectum producere, quo facilius sententias meas percensere atque examinare possint legentes.

Cicero in prooemio haec fere dixit: 'Aegerrime se ferre, quod Orestinus senatus consulto, reipublicae saluberrimo, sine ulla iusta causa intercederet. Cuius intercessionis auctores esse Catilinam et Antonium; quos contra ipsum coïsse ad consulatum, quocunque modo possent, occupandum.'

Tum transiit ad tractationem hunc fere in modum: 'Quare cum ambitum immodicis largitionibus ac maxima cum impudentia facerent, suo iure senatum decrevisse, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Apparere, quam periculosa esset reipublicae saluti ambitus licentia illa, quam Catilina et Antonius adhiberent, non illi quidem sua sponte, sed virorum quorundam potentissimorum consilio atque opera freti[2]).'

1) P. 9. 2) V. supra p. 25.

I. (1.) *Dico, P. C., superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu docti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.*

Lacuna non admodum magna, ubi haec fere exposita erant: 'Illic Catilinam et Antonium cum fautoribus suis secreta consilia agitare, illic ministris mandata viritim dare, inde magnas illas pecunias hauriri, quibus ambitionem et forensem laborem sustinerent. Sed nobiles illos Catilinae socios per speciem eius causae favendi nihil nisi id agere, ut sua consilia, quae, quam perniciosa reipublicae futura essent, se vix audere explicare, quam primum ad effectum adducerent. Neque ex summis, neque ex infimis quemquam propensa voluntate esse in Catilinam et Antonium[1]).'

II. (2.) *Quem enim aut amicum potest habere is qui tot cives trucidavit, aut ⟨clientem is⟩ qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?*

Lacuna non admodum magna, in qua has cogitationes fuisse puto: 'Quamobrem fore, ut praeter improbos ac perditos cives nemo Catilinam suffragio ornaret. Quicunque enim Catilinae vitam ante actam reputaret, eum facere non posse, quin summo supplicio potius, quam summo honore dignum esse illum iudicaret. Annon a Catilina omnes bonos omnium generum atque ordinum acerbissime laesos esse? Catilinam Africae provinciae, quam propraetor gravissime vexavisset, luctus et lacrimas superbe neglexisse.'

III. (3.) *Nec senatum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.*

Lacuna perparva.

IV. (4.) *In iudiciis quanta vis esset didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est*[2]).

Lacuna perparva.

V. (9.) *Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.*

Lacuna perparva.

VI. (10.) *Me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. Utrum ⟨me⟩ aequo animo laturum putavit? At in suo familiarissimo viderat me ne aliorum ⟨quidem⟩ iniurias mediocriter posse ferre*[3]).

Lacuna non admodum magna. Transitum ad frgm. sequens

1) V. supra p. 25. 2) V. supra p. 26. 3) V. supra p. 27 sq.

ita nobis fingere possumus, ut Ciceronem haec fere dixisse putemus: 'Se non tam impotentem esse, quam fortasse Catilinae videretur. Nam cum legum vi atque auctoritate, tum studio atque voluntate omnium bonorum se uti praesidio firmissimo; quibus si secreta Catilinae eiusque fautorum consilia aperuisset, fore, ut multo acrius ipsi succurrerent, adversarentur Catilinae. Quales enim consules futuros esse eos, qui, quoniam desperarent de cuiusquam boni amicitia atque auxilio, operas et manum compararent ad consulatum, si non legitima via, tamen per vim et arma petendum.'

VII. VIII. (11. 12.) *Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet, ex quibus ait se cum velit subito fugitivorum bellum excitaturum.* (12.) *Alter induxit † eum quem potuit*[1]*), ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est*[2]*).*

Lacuna parva. Cicero sic fere perrexit dicere: 'Verum Catilinam et Antonium non habere, quod extrema experirentur, donec per strenui ac praeclari cuiusdam tribuni pl. intercessionem legitimam scilicet, etsi grandi pecunia emptam, quaecunque nollent impedirent.'

IX. (13.) *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire ut coepit senatus consultum; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus*[3]*).*

Lacuna non admodum magna, quae continebat hanc sententiam: 'At vero non esse periculum, ne futurum esset, ut Catilina et Antonius una consules crearentur. Nam neque Antonium, neque Catilinam ullam spem consulatum adipiscendi habere.'

X. (14.) *Atque ut istum omittam in exercitu Syllano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium* —

Lacuna perparva, quae hoc modo expleri potest: 'fuisse, considerate, quomodo praetor factus sit. Meo enim beneficio factum est, ut Antonius ex postremo in tertium locum subiceretur. Nunc autem, quoniam societate cum Catilina facta me omnesque bonos adversarios habere maluit, quam amicos, ne tantulum quidem spei retinere debet, quantum in praeturae petitione[4]*).*'

---

1) V. supra p. 28. 2) V. supra p. 28.
3) V. supra p. 28 sq. 4) V. supra p. 29 sq.

XI.—XIV. (15.—18.) *Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcacio cos. in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.* (16.) *A senatoribus? qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt?* (17.) *Ab equestri ordine, quem trucidasti?* (18.) *A plebe, cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut ⟨te⟩ nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit?*

Lacuna perparva, quam Quinti Ciceronis verbis (comm. pet. 3, 10) usus sic expleo: 'Annon hominem carissimum populo Romano, M. Marium, inspectante populo Romano vitibus per totam urbem cecidisti, ad bustum egisti, ibi omni cruciatu lacerasti, vivo stanti collum gladio tua dextera secuisti, cum sinistra capillum eius a vertice teneret?'

XV. (19.) *Quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Syllam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.*

Lacuna non admodum magna, ubi Ciceronem haec explicasse opinor: 'Praeterea Catilinam tres viros clarissimos, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium crudelissime occidisse[1]). Quid ergo? Tam sceleratum hominem habere, quod se consulem creatum iri speraret? Catilinam non solum repulsam accepturum esse, sed etiam propter caedes illas reum fore. Nonne brevi ante Catilinae *avunculum*[2]) L. Bellienum, qui iussu Sullae Lucretium Ofellam trucidasset, item L. Luscium ob tres caedes proscriptorum accusatos esse meritasque poenas dedisse?'

XVI. (20.) XVII. (21.) *Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non ⟨dixerint? at illi multa⟩ dixerunt quae tibi dicere non licebit — Primum dicere potuerunt imperitos se homines esse, nec quantum scelus susciperent satis se intellexisse; deinde, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori se paruisse*[3]) — (21.) *Denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem impudenter locum reliquisti*[4]). *Quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.*

Lacuna parva, quae hanc sententiam continuisse videtur:

1) V. supra p. 22. 2) V. supra p. 23.
3) V. supra p. 23. 4) V. supra p. 30.

'Catilinam quidem prorsus desperare de consulatu occupando necesse esse, quod dignitatem illam, quam candidati consulares utique habere deberent, amisisset facinoribus cuiuslibet generis commissis.'

XVIII. (7.) *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit, ipsum reipublicae statum labefactare conatus est*[1]).

Lacuna perparva.

XIX. (22.) XX. (23.) *Hanc tu habes dignitatem qua fretus me contemnis et despicis, an eam quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.* (23.) *Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.*

Lacuna parva, ubi haec mihi videntur interisse: 'An dignitatem sibi parasse Catilinam M. Mario, Q. Caecilio, M. Volumnio, L. Tanusio singulari immanitate et crudelitate trucidatis?'

XXI. (24ª.) *Quid? ego ut violaveris provinciam praedicem cuncto populo reclamante ac resistente? nam ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse aliud nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!*

Lacuna non admodum magna, quae sic fere expleri potest: 'Porro Catilinam non solum leges de ambitu, de numero sectatorum, similes violasse, verum etiam religionem veritatemque iudiciorum perfregisse. Quem enim nescire Catilinam ex illo iudicio de repetundis facto tam egentem discessisse, quam quidam iudices eius, atque is ipse, qui accusasset, antea fuissent. Iam vero nihil se dicere velle de secretis Catilinae consiliis, quamvis bene omnia perspexisset.'

XXII. (25.) *Praetereo nefarium illum conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem, caedem optimatum facere voluisti*[2]).

---

1) V. supra p. 33. 2) V. supra p. 33.

Lacuna magna. Nexus sententiarum hic fuit: 'Catilinam igitur utique indignum esse consulatu, Antonium saltem minus dignum, quam ipsum. Ita enim populum iudicasse, cum praetores a. 688/66 creasset; nec futurum fuisse, ut Antonius tertio loco praetor renuntiaretur, nisi ipse illius causam sublevasset.'

XXIII. (26.) *An oblitus es te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boculus nunquam impetrasset?*

Lacuna parva. Cicero ibi haec videtur exposuisse: 'Quod tunc ipsius amicitiam repudiaret, tantum abesse, ut doleret, ut vehementer laetaretur, quod a molestissima illius impudentia liberatus esset. Sed mirari se Antonium Catilinae amicitia tunc uti malle, quam ipsius, quem, quam dignum amplissimis honoribus iudicaret populus Romanus, illum neque ignorare neque negaturum esse[1]).'

XXIV. (5.) XXV. (6.) *Nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et conlatione centuriarum et meo maxime beneficio ex postremo in tertium locum esse subiectum?* (6.) *Te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesterna die me esse dignum consulatu negabas. Quid? p. R. minus diligenter sibi constituet*[2]) *defensorem quam tu tibi? Cum tecum furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cuius tu auxilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem p. R. auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore cum L. Caleno furti depectus sis, eo ⟨te⟩ tempore in me tibi parum esse auxilii vidisse*[3]).

Lacuna magna. Ad frgm. sequens ita fere transire potuit Cicero, ut diceret: 'Sese nullum timere hostem, minime autem *malos illos cives*[4]), qui Catilinae causam suam facerent. Illorum consilia se perspecta habere' —

XXVI. (27.) *qui posteaquam illo ⟨quo⟩ conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non*

1) V. supra p. 33 sq. 2) V. supra p. 34. n. 1.

3) V. supra p. 34. Huius partis orationis (quintae, cf. p. 36) plus dimidio servatum videtur esse.

4) V. supra p. 35.

potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere.

Lacuna non adeo magna.

XXVII. (28.) *Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse lapillum Catilinae † iudic. quã Q. ve Curium hominem quaestorium.*

Lacuna non adeo magna[1]). In fine orationis, cuius nullum fragmentum exstat, haec fere exposita fuisse puto: 'Darent operam patres conscripti, ut Catilinae licentiam atque audaciam coërcerent, neve eum consulem fieri sinerent. Sese fore fidelissimum legum atque senatus auctoritatis, si consul creatus esset, custodem atque defensorem. Rogare igitur patres conscriptos, ut sibi omnibus viribus suffragarentur. Denique se censere adversus rempublicam facturum esse Q. Mucium, si senatus consulto intercedere perseveraret.'

1) V. supra p. 35.

Vita.

Natus sum Paulus Koetschau Tonndorfiae, in vico Vimariensium, a. d. VII. id. Aug. a. h. s. 1857. patre Ottone, matre Luisa e gente Maerten. Fidem profiteor evangelicam. Cum in ludo publico literarum rudimentis imbutus essem, a. h. s. 1868. tempore paschali Vimariam migravi ibique in gymnasium Guilelmo-Ernestinum receptus cum aliorum virorum doctorum, tum vero Hermanni Rassowii rectoris, Hugonis Weberi professoris disciplina prudentissima humanissimaque sum usus. A. h. s. 1877. maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ubi philologiae operam darem. Ac Lipsiae quidem scholas adii virorum illustrissimorum Braunii, Curtii, Gardthauseni, Goeringii, Langii, Lipsii, Ribbeckii, F. Schoellii; frequentavi exercitationes proseminarii regii philologi, quas J. Lipsius moderabatur, antiquarias Langii, Goeringii philosophas. Post quattuor semestria Tubingam profectus sum, ubi per ter sex menses cum Flachium et Rohdium, tum Gutschmidium prodocentes audivi; Gutschmidii etiam interfui exercitationibus historicis, quas singularis ille vir habuit de Livi epitomatoribus, de fontibus ab Herodoto adhibitis, de Jordanis auctoribus.

Magistris meis cum omnibus, tum Ludovico Lange, Justo Lipsius Lipsiensibus, Alfredo de Gutschmid Tubingensi gratias ago semperque habebo quam maximas.

DE FIGURIS

QUAESTIONES CRITICAE

PART. I.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PRIDIE CALENDAS FEBRUARIAS
H. XII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IOHANNES MUELLER

PUTBUSIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

C. SCHMIDT, DR. PHIL.
H. KUMMROW, CAND. PHIL.
E. COMNICK, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXX.

GUSTAVO SOROF

HUNC LIBELLUM

GRATI ANIMI TESTEM

D. D. L. M.

SCRIPTOR.

Prolegomena.

Studia rhetorica apud Siculos iam prius culta cum in Graecia sub finem quinti a. Chr. n. saeculi exerceri coepta essent, is, qui summus huius artis ac princeps auctor habendus est, figuris tractandis enixe operam dedit, Gorgias Leontinus (cf. L. Spengel, *συναγωγὴ τεχνῶν* p. 63). Is autem solas in verborum figuras (*σχήματα λέξεως*) inquisivit; sententiarum figurae (*σχήματα διανοίας*) omnibus, qui illa aetate floruerunt, rhetoribus erant ignotae ac ne ab Anaximene quidem aut Aristotele commemorantur. Ita factum, ut Caecilius apud Photium (p. 485 Bekk.) in Antiphontis orationibus eas deesse disertis verbis adnotaret; nam eius ipsius demum temporibus haec doctrina ita expolita est, ut diligenter in eam rhetores incumberent et libellos de utriusque generis figuris componerent. Sed cum rectam dicendi rationem ignorarent sanoque et prudenti iudicio carerent, ad genus Asianum confugiebant, crebris illud quidem ac venustis sententiis cumulatum, sed idem spinosa disserendi et argumentandi ratione contortum. Quare Asiani cum discrimen inter figuras verborum et sententiarum primi constituerint, quamquam hic illic artificiosius quam rectius videntur disputavisse, tamen huius artis fundamentum iecisse putandi sunt, quo nixi posteriores in primis Attici, doctrinam mirum quantum promoverunt et provexerunt.

Inter eos autem, qui hoc genus amplexi de figuris scribere coeperunt, Cornificius et Cicero praeter ceteros nominandi sunt, qui, cum studia rhetorica Romae effloruissent, subtiliter hanc doctrinam excoluerunt. Cornificii autem rhetoricorum libros quattuor ad Herennium atque Ciceronis de inventione libros tertiumque de oratore librum quasi cognationis quodam vinculo inter se contineri, non est, quod hoc loco pluribus exponam. Nam etiamsi apud hunc nonnullae figurae inveniuntur, quas apud Cornificium frustra quaeras, tamen dubitari mea quidem sententia non potest, quin illi, quae hac de re disputaverunt, ex Hermagorae scriptis, tamquam ex communi fonte hauserint.

Sed haec nunc omitto, cum de duobus Graecis rhetoribus disserere mihi proposuerim, qui eadem fere aetate floruerunt, de Gorgia et Caecilio.

Ac primum quidem de Gorgia sive de Rutilio Lupo (cf. Quint. IX 2, 106) videamus; Gorgiae enim liber, quem ipsum non iam habemus, ex parte nobis in Rutilii libris servatus est. Hac de re Quintilianus IX 2, 102: *praeter illa vero*, inquit, *quae Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia et idem Rutilius Gorgian secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cuius quattuor libros in unum* [1])

1) Quintilianus Rutilium in unum suum transtulisse dicit quattuor Gorgiae libros; extant autem duo. Itaque Quintiliani verba corrupta esse cum Ahrensio existimaverim, qui de hac re accurate disputavit Zeitschr. f. Alterthumswiss. 1845 p. 158 sq. Nam mirum profecto esset, si unus Rutilii liber postea in duos distractus esset, atque ipsa Quintiliani verba corruptelae speciem prae se ferre Ahrensius animadvertit, quem non *in unum suum transtulit*, sed *in unum suum contraxit* scripturum fuisse recte dicit et veram medelam idem huic loco adhibuit, cum una littera mutata *in usum suum transtulit* scriberet. Quintiliani vero verba librarii neglegentia depravata esse etiam aliis de causis probabile est. Apud eum enim IX 2, 103 et 106 schemata a Rutilio constituta haec proponuntur: ἐπακολούθησις, συλλογισμός, κατάπληξις, παραινετικόν, ἀναγκαῖον, ἀνάμνησις, ἀνθυποφορά, ἀντίρρησις, παραύξησις, προέκθεσις, ἐναντιότης, μετάληψις, quae schemata διανοίας sunt et praeter ἀναγκαῖον omnia apud Rutilium desunt. Contra IX 3, 99 hae figurae enumerantur: παρομολογία, ἀναγκαῖον,

suum transtulit, et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata.

Ex his Rutilium ita a Gorgia pendere intellegimus, nullum ut discrimen inter eos statui possit, immo Rutilius Gorgiae vestigia pressisse putandus sit. Quare quod inter carmen de figuris et Rutilii libros mirus quidam consensus est, inde Rutilium illius fontem fuisse minime nobis licet conicere, cum eodem hoc argumento ad Gorgiam [2]) ducamur.

Ut vero Asiaticae dictionis quae propria sint perspiciamus, e consensu doctrinae, quae inest in Cornificii, Ciceronis, Gorgiae (Rutilii et carminis de figuris) libris, et auctores, quos illi laudant, et schemata, quae ab eis tractata sunt, accurate perlustremus necesse est. Atque auctores quidem, in quorum scriptis illi in primis versati sunt, exploraturus, si Rutilii librum legeris, Gorgiam et oratores vel potius aucto-

---

ἠθοποιία, δικαιολογία, πρόληψις, χαρακτηρισμός, βραχυλογία, παρασιώπησις et ibid. § 91: *finitio*, § 92: ἀλλοίωσις, § 93: αἰτιολογία, § 94: προσαπόδοσις, § 65: παραδιαστολή, § 68: ἀνταπόκλασις, § 36: πολύπτωτον. Haec schemata sunt verborum et omnia apud Rutilium inveniuntur. Quid igitur? Habemus duos libros Rutilii, quibus ab eo schemata λέξεως exposita sunt; totidem libri, quibus figurae διανοίας erant tractatae, perierunt. Quattuor igitur Gorgiae libros in totidem libros latinos transtulit. Ceterum ne Rutilium schemata διανοίας habuisse incerta coniectura dixisse videar, eius libris titulum schemata dianoeas in codicibus praefigi moneo, quamvis verborum tantum figuras nunc quidem contineant, atque Quintilianus IX 2, 108 addit: *Rutilius quidem Lupus eam* (comparationem) *in utroque genere posuit idque* ἀντίθετον *vocat.*

2) Alterum exemplum Graeci libri a Romano rhetore expressi affero, Aquilam Romanum (rhet. lat. min. ed. Halm p. 22—37), qui Alexandri Numenii librum in latinum sermonem vertit, id quod non solum ex Alexandri epitomis colligere licet, sed diserte Rhenaniana editio, ex codice Spirensi nimirum, testatur. Is in priore parte, qua schemata διανοίας tractantur, quem ordinem in fonte suo invenit, servavit, nisi quod post primam figuram insequentes septem omisit, sive, quae Wilamowitzii sententia est, librariorum incuria apud Aquilam periere; idem monuit Alexandri capita 13. 14. quae item apud Aquilam desunt, spuria esse. In altera parte non religiose ordinem retinuit, nonnulla schemata omisit, alia addidit; exempla vero plurima Aquila ex auctoribus latinis in utraque parte sumpsit.

res vere Atticos et eos oratores, qui inde ab Alexandri temporibus floruerunt Asiaticae disciplinae principes [3]) atque magistri, laudavisse videbis.

Quod vero ad schemata attinet, omnes figuras in illis libris propositas enumerare et explicare longum est; satis erit ex iis, quae inter Cornificium et Ciceronem atque Rutilium et carmen de figuris consentiunt — sunt autem e quadraginta figuris, quas diversas Rutilius et carmen de figuris habent, duodequadraginta — luculenta aliquot exempla eligere, quibus doctrina rhetorum Asianorum demonstretur, velut ἀναγκαῖον (Rutil. I 20) nusquam legitur nisi apud Cornificium p. 22, 12 et Ciceronem de inv. II 98; — ἐπιτροπή (Rut. II 17 et carm. de f. 67: *concessio*) describitur a Cornificio p. 168, 9, nominatur a Cicerone, deest apud ceteros rhetores; — ἠθοποιία (Rut. I 21) apud Ciceronem invenitur, qui eam *morum ac vitae imitationem* appellat; apud Cornificium p. 201, 10 *notatio* est; apud Alexandrum (rhet. Graec. ed. Spengel III 21) haec figura aliam vim habet; — μερισμός (Rut. I 18; carm. de f. 85: *distribuela*) apud Cornificium p. 178, 15 *distributio* est; apud Ciceronem *digestio;* ceteri tacent; — ὁρισμός (Rut. II 5; carm. de f. 97: *definitio*) apud Cornificium p. 162 *definitio* est; idem dicendum de figura παραδιαστολή, cuius exempla a Rutilio et in carmine de figuris allata cum Cornificio consentiunt.

Scriptum enim legimus, ut pauca afferam:

Rut. I 4: *non enim probas pro confidente fortem.*	Cornif. p. 162, 22: *non est ista fortitudo, sed temeritas.*
Carm. de f. 116: *dum fortem, qui sit vaecors, .. vocat se.*	
Rut. l. c.: *pro inliberali diligentem rei familiaris.*	Cornif. l. c.: *non est ista diligentia, sed avaritia.*
Carm. de f. l. c.: *comemque vocat se, quom sit prodigus.*	

3) E quibus praecipue nominandi sunt Democharis, Stratocles, Charisius, Hegesias, Cleochares, Sosicrates, Myron, Isidorus.

Quid dicam de figura παρρησία (Rut. II 18; carm. de f. 130: *inreticentia*), quae a Cicerone commemoratur de orat. III. 205 (*vox quaedam libera*) et orat. § 138 (*ut liberius quid audeat*) et a Cornificio p. 180, 6: *licentia?* Idem profecto cadit in figuram τάξις (Rut. II 20), quae a Cicerone de orat. III. 207 *ordo* nominatur, et in schema χαρακτηρισμός[4]) (Rut. II. 7; carm. de f. 148: *depictio*), quam figuram Cicero de orat. III 204 *morum ac vitae imitationem* vocat, ut ἠθοποιίαν. Quibus expositis quam singulares figuras elegerint et tractaverint illi rhetores, apertum est, sed magis etiam ex Ciceronis libro, qui Orator inscribitur, elucet, quantum interfuerit in figuris tractandis inter Asianos et Atticos rhetores. Quas enim in libro tertio de oratore tractavit, easdem Cicero in Oratore proposuit, sed numero deminutas; cf. Quint. IX 3, 90: *nam in primis M. Tullius multas in tertio de oratore libro posuit, quas in Oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse, quarum pars est, quae sententiarum potius quam verborum sit, ut inminutio, inprovisum, imago, sibi ipsi responsio, digressio, permissio, contrarium, sumpta ex adverso probatio; quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio* . . . In his igitur Ciceronis et Cornificii libris, qui florentibus studiis Asiaticae disciplinae conscripti sunt, multas figuras locum habuisse cognoscitur, quae postea Cicero in figurarum numero omnino non rettulit, cumque Cicero libros de oratore anno a. Chr. 55 et oratorem

4) Ex iis, quae disserui, fontem Ciceronis ac Cornificii et fontem Rutilii carminisque de figuris inter se cognationis vinculo coniunctos esse apparet. Qua de causa si aliquot figuras in carm. de fig. reperimus, quae apud Rutilium non extant, commemorantur autem a Cicerone aut Cornificio, mirum hoc non est. Ex quo autem fonte Cicero et Cornificius sua hauserint, satis incertum est; fortasse ex Hermagora, nam si Quintilianum sequemur, Hermagoram hic illic cum Gorgia concinuisse suspicabimur; scriptum enim legimus IX 2, 106: *Rutilius sive Gorgias* ἀναγκαῖον . . προέχθεσιν, *quod est dicere, quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit,* ἐναντιόνητα, *unde sint enthymemata* κατ' ἐναντίωσιν, μετάληψιν *etiam, quo statu Hermagoras utitur.*

vem annis post composuerit, hoc interim temporis spatio a principe quodam novae doctrinae Atticae librum editum esse veri simillimum est, quo minutissimum Asianorum studium plane damnatum quaeque vitia in excolenda figurarum doctrina commisissent, patefactum est. Quem librum utrum Caecilius an Dionysius scripserit, magna adhuc inter viros doctos dissensio est, cum testimonia veterum ad vitam Caecilii pertinentia tam exigua sint et corrupta, vix ut quicquam certi [5]) ex eis elicere possimus. Deinde quae Caecilii in laudandis scriptoribus ratio fuerit, ut comperiamus, ad eum rhetorem confugiamus necesse est, qui ipsius Caecili librum inspexit,

---

5) Mirum profecto est, quod Martensius 'De libello περὶ ὕψους' Bonnae 1877, p. 32 nullo argumento allato dicit: *constat Caecilium non paucis annis iuniorem fuisse Dionysio* (cf. p. 2), quod idem in Ballheimerum cadit, qui in commentatione 'de Photi vitis decem oratorum' Bonnae 1877 emissa eandem sententiam professus est. Perincommode sane accidit, ut Suidae quod videri poterat disertum ac locuples de Caecilii vita testimonium impeditissimum neque gravioris corruptelae immune sit, quam quicunque emendando tollere aut si minus veram, probabilem saltem interpretandi viam monstrare studuerunt, vereor equidem ne ii omnes incassum laborasse dicendi sint. Mihi quidem veri simillimum videtur Caecilium Dionysio antecessisse duabus de causis, quarum altera Quintiliani verbis nititur, qui IX 1, 12 haec tradidit: *Apollodorus, si tradenti Caecilio credimus, incomprensibilia partis huius praecepta existimavit;* idem III 1, 18: *sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas;* unde mihi sequi videtur Caecilium fuisse discipulum Apollodori; quod si ita est, cum Apollodorum grandem natu ab Octaviano Apolloniam deductum esse Suetonius (Aug. 89) testetur, quin Caecilius eius disciplina circa medium saeculum a. Chr. primum usus sit, nemo facile dubitat. Altera causa ea est, quod Caecilius adversus Asianos acerrime pugnavit. Non minus acriter fortasse Dionysius, ita tamen, ut neque libros integros contra eos conscriberet et idem contra eos se converteret, qui nimio adversus Asianorum opimum dicendi genus taedio ducti antiquissimum quemque atque durissimum Atticorum inter exempla referebant, veluti Thucydidem et Philistum. Ex hoc autem genere Caecilium fuisse cum ex iis, quae vulgo de eo cognita sunt, conligi potest, tum luculenter, ut nobis videmur, demonstrabimus, ubi has de figuris quaestiones uberius persequi licuerit; ceterum cf. quae de hac re disputavit Wilamowitzius Herm. XII 332.

Tiberium [6]). Addo statim alium testem, auctorem libelli *περὶ ὕψους*, qui librum suum magna ex parte e Caecilii eo libro hausit, cui eundem ille titulum inscripserat. Is inde a p. 36 (ed. Jahn.) schemata profert, quae ex Caecilii libro *περὶ ὕψους* sumpta esse non solum veri simile est, sed etiam ipso conexu demonstratur, quo cum Tiberii eis figuris, quibus nomen Caecili praefixum est, copulantur.

Inter omnes vero *τεχνογράφους* — ut ipsius illius viri verbo (p. 29, 4) utar —, quos ille nominavit, maxime elucere Caecilium atque eius scriptum *περὶ ὕψους* ad hunc anonymum summam vim habuisse quis est, qui non intellegat? Neque enim solum multis locis auctor libelli *περὶ ὕψους* Caecilium rhetorem eiusque praecepta affert, sed etiam ita initio eum commemorat, ut eius doctrinam quasi fundamentum esse sui libri ostendisse videatur. Atque profecto permultum boni eum ex Caecilii Calactini libro hausisse, nemo negabit, etiamsi ille, ubicunque potest, eius sententiam impugnat omniaque eius vitia ad lucem profert; nam ita facere iis moris est, qui cum timeant, ne sua laus aliena obscuretur, quidquid in aliis reprehendum invenerunt, pronuntiant, quidquid laudandum est, de industria tacent. Discrimina autem inter Calactinum atque eius adversarium *) interesse patet, neque iniuria Martensius l. c.

6) Cf. rh. Gr. ed. Spengel III 89, 18: καὶ τὸ τῆς ἀλλοιώσεως σχῆμα εἰσάγει Καικίλιος καί φησιν αὐτὴν γίγνεσθαι . ., quibus e verbis elucet Tiberium hoc loco ipsa Caecilii verba proferre; quae res eo quoque confirmatur, quod in descriptione huius figurae exempla non ex Demosthene solo hausta invenimus, cuius schemata rhetor describere sibi proposuit, sed etiam ex poetis; attulit enim ex Euripide duo exempla, ex Eupolide unum, etiam Thucydidem commemoravit; en habes ansam cognoscendi rationem Caecilianam. Conferantur quae ibid. p. 81 leguntur: καὶ τὴν παρεμβολὴν εἰσάγει Καικίλιος σχῆμα λέξεως, κέχρηται δὲ παραδείγματι τῷ παρὰ Θουκυδίδῃ . . .; atque in fine huius figurae idem Euripides citatur, unde ratio Caecilii perspicitur, qui cum ex oratoribus, in primis Demosthene (cf. p. 79: διατύπωσιν, διασυρμόν) et ex vetustioribus rerum scriptoribus, Thucydide potissimum (cf. p. 80: ἐπάνοδον, ἀφαίρεσιν), tum ex poetis exempla sumpsit, de quibus postea videbimus.

*) Cf. p. 9, 1. 10. 12; 18, 3. 18; 49, 2 (ed. Jahn).

Morawskio opprobrio videtur vertisse, quod in quaestionibus suis Quintilianeis (Berol. 1874) id ipsum saepe neglexit. Cumque praeter eos locos, quibus Caecilium ipsum nomine appellat, aliis multis occulto in eum invadat, quos Martensius [7]) sagaciter eruit, eos breviter tractabo, de quibus aliter equidem iudico ac Martensius.

---

7) De comparatione Demosthenis et Ciceronis ab anonymo p. 29, 23 instituta, quam Morawskius ad Caecilium revocavit, Martensius p. 6 ab anonymo factam esse iudicavit, Martensio adstipulor, quae vero de Dionysio hic adiunxit, ea mihi ita non probavit, ut totam eius argumentandi rationem stabili fundamento carere existimem. Sequitur, ut eos locos breviter attingam, ubi ab hoc auctore, cum vocabulo φησί utatur, Caecilium significari Martensius p. 10 contendit. Adnotat enim ad anonymi scriptoris p. 23 haec: *neque vero dubito, quin ad vocem* φησίν *supplendum sit* ὁ Καικίλιος, *quod sponte sentiebant, qui eius librum legerant.* Mihi vero hoc quidem loco illa vox parum apte ad Caecilium referri videtur; nam cum scriptor versu proximo dicat: ἐπεί τινες ὅλως οἴονται, complures igitur rhetores spectet, velut Caecilium et Theodorum, atque p. 11, 2 iterum scribat ὡς οἴονται, medio loco ita φησί positum esse, ut Caecilius intellegeretur, vix crediderim. Accedit quod idem paullo post (p. 11, 4) generali sensu dixit: εἰ ἐπισκέψαιτό τις. Neque plus valet locus ille, quem Martensius ad sustentandam sententiam affert (p. 12, 2), cum participium illud cum articulo coniunctum ὁ τοῖς χρηστομαθοῦσιν ἐπιτιμῶν significet: 'quicunque obstat eis, qui ὕψους artem praeceptis continent', quorum quidem Caecilius primus fuit. Igitur hic cum Manutio faciendum esse censeo, qui coniectura restituit φασί. Quod addidit Martensius: *omnino rarissime istae voculae corruptae sunt in nostro libello*, hoc si revera ita se haberet, sane alicuius momenti esset; nunc autem et p. 53, 10 φασί falso traditum est et p. 52, 8 φύσιν pro φησίν scriptum et p. 18, 28 φήσει τις in apagrographis pro φησί τις. Quod vero Morus eumque secutus Weiskius φησί etiam de pluribus usurpari dicunt, ad hunc quidem scriptorem omnino non quadrare mihi persuasum est. Nam ubi rhetor in universum dicit, aut φασί scribit, ut p. 13, 11. 15, 11. 37, 10. 69, 11, aut φήσεις, ut p. 18, 28, aut φήσει τις, ut p. 60, 11. Atque ex iis exemplis, quae Morus ad sententiam suam confirmandam attulit, unum falso electum est, cum p. 44, 3 de Demosthene illorum versuum auctore sermo sit, alterum corrigendum esse brevi post videbimus; quae Weiskius addidit (p. 18, 28 et p. 68, 2), refutare non opus est. Idem profecto dicendum est de forma illa φασίν, quam p. 53, 10 traditam invenimus, nam eos denotat Pseudolonginus, de quibus paullo ante (p. 53, 5) dixerat: διασύρουσι τὸν Πλάτωνα. Qui lo-

Accedit auctor haud spernendus Alexander Numenius [8]) vel Numenii, cuius rhetoris libellus sub finem primi p. Chr. n. saeculi conscriptus cum frustula doctrinae Caecilianae [9]) con-

cus mihi persuasit ceteros locos mutandos esse. Neque dubito p. 48, 1 formam illam, quae in codice legitur, in φασίν mutare, quod iam Manutius fecit, cum huic quoque loco praecedat διαχλευάζουσιν.

8) Alexandri quidem quem nos manibus tenemus librum περὶ τῶν τῆς διανοίας καὶ τῆς λέξεως σχημάτων, non esse librum Alexandri Numenii, quem imperatoris Hadriani aequalem fuisse cuiusque librum ab aliis posteriorum temporum rhetoribus excerptum esse constat, rectissime Stenslofius in dissertatione de Alexandro Numenio Vratislaviae 1861 edita iudicavit, qui libros Alexandri Numenii (rhet. Gr. ed. Speng. III 9—40), Phoebammonis, Tiberii, Aquilae Romani aliorumque omnes ex uno eodemque fonte, ex deperdito Alexandri Numenii libro derivatos esse demonstravit. Qua ex causa de iis disserere nolo; hoc unum addo finem libri Phoebammonis (rh. Gr. III 55, 15—56), ut sit ab alio conscriptus, eodem conexu, quo priorem partem, cum Alexandro cohaerere. Duabus enim figuris exceptis (ἐπιβολή et ἐπίζευξις), quotquot enumerantur in hac parte et figurae et exempla, eadem reperiuntur in Alexandri libro. Porro afferendus est Herodianus (rh. Gr. III p. 85—104), quem cum epitomatoribus Alexandri saepe congruere atque ex parte saltem eundem auctorem secutum esse, cum plerique neglexerint, paucis demonstrabo. Ille igitur inter schemata ἀποσιώπησιν tractat; Tiberius p. 62 huius figurae idem exemplum affert, quod et ille et Aquila Romanus p. 24, 5: *non pari ego et adversarius periculo ad iudicium venimus, sed mihi quidem ... nolo quicquam initio dicendi ominosius proloqui.* In figura ἀποστροφῆς Herodianus p. 96 idem exemplum affert ex Homero atque Alexander p. 24. Κλῖμαξ quoque plane eodem modo tractata atque iisdem exemplis inlustrata est ab Herodiano p. 99 atque ab Alexandro p. 31. προδιόρθωσις et ἐπιδιόρθωσις nisi apud epitomatores Alexandri atque Herodianum nusquam inveniuntur. Herodianus denique p. 98, 26 figuram ἀντίθεσιν tractat, item Alexander p. 36, 27 et Zonaeus p. 169, 23 (quin etiam in hac figura Herodianus cum Alexandro et Zonaeo ad verbum conspirat) et anonymus ille p. 186, 17, atque quattuor illi bina comparia exempla praebent. Quae attulimus si accurate consideraveris, intercedere inter hunc et epitomatores Alexandri adfinitatem vix negabis.

9) In epitome Καικίλιος nominatur, velut p. 29, 5 in ἐπαναλήψεως figura; nam sub verbo Καρκῖνος illius illustrissimi viri nomen latere iam Normannus rectissime coniecit nixus verbis Tiberii III 71, 5, qui inde a verbo ἐνέργειαν τὸ σχῆμα ἐργάζεται usque ad finem παλιλογίαν Caecilii Apsinis figurae ἐπανάληψις adnexuit; cetera quae insunt schemata e Caecilii libro hausta, enarrare hoc loco supervacaneum est; certe Caecilii librum Alexandro notum fuisse apparet.

tinet, tum dictionis Asiaticae, qualis in Cornificii, Ciceronis, Gorgiae libris inest. Atque utile mihi videtur esse iam hoc loco quam vim ei, qui Asiaticae doctrinae indulgebant, ad Alexandrum habuerint, paucis demonstrare. Ac praesto mihi sunt exempla haec:

Primum est schema διαφορά (Rut. I 12; carm. de fig. v. 49: *distinctio*), quo eodem nomine usus est Cicero; Cornificius p. 145, 9 *traductionem* habet atque eam illustrat duobus exemplis, quae versa mihi videntur esse e Graeco sermone; eadem affert Alexander p. 37, alterum eorum Phoebammo p. 56, 10 sub f. πλοκή. Est igitur

apud Cornif. l. c.: *qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere* *).	apud Alex. p. 37, 20: καλὸν δὲ τὸ ζῆν, ἄν τις ὡς δεῖ ζῆν μάθῃ.
apud Cornif. l. c.: *item eum hominem appellas, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter hominis vitam petisset.*	apud Alex. p. 37, 18: ὡς χάριέν ἐστ' ἄνθρωπος ἦν ἄνθρωπος ἦ. Cf. Rut. I 12.

Aliud exemplum est figura ἐπιφορά (Rut. I 8; carm. de f. 37). Cornificius eam accuratius tractat p. 144, 9 *conversionem* eam appellans et Cic. § 205. Apud Graecos (Alexandrum et Phoebammonem) nominatur ἀντιστροφή; est enim contrarium ἐπαναφορᾶς, id quod ex descriptione Alex. III 29 et explanatione Cornificii p. 144, 9 elucet. Recte igitur Phoebammo p. 55, 8: ὁμώνυμον καὶ ἡ ἀντιστροφὴ καὶ ἡ ἐπίζευξις τῇ παρονομασίᾳ.

Praeterea autem, id quod gravius esse existimo, Phoebammo p. 55, 30 et Alexander p. 30, 4 et Cornificius p. 144, 16 videntur idem exemplum [10]) attulisse:

---

*) Haec Cornificia verba versus speciem prae se ferre Wilamowitzius me monuit, nimirum in hunc fere modum conformandi:

qui nil in vita vita habet iucundius,
is cum virtute colere vitam non potest.

10) Item apparet ex iis, quos attuli, locis Cornificium non ita severe eam, quam IV 7, 10 gloriatus est, rationem secutum esse, sed hic illic exempla, quae in fonte Graeco inerant, vertisse.

Phoeb.: ὅρκον αἰτεῖς, νόμον αἰτεῖς, ἐπὶ σεαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς.	Alex.: ὅστις ἐν τῷ συλλόγῳ τὴν ψῆφον αἰτεῖ, ὅρκον αἰτεῖ, νόμον αἰτεῖ, δημοκρατίαν αἰτεῖ.	Cornif.: *nam quom istos, ut absolvant rogas, ut periurent rogas, ut existimationem neglegant rogas, ut leges tuae libidini largiantur rogas.*

de quo exemplo velim conferas Aeschin. in Ctes. § 195—200.

Accedit figura *μετάνοια* (Rut. I 16), apud Cornif. p. 163, 21 *correctio: cum corrigimus nosmet ipsos quasi reprehendentes;* apud Ciceronem de orat. III § 207: *reprehensio* (cf. orat. § 133); Quintilianus IX 2, 60 eam explicat *quasi paenitentiam dicti;* vides omnia bene inter se cohaerere. Quid quod Alexander p. 40: *ἐπιτίμησις* idem affert exemplum quod Rutilius?

Rut.: *Sed hic bonus vir grandis natu atque sero, sero loquor, immo vero nuper atque his paucis diebus simul et Atheniensis.*	Alex.: οὐ γάρ ποτε, οὐδὲ λέγω· χθὲς μὲν οὖν καὶ πρώην.

Praeterea inveniuntur et in Alexandri et in epitomatorum libris schemata aliquot, quae doctrinam rhetorum Asianorum exhibent, velut figurae:

περίοδος, κῶλον, κόμμα (Alex. p. 27; cf. Aq. Rom. no. 18).

membrum, articulus, continuatio (Cornif. p. 152; cf. Herodianum [11]) p. 93).

---

11) Herodianum, quem saepe cum epitomatoribus Alexandri congruere vidimus, non minus cum rhetoribus Asianis consentire facile est ad demonstrandum; cf. haec schemata:

1. *similitudo* Cic. § 205. Cornif. p. 198, 6. παραβολή Herod. p. 104, 1.
2. *exemplum* Cic. § 205. Cornif. p. 199, 7. εἰκών Herod. p. 104, 25.
3. *imago* Cic. § 207. Cornif. p. 199, 19. παράδειγμα Herod. p. 104, 11 atque haec tria hi rhetores coniuncta et soli et eodem ordine adhibito afferunt. Cum Gorgia autem haec ei sunt communia:

Figura παρρησία (Rut. II 18; carm. de f. 129) a Cornificio commemoratur p. 180, 6: *licentia*, a Cicerone orat. § 138: *ut liberius quid audeat*, de orat. III, 205: *vox quaedam libera;* praeter eos autem rhetores, ut Quintilianum omittam, qui multa schemata a Rutilio et Cornificio tractata, omnia a Cicerone in orat. § 135 sq. et de orat. § 202 sq. commemorata enumerat, solus habet hanc figuram Herodianus p. 96, 16; idem cadit in ἐπιτροπήν, quam exhibent Rut. II 17; carm. de f. 70;

Porro προδιόρθωσις, ἐπιδιόρθωσις, ἀμφιδιόρθωσις Alexandri eiusque epitomatorum et Alexandri p. 17: αἰτιολογία, Cornificii p. 147, 18: *ratiocinatio* (Rut. II 19; carm. de f. 25), προσωποποιία alia; haec omnia exemplis illustrantur electis ex eis auctoribus, quos saepe ab Asianis laudatos invenimus, dico Demosthenem, Aeschinem, Isocratem; desunt poetae atque ex auctoribus vere Atticis vetustiores, quos Caecilium valde adamasse iam diximus.

Sequatur Quintilianus, qui Caecilii mentionem facit compluribus locis, ut III 1, 16: *multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius;* cf. III 6, 48; V 10, 7; VIII 3, 35. Praecipue vero hoc loco tractandus et explicandus est liber nonus Quintiliani, in quo figurae orationis exponuntur et schemata quidem διανοίας IX 2, 1—107, schemata λέξεως IX 3, 1—102.

Atque in illustrandis aliquot figuris λέξεως Quintilianus saepius nominat Caecilium; ut IX 3, 38: *hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius* μεταβολήν *vocat* et IX 3, 46: *hoc Caecilio* πλεονασμός *videtur, id est abundans super necessitatem oratio*, et IX 3, 89, de quo loco supra diximus, et IX 3, 91: *verborum autem concinna transgressio, id est hyperbaton, quod Caecilius quoque putat schema, a nobis est inter tropos posita*, et IX 3, 97: *adicit his Caecilius* περίφρασιν, *de qua dixi.* Ex his, quos congessi, locis plus semel Quintilianum in conscribendo opere suo librum Caecilii περὶ σχημάτων respexisse apparet. Porro eum persaepe laudasse doctrinam Asianorum, quae nobis in Cornificii, Ciceronis, Gorgiae (Rutilii), aliorum libris servata est, intellexi-

---

Cornificius p. 168, 9: *permissio;* Cic. § 207; praeter eos solus Herodianus p. 98, 21. — Figura μετάφρασις nusquam nominatur nisi in carm. de f. 91: *fit variatio cum simili re nomina muto;* similia extant apud Herodianum p. 102, 3. — ὁρισμός denique describitur a Rutilio II 5; in carm. de fig. 97: *definitio;* a Cornificio p. 162, 22; ab Herodiano p. 98, 9; cf. Ciceronem apud Quint. IX 3, 91. Quae exempla ad conexum probandum sufficiant.

mus intellegetque, quicunque doctissimi huius rhetoris vel grammatici libros inspexerit.

Quoniam cognovimus, quod fuerit discrimen inter eos rhetores, qui ante Caecilium doctrinam Asianorum defenderunt, et ipsum Caecilium, ac vidimus, quomodo postea ab Alexandro eiusque epitomatoribus et Quintiliano doctrina utriusque ut ita dicam scholae concinnata atque compendi facta sit, in carminis de figuris fontes inquirere libet, quos Alexandrum et Rutilium esse quo iure viri docti contenderint, videamus.

De fontibus 'carminis de figuris'.

'Carmen de figuris' ex codice miscellaneo [12]), qui est in bibliotheca Parisiensi no. 7530, ab homine Italo litteris langobardicis anno p. Chr. n. 780 exarato a Iulio Quicheratio in lucem protractum quo tempore compositum esset, diu virorum doctorum studia exercuit [13]).

Qua in re diiudicanda duo viri doctissimi viam posteris aperuerunt. Prior Fr. Haasius (Allg. Litteraturzeitung 1844 II p. 390 sq.) hoc opusculum quarto vel quinto demum p.

12) Versus leguntur in foliis 225, 226, 227^{r}, 228^{r}; inter folia 227 et 228 nihil intercidit, cum versus 146, qui ultimus est in folio 227, et versus 147, qui est primus sequentis folii, arctissime inter se conexi sint. Sunt quae me adducant, ut de versuum in singulis foliis numero me aliquid certi proferre posse existimem. Animadvertendum enim est, quod versuum 1—3 plurima detruncata sunt atque versus 33 deest (cf. Mommsen, Zeitschr. f. Alterthumswiss. 1845, p. 82 sq.). Quae res facillime explicari videtur posse, si, quae desunt, nimia superioris foliorum marginis recisione deleta esse putemus. Quod si tenemus, versus circiter tricenos vel tricenos binos singularum paginarum spatia explevisse suspicari nobis licet. Cui opinioni adstipulatur, quod versus 93 quoque desideratur. Eum enim in summo folio 226^{v} resectum esse si statuerimus, versus in codice ita dispertire poterimus, ut in folio 225^{r} v. 1—32, in folio 225^{v} v. 33—62, in folio 226^{r} v. 63—92, in fol. 226^{v} v. 93—123 locum habuisse dicamus. Nam folii subsequentis 227 rectam tantummodo paginam versus continuisse (ni fallor, v. 123—146), versam vacuam fuisse Sauppius 'epistulae criticae ad God. Hermannum missae' p. 153 demonstravit. Restat ut moneam etiam versum 181 deesse, ex quo nescio an concludi possit hunc versum in summo folio 228^{v} scriptum fuisse et ex eadem, quam supra attuli, causa deesse.

13) Cf. Ahrensii recensionem editionum a Sauppio et Schneidewino factarum, quae inest in Ztschr. f. Altthwiss. 1843, p. 161 sq.

Chr. n. saeculo confectum esse cum argumentis ex grammaticis et prosodiacis rationibus petitis probare studet, scilicet quod fere semper vocalis *o* in fine verborum corripiatur neque raro consonans *s* finalis abiciatur (cf. L. Muelleri de re metr. p. 345), tum maxime inde efficit, quod hos versus ex Rutilio, non ex Gorgia sumptos esse demonstrasse sibi videtur, qua de re postea videbimus.

Post Haasium Mauricius Hauptius (Herm. III 223; VIII 250 = opusc. III 427. 634) totam quaestionem alia ratione adhibita ad finem perduxit; Messium enim illum, quem poeta initio adloquitur, anno fere trecentesimo nonagesimo quinto vixisse perspexit. Itaque hoc carmen eodem fere tempore, i. e. vel exeunte saeculo quarto vel initio saeculi quinti scriptum esse apparet, neque quemquam amplius in eorum castra abiturum esse confido, qui ante Rutilium hos versus compositos esse opinati sunt.

Quibus praemissis nunc videamus, quid viri docti, qui huic carmini operam navarunt, de fontibus eius iudicaverint. Ut igitur omittam Quicheratium, qui cum parum accurate in rhetores Graecos inquisiverit, ad hanc rem disceptandam non ita multum contulisse mihi quidem videtur, Schneidewinus et Sauppius fontes huius carminis Gorgiam et Caecilium esse putabant, quod Augusti temporibus conscriptum illud esse sibi persuaserunt. Quam sententiam perversam esse cum Haasius et Hauptius certissimis rationibus demonstravissent, denuo in rem inquirendum esse videbatur. Atque Haasius carmen partim ex Alexandro, partim ex Rutilio sumptum esse contendit. Post eum Dzialas, Quaest. Rutilian. Vratisl. 1860, p. 15: *incertum*, inquit, *auctorem versuum heroicorum de figuris vel schematibus in componendo libello suo Rutilii atque extremo Alexandri Numenii rationem habuisse primo aspectu patet.* Quam sententiam cum alii amplexi sunt (v. Teuffelii hist. litt. Lat. p. 1063), tum Steusloffius, cuius in dissertatione p. 44 haec eguntur: *prodeat in medium tertius testis poeta ille anonymus,*

a quo Gorgiae Atheniensis vel id quod Haasius in diar. litt. Hall. 1844 *no.* 217 *et* 218 *sagaciter contra Schneidewinum, qui alteram sententiam sequitur, defendit et probavit, Rutilii Lupi figurarum elocutionis systema cum nonnullis figuris Alexandri Numenii esse coniunctum, nimirum cum iis, quas ille apud Rutilium non invenit, Schneidewinus vidit.* Hanc vero sententiam cum equidem sequi non possim, rem denuo tractandam mihi sumpsi.

Accedamus agedum ad carmen ipsum. Carmen ex tribus partibus constare quis non videat? Prima (v. 1—11) quasi prooemii locum obtinet, altera (v. 12—150) enumeratio figurarum est maximam partem aut ex Rutilio aut e Gorgia (hoc autem nostrum erit diiudicare) sumptarum, tertia (v. 156—186) alias figuras adiungit.

Atque verso ordine primum de fine carminis pauca verba faciam; de quo cum omnes, qui nunc sunt, viri docti consentiant, eum ex Alexandri libro sumptum esse, facile perspicitur. Incipit enim hoc extremum a figura ἐπιτιμήσεως (v. 151) atque hanc ex Alexandro adscitam esse nemo non videt, cum duo exempla, quae a poeta allata sunt, cum Alexandro (III 40) plane congruant. Deinde ἀναστροφήν et ὑπερβατόν figuras ex Alexandro sumptas esse ex similitudine exemplorum item facile cognoscas; ἀναστροφή vero, cum pars figurae ὑπερβατόν esset, et in hoc carmine et apud Alexandrum (III 38) cum altera figura copulata est. Praeterea inspice tractatum in cod. Paris. 2 [14]) servatum (rh. Gr. ed.

14) Alexandri libellum altero fere p. Chr. n. saeculo conscriptum esse exposuimus; quocum congruit epitome altera in codice Parisiensi 2 servata (rh. Gr. ed. Walz VIII 421 sq.) in enumeratione figurarum et exemplorum; sed in epitome exemplis e paganis scriptoribus sumptis exempla Christiana sunt addita. Altera enim uniuscuiusque figurae pars exemplis Christianis expleta semper a verbo Θεολόγος incipit, qui Θεολόγος, id quod dudum viri docti intellexerunt, Gregorius Nazianzenus est; doctrina vero non solum conspirat cum Alexandri epitoma, sed etiam multa accuratius quam illa conservavit.

Walz VIII 482 adn.); ibi habes: τινὲς δὲ τοῦ ὑπερβατοῦ μέρος λέγουσι καὶ ἀναστροφήν (sic certe legendum est pro ἀντιστροφήν), οἷον ἐμοῦ μετὰ . . . . . καὶ ὄρνιθες ὥς, hoc idem exemplum in carmine extat v. 159: *Troianos fecit ire, ut divus Homerus aves ut.* Idem cadit in hyperbaton. Quod enim affert poeta exemplum, id mihi eundem sensum habere videtur, qui expressus est apud Alexandrum ad illustrandum schema ὑπερβατόν (cf. etiam Par. 2). Sunt in carmine haec: *atque ego quod negat hic quidvis ius, eripit omne, fas abolet, laedit leges . . . haec omnia mitto;* apud Alexandrum: ἐγὼ δ' ὅτι μὲν πάντα ἀπόλλυται χρήματα . . . . τὰ τοιαῦτα ἐάσω. Sequuntur tres figurae (ἀντεναντίωσις, μεταβολή, προσδιασάφησις), quas cum Alexandri doctrina concinere iam Sauppius vidit. Neque multa verba de ἐλλείψεως figura facere opus est. Nam verba, quae in carmine leguntur, ex parte ad Alexandrum referenda sunt. Hoc enim exemplum poeta profert: *curat enim nemo nec corrigit hanc rem, sed culpat, quippe hic 'quisquam' subtraximu grate.* Alexander vero haec tradidit: μέλει οὐδενί, οὐδὲ μέμνηται καὶ γὰρ ἐνταῦθα ἐλλείπει τὸ 'οὐδείς'. Interpretatio igitur exempli et verba, quae ab utroque adduntur, plane congruunt. Quin etiam σχῆμα πλεονασμοῦ ex Alexandro hausisse eum, qui carmen scripsit, mihi exploratum est; nam sicut in Alexandri exemplis δή et ἐκεῖνος, ita hic demum et ille πλεονάζουσιν. Sequitur περίφρασις. Quamquam altera exempli pars deest, tamen vestigia comparent, quae ducant ad Alexandrum, sunt enim verba Thucydidis, quae apud Alexandrum (III p. 32, 16) extant; sed magis quadrant verba Par. 2 (rh. Gr. VIII 468 adn. 3); ibi enim est: τὴν μάθησιν ἐποιεῖσθε ἀντὶ τοῦ ἐμανθάνετε, in carmine autem: *fac discas pro disce.* Restant tres figurae προυπάντησις, ζεῦγμα, ἀλλοίωσις, quarum duae priores desunt in Rutilii, sunt in Alexandri libro atque concinunt cum eius descriptione. Atque cum alia argumenta,

quibus ex Alexandro sumpta esse comprobem, non praesto sint, hoc unum sufficiat. Neque de ultima figura, quae quidem est apud Rutilium II 2, sed longe aliud significat, hoc loco copiosius dicere mihi in animo est; de particulis eius pauca proferre satis sit.

Alexander (III 33) eam dispertivit in 1) *ὀνομάτων εἰδῶν ἀλλοίωσιν*, 2) *πτώσεων*, 3) *ἀριθμῶν*, 4) *χρόνων*. Similiter Tiberius, nisi quod ad has quattuor partes quintam addidit *ἀλλοίωσιν προσώπων*. Carminis scriptor item quattuor partes habet 1) *tempora*, 2) *casus*, 3) *numeros*; deinde addit exemplum ex Ciceronis orat. § 93 sumptum, quod spectat ad *ὀνομάτων εἰδῶν* partem: *bello Africa flagrat, Africos cum dicas bellare*. Videmus igitur has figuras in carmine propositas, cum paene omnes apud Rutilium desint, apud Alexandrum non item, cum huius doctrina esse coniungendas. Accedit, quod ordo figurarum, qualis est in carmine, idem est apud Alexandrum; Alexandri enim figuras ita excripsit versificator, ut initio ab ultima *ἐπιτιμήσεως* facto inversum ordinem sequeretur, id quod Schneidewinus primus perspexit.

Neque vero Schneidewinum et Sauppium has figuras depromptas esse ex Alexandro negaturos fuisse apparet, nisi temporum rationibus, quas ipsi statuerant, impediti fuissent; nam schematum, quae modo tractavimus, auctorem Caecilium esse neuter ne conatus quidem est demonstrare.

Transeamus ad alteram partem (v. 13—150), quae paulo difficilior tractatu est. Atque hoc loco in primis quaeritur, utrum earum figurarum, quae in hac parte exponuntur, e Rutilio an e Gorgia plurimae sumptae sint; nam ex alterutro eas fluxisse vel e miro consensu earum elucet. De quo Dzialas l. c. p. 22: *ex illa comparatione*, inquit, *mihi quidem id prodire videbatur, versificatorem librum Rutilii sumpsisse et ab initio usque ad finem primum eas figuras tractasse, quae a littera α inciperent, deinde littera β, γ, et sic totum alphabetum Graecum percurrisse*. Rectissime haec disseruit Dzialas praeter illud quod

dixit: *versificatorem librum Rutilii sumpsisse.* Congruenti enim ordine nihil aliud demonstratur, nisi arctissimam cognationem inter Rutilium eiusque fontem Gorgiam esse.

Sed percenseamus, quae Haasius l. c. p. 390 disputavit, quem ut summum Rutilii patronum plurimi secuti sunt.

Primum igitur vocem *articuli* versificatorem v. 52 eodem modo adhibuisse dicit, quo usus sit Rutilius I 14. Sed hoc non magni momenti sit, cum praesertim etiam Cicero hoc vocabulo eadem notione haud raro utatur; cf. de or. II 359: *multa enim sunt verba, quae quasi articuli conectunt membra orationis.*

Deinde tractat figuram διαφορᾶς a versificatore v. 49—51, a Rutilio I 12 expositam; uterque eadem duo exempla habet. Ex priore cognosci non potest, utrum versificator ex Rutilio, an ex Gorgia sumpserit; ex altero vero res explanari videtur. Rutilius enim habet I 12: *mulierem; quid potius dicam aut verius quam mulierem;* versificator autem v. 51: *o mulier vere mulier; scelera omnia in hoc sunt;* vides idem esse exemplum, sed ex parte immutatum. De hoc Haasius l. c. p. 381: *Der Versificator hat dies Beispiel ebenfalls, das er, da es nicht aus der griechischen Quelle des Rutilius stammt, aus ihm selbst entlehnt haben muss; aber er hat es nach Willkür oder um es nach seiner Weise in einen einzigen Hexameter zusammenzudrängen, oder auch weil er es nicht genau auffasste, so geändert, dass die Beziehung einer speziellen Untugend weggefallen und die Neigung zu allen möglichen Unthaten an deren Stelle getreten ist.*

In his duo insunt, in quibus offendo; neque enim intellego cur haec verba carminis ex graeco Rutilii fonte non orta esse existimemus; deinde nullum certum vitium commemoratur ne in Rutilii quidem verbis; nam quod Haasius coniecit *inveni versam mulierem,* improbandum videtur. Res plane aliter se habet. Verba Rutilii I 12: *universum mulierem* . . . Meinekius correxit *Enni versus* scribens, quem viri docti secuti

haec Ennii poetae verba esse falsissime statuerunt; Rutilium enim si accurate perlegeris, nusquam eum hac ratione auctores, quos sequitur, laudavisse intelleges, immo vestigia Gorgiae prementem eum usquequaque eosdem Graecos scriptores, quos Gorgiam, laudavisse videbis ne uno quidem exemplo excepto. Poeta igitur ille Latinus removendus est; quid lateat sub *universum* utrum *in versu*, an *in universum* an simile quid, diiudicare non audeo, hoc vero pro certo affirmare ausim Rutilium hunc versum ex Gorgia vertisse; est enim versus Euripideus (fr. 670 Nauck): *ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν.* In Rutilii autem verbis: *mulierem; quid potius dicam aut verius quam mulierem*, vocabulum *potius* interpretatio vocabuli *μεῖζον* esse mihi videtur, non quidem bene electa. Quare cum versificator v. 51: *o mulier vere mulier; scelera omnia in hoc sunt* praebeat, luce clarius est haec ab nullo nisi ab Gorgia sumpta esse posse; uterque igitur hausit e Gorgia, qui ipse exemplum Euripidis non ad verbum transtulerat, sed ex illo simile fingens immutaverat ad hunc fere modum:

ἀλλ' ὦ γύναι, γυναῖκα κοὐδὲν ἄλλο πλήν
γυναῖκά σ' εἰπών πᾶν ἔνεστ' ἤδη μύσος.

Accedit, quod prius quoque exemplum a Rutilio allatum poeticum est; habes igitur duo exempla, quae auctoribus non citatis a poetis deprompsit, quod idem fecit I 3 in figura *παρονομασία*.

Porro Haasius l. c. idem, ait, esse dicendum de verbis Proculeii, quibus Rutilius I 5 *ἀνάκλασιν* illustraverit; idem exemplum versificatorem v. 14 adhibuisse. Hanc vero rem H. Sauppius l. c. p. 157 satis luculenter exposuit.

Quoniam de Haasii argumentis, quibus Rutilii auctoritatem stabilivisse sibi visus est, disputavimus, ea argumenta perlustremus, quibus Gorgiam fontem carminis de figuris fuisse demonstretur.

Affero figuram *χαρακτηρισμός*, quam ex Gorgia sumpsisse

carminis auctorem et vocabulo *lemodes* (v. 150, = λημῶδες) comprobatur, quod Rutilius II 7 vertit *madidis oculis*, et eo quod *serta*, quae v. 149 commemorantur, apud Rutilium desunt.

Deinde figura ἀντιμεταβολή a Rutilio I 6 exposita est, a poeta v. 15 sq. Hic figuram duobus exemplis illustrat; alterum apud Rutilium invenitur, alterum apud Alexandrum; exemplum, quod Rutilius habet, Theophrasteum illud est:

τοὺς ἀλλοτρίους οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν,

quod in Latinum sermonem versum est:

a Rut.: *prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.*	a versif.: *sumere iam cretos, non sumptos cernere amicos.*

ac mihi quidem dubium non est, quin carminis auctor ipsum Graecum proverbium spectaverit; nam verbo *cernere* Graecum vocabulum κρίνειν interpretatus videtur esse.

Restat, ut videamus, hoc schema e Gorgia sumptum sit, an fluxerit ex Alexandro (III 37), qui alterum exemplum habet commune cum versificatore: *quod queo, tempus abest, cui tempus adest, nequeo, inquit;* οἷς μὲν ἐγὼ δεινός, οὐχ ὁ παρὼν καιρός, οἷς δ' ὁ νῦν καιρός, οὐκ ἐγὼ δεινός. Et mihi quidem persuasissimum est hoc schema fluxisse e Gorgia, non ex Alexandro. Neque enim Alexander aut eius epitomatores e Theophrasto ullum exemplum deprompserunt; hoc igitur Alexandri exemplum etiam in Gorgiae libro fuisse, cum praesertim notissimum exemplum fuerit, verisimile est. Sed priusquam ad eam partem huius dissertatiunculae perveniamus, necesse est enumeremus, quae figurae Gorgiae attribuendae sint.

Primum commemorabo eas figuras, quarum praebent et Rutilius et carmen de figuris eadem exempla. Sunt hae: ἀνάκλασις (Rut. I 5; carm. v. 13), αἰτιολογία (Rut. II 19; carm. 25), ἐπανάληψις (R. II 11; c. 67), ἰσόκωλον (R. II 15; c. 82), μερισμός (R. I 18; c. 85), μετάβασις (R. II 1; c. 88),

ὁμοιόπτωτον (R. II 13; c. 103), ὁμοιοτέλευτον (R. II 14; c. 100), παρονομασία (R. I 3; c. 109), παραδιαστολή (R. I 4; c. 115), πρόληψις (R. II 4; c. 134), συναθροισμός (R. I 2; c. 139), συνοικείωσις (R. II 9; c. 142), χαρακτηρισμός (R II 7; c. 148).

Alia nonnulla schemata non minus recte ad Gorgiam referuntur vel ideo, quod alibi nusquam inveniuntur nisi apud Gorgiam et Cornificium et Ciceronem. Sunt haec: ἀλλοίωσις (Rut. II 2; carm. v. 19), πολυσύνδετον (Rut. I 14; carm. 53), διάλυσις (R. I 15; c. 55), ἐπιφορά (R. I 8; c. 37), κοινότης (R. I 9; c. 40); ἐπιτροπή (R. II 17; c. 67), ὁρισμός (R. II 5; c. 97), προσαπόδοσις (R. I 1; c. 112), πολύπτωτον (R. I 10; c. 106), παρένθεσις (R. I 17; c. 118), παρομολογία (R. I 19; c. 121), παρρησία (R. II 18; c. 130).

Inter haec sane sunt, quae eadem exempla continere videantur, atque Rutilius protulit; sed res incerta est, quia exempla interdum a versificatore nimis sunt deformata aut detruncata.

Transeamus ad eas figuras in quibus tractandis carminis scriptor exemplis usus est, quae ei communia sunt cum Alexandro vel potius eius epitomatoribus. Quae versificatorem ex Alexandro snmpsisse per se negari nequit, cum quam facile hoc fieri potuerit, inde appareat, quod in Alexandri scriptis permulta doctrinae Gorgianae sive Asianae vestigia deprehendi supra p. 18. 19. 20 intelleximus; verum ut diiudicemus, utrum ex Alexandro an e Gorgia sumpserit, singulas figuras perlustremus necesse est. Sunt vero haec schemata:

ἀντιμεταβολή, de qua supra p. 36 dictum est. Sequitur ἀντίθετον (carm. v. 22); scripserunt de ea Tiberius (III 78) et Alexander (III 57); quam arcte vero coniuncti sint inter se Alexander et Gorgias, denuo intellegi potest ex similitudine verborum, quibus utuntur Rutilius II 16 et epitomator in Par. 2 (rh. Gr. VIII 479 adn. 10). Habet enim

Rut.: *contrariae res inter se conferuntur.*

Par. 2: ὅταν διάφορα πράγματα ἀντιτιθῶμεν ἀλλήλοις.

Par. 2 etiam in ea re propius abest a carmine, quod item scripsit *ἀντίθετον* aeque ac Tiberius, Alexandri vero epitome *ἀντίθεσις*. Praeterea Tiberius et Alexander et Parisiensis praebent unum exemplum commune (Dem. de coron. p. 315, 7 R.): *ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δὲ ἐφοίτων· ἐτέλεις, ἐγὼ δὲ ἐτελούμην· ἐτριταγωνίστεις, ἐγὼ δὲ ἐθεώρουν· ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δὲ ἐκκλησιάζον· ἐξέπιπτες· ἐγὼ δὲ ἐσύριττον.* Scriptor vero carminis haec eadem verba profert:

oppositum dico, contra cum opponimus quaedam:
doctor tute, ego discipulus, tu scriba, ego censor,
histrio tu, spectator ego, adque ego sibilo, tu exis.

Demosthenica vero exempla saepe rhetores Asiaticos in primis Gorgiam attulisse cum iam intellexerimus, nescio an hoc quoque exemplum ex Gorgia sumptum esse statuendum sit. Sequitur, ut figuram *ἀναδίπλωσιν* afferam (carm. 48), in qua iam Sauppius vidit idem exemplum esse explicatum et a versificatore et ab Alexandro. Contemplemur agedum *ἐπαναφορᾶς* figuram. Dzialas l. c. p. 17 de ea haec dicit: *exemplum aliud recte me contendisse* (sc. *singularia praebere schemata Rutilium*) *maxime perspicuum praebet Rutil. I 7 ἐπιβολή· hanc figuram ne versificator quidem ille hoc nomine significavit, sed ἐπαναφοράν dixit, vox ἐπιβολή ex auctoribus de figuris modo apud Aquilam Romanum no.* 44 *invenitur . . . ., sed ibi plane aliud significat.* Insunt in his duo, quibus non assentior. Prius est, quod neminem nisi Rutilium hanc figuram sub hoc nomine exhibere dicit; nam apud Phoebammonem (III 56, 19) extant huius figurae duo nomina et *ἐπιβολή* et *ἐπαναφορά*. Alterum est, quod Dzialas versificatorem idem nomen quod Rutilium adhibuisse pro certo ponit; immo ex Gorgia nomen hausit, qui aut duo illa nomina aut solum vocabulum *ἀναφοράν* adhibuit. Exemplum quoque ei commune est cum Phoebammone, de quo vide supra p. 10; est Aeschyleum apud

Phoeb. p. 56, 19 (cf. fr. trag. Gr. 340; p. 83 Nauck):

ἡ ἐπιβολὴ συνεμπίπτει ἀναφορᾷ . . .
ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν αὐτὸς ἐν γάμοις παρών
αὐτὸς τάδ' εἰπὼν αὐτός ἐστιν ἃ κτανών

et in carmine v. 35: *ἐπαναφορά* [15])

est repetitio cum verbo saepe incipio uno
ipse epulans, ipse expromens [16]) *laeta omnia nuptae*
ipse patrem prolemque canens idem ipse peremit.

Quod exemplum carminis auctorem necessario ex Alexandro sumpsisse vix contendas; etiam Asiaticos exempla poetica attulisse ne neges, specta quaeso Rutilii figuram *διαφοράν* duobus poeticis exemplis ornatam. De figura *ἐπιπλοκῆς* certi aliquid proferri potest; nomen enim huius figurae sumpsit e Gorgia, qui solus hoc nomine usus est, ergo exemplum quoque volgatissimum ex eo hausit. Phoebammonis contra *πλοκή*, quae p. 56, 5 ab eo commemoratur eodemque hoc exemplo e Demosthene sumpto, sed mutato illustratur, huc non pertinet; neque enim gradatio vel conexio inest in his verbis, neque formae verbales respiciuntur, sed potius repetitio eiusdem pronominis in initio enuntiatorum indicatur; habemus igitur apud Phoebammonem figuram *ἀναφορᾶς*, neque quicquam huic

15) De nomine et collocatione huius figurae necesse est nonnulla addam. Iam dudum enim a viris doctis intellectum est in hac media parte nomina figurarum alphabetice secundum ordinem Rutilii collocata esse, de qua re vide Dzialam l. c. p. 22. Hoc igitur loco (nam πολυσύνδετον illud cur cum figura διαλελυμένον coniunctum collocatum sit, nemo non intellegit) exceptio statuenda videtur esse, qua de causa Dzialas l. c. p. 24 figuras ἐπαναφορᾶς, ἐπιφορᾶς, κοινότητος ab hoc loco remotas post v. 63 inculcandas esse statuit, ut rectus ordo retineretur; sed haec medendi ratio nimis violenta mihi videtur esse. Nam profecto qua causa vel quo casu a scriba ab illo loco (v. 64) ad v. 33 delatae sint, intellegi plane nequit. Itaque cum Schneidewino facere malo, qui levi mutatione ex ἐπαναφορά restituit ἀναφορά. ἐπιφορᾶς vero et κοινότητος figuras adnexuit, quia apud Gorgiam cum ea erant coniunctae.

16) Ita scripturam codicis emendavit Nauck, Bull. de l'Acad. de St. Petersbourg IX 339.

commune est cum carminis figura ἐπιπλοκή, Phoebammo autem eam respicit figuram, quam Alexander explicat p. 37: ἀντιμετάθεσις ἢ σύγκρισις ἢ πλοκή. Sequitur ἐπίζευξις. Hanc vero figuram excepto Phoebammone, apud quem p. 55, 9 est: ὁμώνυμον καὶ ἀναστροφὴ καὶ ἡ ἐπίζευξις τῇ παρονομασίᾳ (cf. etiam Cornif. p. 155, 18), nisi apud Herodianum non invenimus, quocum etiam prius carminis exemplum congruit:

Thebae autem Thebae vicina urbs inclutaque olim;

cf. Herod. p. 96, 31; 99, 22:

Θῆβαι δὲ, Θῆβαι πόλις ἀστυγείτων, μεθ' ἡμέραν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνηρπάσθη (Aesch. in Ctes. § 133).

Herodianum vero saepe congruere cum epitomatoribus Alexandri neque minus cum Gorgia, Cicerone, Cornificio, supra p. 20 adn. diximus; est igitur hoc quoque schema ad eundem fontem referendum. Liceat mihi addere Ciceronem (§ 206) et Cornificium eodem *geminationis* vocabulo hanc figuram vertisse ac versificatorem.

Restat, ut exemplum afferam, quo Alexandri epitomatores et versificatorem vel eius fontem inter se conspirare denuo confirmetur; est figura συναθροισμός (carm. 139), quam ex Gorgia sumptam esse iam vidimus. Sed vide, quam arcte descriptiones utriusque rhetoris cohaereant. Alexander incipit: συναθροισμὸς δέ ἐστιν συναγωγή, verba autem carminis *conductio conquegregatio* nihil aliud mihi videntur esse nisi versio illorum συναγωγή et συναθροισμός, i. e. verborum, quae inerant in Gorgiae libro.

Denique de nonnullis schematis dicatur, quae apud Rutilium desunt. De his profert Dzialas l. c. p. 28 haec: *ex his igitur omnibus mihi apparere videtur auctorem versuum carminis de figuris Rutilii libro eo, qualem nunc habemus, usum esse, sed praeterea etiam alios auctores, quos non iam habemus, adhibuisse, ex eorumque figuris, quae sibi viderentur, unaquaque littera, qua incipiant Rutilii figurae absoluta, eas supposuisse.*

Omitto Rutilium, quem ut fontem carminis de figuris Dzialas commemoravit; de illis scriptoribus, 'quos non iam habemus', videamus. Hae carminis figurae in Rutilii libro desiderantur: ἀνθυποφορά (carm. v. 28: *relatio;* Cic. de orat. III 207: *relatio*), ἀπόκρισις (carm. 31: *responsio;* Cic. § 207: *sibi ipsi responsio*), διῃρημένον (c. 59: *disparsum;* Cic. § 207: *dissipatio*), διέξοδος (c. 61: *percursio;* Cic. § 202: *percursio*), ἐπεκφώνησις (c. 79: *exclamatio;* Cic. § 207: *exclamatio*), μετάκλασις (c. 94: *declinatio;* Cic. § 207: *declinatio*).

Haec schemata, quae apud Rutilium desunt, omnia a Cicerone esse allata apparet, neque ab alio ullo nominantur praeter Quintilianum, qui quidem ea ex Cicerone ipso hausit. Unde igitur illa habet versificator? ex Gorgia an ex Cicerone vel eius fonte? De qua re Dzialas recte mihi videtur adnotasse p. 26: *fortasse autem quispiam dixerit has figuras e Gorgiae libro ipso esse desumptas, quem saepissime ab aliis discedere supra videbamus, sed id quidem negarim, quod plane mirum est, cur Quintilianus, qui Rutilii libro tam diligenter usus est, has figuras tam inusitatas silentio praetermiserit.*

Accedit, quod haec schemata enumerata sunt unaquaque littera, qua incipiunt Rutilii figurae, absoluta; itaque bene quadrant in verba Dzialae, quae supra p. 45 excripsi, sed leviter sunt immutanda; non enim alios fontes, quos non iam habemus, sed 'ipsum Ciceronem vel eius fontem eum adhibuisse ex eiusque figuris, quae sibi viderentur, unaquaque littera, qua incipiant Rutilii figurae absoluta, eas supposuisse apparet'.

Reliqua sunt duo schemata; unum, cui nomen est ἐπιφωνούμενον, quod praeter carm. v. 73 nisi apud Demetrium περὶ ἑρμηνείας p. 106 non invenitur; alterum significatione notatum τρίκωλον c. 145 alibi nusquam commemoratur Quintiliano excepto, qui IX 3, 77 τρίκωλα affert; sed haec quoque nescio an accepta referenda sint Gorgiae.

Denique de initio vel exordio carminis pauca verba faciam.

Extant in eo tria schemata: *κόμμα*, *κῶλον*, *περίοδος*, quae unde hausta sint, non facile est ad diiudicandum. Nam et apud Alexandrum Numenium (v. Aquil. Roman. no. 18 et in epitome, cui Alexandri nomen praefixum est, p. 27. Speng.) reperiuntur hoc ordine: *περίοδος*, *κῶλον*, *κόμμα* et apud Cornificium p. 152: *membrum* (*κῶλον*), *articulus* (*κόμμα*), *continuatio* (*περίοδος*). Quamquam igitur uterque alium ordinem constituit atque est in carmine de figuris, tamen ipsa carminis verba me impellunt, ut hoc prooemium eidem Alexandro vindicem, ex quo finem carminis haustum esse supra demonstravimus. Primum enim ipsa versificatoris versio nullam speciem cognationis cum Cornificio exhibet. Deinde in prima, quam affert anonymus, figura idem exemplum est, quod apud Alexandrum in figura *ἐπαναλήψεως*, ab alio nullo rhetore usurpatum; tum idem de ordine figurarum in carmine dicendum est, quod de iis dictum est, quas in fine carminis extantes ex Alexandro fluxisse vidimus; nam inverso ordine etiam apud Alexandrum inveniuntur. Quibus de causis commoveor, ut has figuras Alexandro adscribam.

Iam ut summam faciam eorum, quae a me disputata sunt, demonstrare conatus sum primam atque tertiam partem huius carminis fluxisse ex Alexandro, mediam deberi Gorgiae, atque versificatorem sic elegisse schemata e Gorgiae libro, ut alphabetice ea excriberet, deinde iis in unaquaque littera nonnulla ex Ciceronis Graeco fonte adderet. Per totum igitur carmen Graecis fontibus scriptor usus est.

De Caecilii doctrina eiusque *περὶ σχημάτων* libri fragmentis alio loco, si dis placet, disputabo.

V i t a.

Iohannes Augustus Ludovicus Udalricus Mueller natus sum Putbusii Rugiae insulae oppidulo a. d. XVII Cal. Maias anni h. s. LVI Hermanno Muellero et Iohanna parentibus, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus Paedagogium Regium, quod in patrio oppidulo est, adii, quod tunc Sorofii auspiciis, praeceptoris venerandi, florebat et adhuc floret. Cui viro illustrissimo, benignissimo inter huius scholae magistros longe plurima me debere eo quod has studiorum meorum primitias ipsi sacras esse volui, lubenter profiteor. Anno vero h. s. LXXV maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut antiquarum litterarum studio me darem, ubi per tria semestria disserentes audivi Aufrecht Bergk Bernays Buecheler R. Kekulé Usener. Seminarii regii philologici Bonnensis ut essem sodalis extraordinarius et ordinarius per singula semestria, mihi benigne concesserunt Buecheler et Usener. Deinde academiam nostram Pomeranam petii eiusque civis per quinque semestria fui; scholis vero interfui vv. ill. Kiesslingii, Reifferscheidii, Schuppii, Susemihlii, Vogtii, de Wilamovitzii, Wilmannsii. Seminarii regii philologici ut sodalis essem per tria semestria per unum senior, benigne concesserunt Kiesslingius et de Wilamovitzius, germanistici Reifferscheidius. Exercitationibus autem epigraphicis Bonnae a Buechelero, Gry-

phiae a de Wilamovitzio privatissime, aristotelicis a Susemihlio, archaeologicis a Preunero, historicis ab Hirschio institutis interesse mihi licuit. Posteaquam vero anno h. s. LXXIX examen pro facultate docendi subii, autumno eiusdem anni Sedinum migravi, ubi in Gymnasio Regio, quod auspiciis Weickeri floret, magistri munere fungor.

Restat ut omnibus, quos nominavi viris, gratias agam quam maximas, in primis vero Sorofio, qui artium liberalium studium in animo meo excitavit, de Wilamovitzio, qui liberalissime studia mea rhetorica adiuvit, Buechelero, Kiesslingio, Usenero professoribus.

Sententiae controversae.

1. Ovid. trist. II 1, 3 scribendum esse censeo:

cur modo damnatus repeto mea crimina Musas?

2. Catull. c. 63, 1:

super alta vectus Attis celeri rate maria

scribo, cum in Catulli carminibus vocabula in ei non exisse statuendum sit, nisi ex ipsa traditorum verborum corruptela haec scriptura elici possit; cf. 4, 23; 57, 9; 63, 10.

3. Catull. c. 115, 7 scribendum est:

omnia magna haec sunt, tamen ipsest maximus ultro.

4. Prop. V 6, 22 cum codice Groningano scribendum mihi videtur:

pilaque feminea turpiter acta manu.

5. Pugnam illam a Zama denominatam, quae urbs prope Naraggaram sita a Zama regia discernenda est, autumno anni a. Chr. n. 202 commissam esse statuo.

6. In *περὶ ὕψους* libello p. 11, 10 (ed. Jahn) verba *καὶ ἀνερμάτιστα* ut glossema deleo, vocabulum *ἀστήρικτα* ut genuinum defendo.

7. In *περὶ ὕψους* libello p. 14, 1 (ed. Jahn) verba *καὶ κενόν* subditicia esse putaverim.

8. In *περὶ ὕψους* libello p. 46, 20 (ed. Jahn) verba *καὶ μέντον ὡς οὐχ ὑψηλοποιόν, οὐδεὶς ἂν οἶμαι διστάσειεν* recte dicta esse neque additamento egere.

9. Apud rhetores Graecos (Alexandrum et Tiberium) exempla Demosthenica e deterrimis Demosthenis codicibus sumpta esse.

Ienae, typis Ed. Frommanni.

Tabula.


X
Gorgias
Hermagoras
Rutilius Lupus
Cicero
Cornificius
Quintilianus
Carmen de figuris
[Alexander Numenius]
Alexandri epitome
Herodianus Apsines
Phoebammo
Al. epitome Christiana
Aquila Romanus
Viberius
Paris. 2.
Zonaeus anonymus.

AVSONIANARVM QVAESTIONVM

SPECIMEN PRIMVM.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores ab amplissimo

PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

rite impetrandos

scripsit

GVILELMVS BRANDES

Brunsvicensis.

Brunsvigae
Typis J. H. Meyeri.
1876.

Dedita opera per longius temporis spatium ad Ausoniana studia incubui eo utique consilio, ut certum firmumque iacerem fundamentum, quo vitae viri et temporum quam absolutissima aliquando exstrui possit enarratio. Nam postquam Ausonii de re metrica scripsit Raehse (Berol. 1868), de genere dicendi diligenter exposuit Meurer (Monast. 1873), denique eodem anno codicum indolem ac naturam accurate examinavit Axt (Lipsiae 1873) — una fere illa Ausonianarum rerum pars iacet etiamnunc nemini culta, cultus vero si qua alia indigens. Magnus sane eorum, qui de vita Ausonii scripserunt, numerus: sed plerique omnes ut fere fit id maxime egerunt, ut planis modo ac praecipuis testimoniis collatis probabilem et speciosam poetae imaginem adumbrarent: fontes vero ita perscrutari, ut quidquid erui potest, eruatur, singulas res singulis pertractare quaestionibus, ut quid sit certum, quid probabile, quid denique omnino indagari non possit, statuatur — nondum quantum video cuiquam est temptatum.

Eum igitur laborem cum mihi vindicassem — viribus quamvis meis diffisus — primum ut res tulit, de nominibus Ausonii quaesivi. Qua in re, cum paucorum modo codicum inscriptiones innotuerint adhuc, maximas debeo gratias Carolo Ottoni Axt, nunc Messanio, qui singulari benignitate Parisinorum et Sangallensium collationes, quas ei quondam miserat Ed. Woelfflinus Turicensis, mecum com-

municavit. Pari liberalitate Guilelmus du Rieu, Leidensis bibliothecae conservator, Vossianum codicem 111, Ausonianorum longe vetustissimum, Berolinum mihi conferendi causa transmisit, quem suis locis cum in hac prima quaestione, tum in eis, quae dissertationi in fine addidi, coniectaneis criticis adhibui. Guelferbytanos denique codices, quibus in primis usus sum, in ipsa contuli bibliotheca ducali. Ceterum cum de nominibus Ausonii post Vineti curas (loco infra laudando) nemo quantum scio recentiorum diseruisset — nisi quod Boecking (loco infra laudando) aliquantulum adiecit de suo — non dubitavi ad illius viri doctissimi opiniones et suspiciones ubique recurrere eisque examinandis magnam impendere commentationis partem.

Nominibus igitur castigatis proximo loco spectandum fuit, quatenus Ausonii annus natalis ex ipsius scriptis — quae ad haec poetae tempora cognoscenda nobis sola sunt pro fundamento — indagari posset calculis, dein quid de pueritia eius et eruditione ex eisdem fontibus deprehendere liceret. Eis quaestionibus quae sum assecutus, prolaturus in medium, id antea moneo: me non ipsam imaginem poetae voluisse conficere, coloribus, quos carmina eius abunde suppeditant, belle fucatam, sed temporibus modo et rebus gestis pro virili parte explicandis emendandisque lineamenta parare imagini. Omisi igitur consilio omnes illas Ausonii narratiunculas de avo fata nepotis ex astris coniciente, de patre septem sapientes non dictis sed vita adaequante, similes, quas e quolibet veterum facile percipias. Monendum praeterea, me cum apud Ausonium unum testimonium exaltero plerumque pendeat, alterum e tertio, tertium haud raro recurrat ad primum — quippe poetae sunt testimonia non rerum scriptoris — interdum non potuisse facere, quin temporum ordine excederem in narrando, atque maxime quidem in tertia quaestione, ubi Ausonii et avunculi Arborii fata contexere conatus sum. Veniam denique peto notarum moli, in quibus seposui pleraque omnia, quae vel ad tempora illustranda vel ad refutandas aliorum opiniones measque comprobandas utilia, ipsum tamen qui dicitur textum nimis onerare viderentur. Haec velim et meminerit, qui dissertationem leget, et ignoscat. —

Priusquam autem res ipsas aggrediar, breviter referam de eis, quorum passim in his commentationibus respexi labores. Atque hic primus omnium laudandus mihi Lenain de Tillemont, cuius venerabile opus: Histoire des empereurs et des autres princes qui ont regné durant les six premiers siècles de l'église sqq. (Bruxelles 1710. 6 voll.) ubique ad annalium temporumque rationem explanandam adhibui. — Eorum vero, qui de ipsius Ausonii vita exposuerunt, agmen ducit Josephus Justus Scaliger. Priores enim velut Petrus Crinitus (de poetis lat. Flor. 1508 l. V.) Lilius Gyraldus (de historia poetarum diall. Basil. 1545 dial. X.) alii, nihil sani de nostro potuerunt proficere, quia usque ad annum 1558 tertia fere carminum Ausonianorum pars — atque ea quidem, in qua plurima de se suisque condiderat poeta, Parentalia scilicet et Professores et epistolarum quaedam — nondum erat evulgata. Quae cum illo anno primum e vetustissimo codice, qui nunc Vossianus 111 vocatur, Lugduni Allobrogum apud Tornaesium prodiisset in lucem, primus ut dixi Scaliger capite XXXIII. alterius Ausonianarum lectionum libri (Lugduni 1573) brevi conspectu poetae vitam enarravit. Paulo post minore sui fiducia, maiore fide de ea re disseruit Elias Vinetus Burdegalensis in editione, quam a. 1580 paravit Burdegalae. Inde per centum quinquaginta annos ad horum virorum curas utique recurrerunt editores, nec ipso excepto Tollio, qui a. 1671 Lugduni Bat. Ausonii opera suis variorumque notis illustrata emisit. Etiam quae Belet a. 1725 in academia litt. Burdegalensi de Ausonio recitavit (cf. Biblioth. Franç. Mai et Juni 1726 pg. 53 sqq.) Scaligerum maxime sapiunt. Primus Souchay editioni, quam cum Juliani Floridi commentario et interpretatione suisque notis in usum Delphini curavit Parisiis a. 1730, novam de poetae vita commentationem praefixit, ipsa hercle editione praestantiorem, superatam tamen, si eruditionem modo spectas, in Benedictinorum coenobii St. Mauri opere egregio: Histoire littéraire de la France. (Paris. 1737 II, pg. 281 sqq.) Quorum curas ad verbum fere expressit Petrus Bayle (Dictionnaire historique et critique s. v. Ausonius). — Apud ceteros illius aevi auctores Saxium (in Onomastico I, 436 sqq.),

Funccium (de vegeta l. l. senectute III. § 23), alios vix quidquam novi reperias: multa sane, sed quae alucinantis somnia censuerim, in Britanni hominis Lewes Crusii libro de vitis poetarum Romanorum (Germanice vertit Ch. H. Schmidt Halis Sax. 1773.) Ceterum eiusdem fere pretii est anonymi Britanni commentatio: On the writings of Ausonius (in: Classical Journal. March et June 1829. Tome XXXIX, pg. 103 sqq.). — E nostra memoria praeter ea, quae Baehr, Bernhardy, Teuffel in litterarum Romanarum historiis, proximus hic etiam in Paulyi encyclopaedia de Ausonio protulerunt, conferendi fuerunt mihi in primis: J. J. Ampère: Ausone et Paulin (in: Revue des deux mondes T. XI, 1832 pg. 704 sqq.). Boecking: Des Ausonius Leben (in: Moselgedichte des Dec. Mag. Aus. etc. Bonn 1845, pg. 60 sqq.). Buse (Paulin von Nola und seine Zeit. Regensburg 1856. I, pg. 66 sqq.). Kaufmann (Rhetorenschulen u. Klosterschulen in: Raumers histor. Taschenbuch ser. IV. vol. X. Leipzig 1869, pg. 8 sqq.). Alios quos hic illic adhibui suis memorabo locis. Carere debui duobus libris Francogallicis: Demogeot, études historiques et littéraires sur Ausone, Bordeaux 1838 et Deydou, un poète Bordelais: Ausone, ibidem 1868 22 pp., quos frustra per bibliothecas publicas quaesitos, ne librariorum quidem ope nactus sum.

I.

Quattuor cum in veterioribis editionibus plerisque Ausonii nomina exstent: DECIVS MAGNVS AVSONIVS PAEONIVS, primum nomen gentile AVSONIVS certissimum est neque ulli prorsus dubitationi obnoxium. Hoc enim uno ipse se appellat poeta infinitis prope locis, hoc appellatur in codice Theodos. lib. VIII.

tit. V. l. 35, hoc Symmachus et Paulinus utuntur in epistulis, hoc omnes, quicunque illorum temporum fastos conscripserunt [cf. inter alios: Prosper Aquitanus et Marcellinus Comes in Scaligeri Thes. temporum. vol. II, Cassiodorius et chron. pasch. in Clintonis fastis Rom II, pg. 198 Idacius in Graevii Thes. antiqq. rom. XI, pg. 246 sqq. al.], hoc nomen codices, qui quidem omnino inscripti sunt, praebent vix litterula discrepantes, hoc denique unum ceteris omissis etiam venerandus ille liber Vossianus 111. Quibus de causis unum nomen AVSONIVS fronti editionis suae praefigere sibi visus est Elias Vinetus.

Verum enimvero neque DECIMVS neque MAGNVS quae hodie in editionibus circumferuntur Ausonii nomina satis ei habent praesidii, atque cognomen quidem nulla alia de causa respuit, quam quod a Vossiano deest, praenomen etiam ratiocinatione aliqua aggreditur. Postquam enim suo iure eorum castigavit errorem, qui corruptam formam DECIVS pro iusto acciperent praenomine — Italos carpit editores, Lugdunenses, Parisinos — in veram quoque formam DECIMVS suspicionem movet hac via: eum, qui primus notam D, unde DECIMVS manasse ei videtur, nominibus Ausonii praescripsit, hanc non pro DECIMO sed pro DIVO posuisse suspicatur. Fuisse enim probat, alios, qui Ausonium episcopum Burdegalensem existimarent [1]), alios, qui poetam cum Ausonio quodam Engulismensium episcopo confunderent. Talia fieri potuisse et facta esse concedamus oportet Vineti sagacitati, sed eiusmodi peccatum hic accidisse, nego.

---

[1]) Id quod inter recentiores abbati Tritenhemio (de scriptor. eccles. Colon. 1531) et Lugdunensi editori accidit. — Quod vero in Parisino 7558 saec. IX. qui inter alia carmina christiana Ausonii et Sancti Paulini epistulas mutuas exhibet, noster quoque SANCTVS appellatur in titulo orationis: ‚Omnipotens solo mentis mihi cognite cultu' (Ephem. 3.) — hoc ad Vineti opinionem fulciendam afferri non potest. Apparet enim, hic e sanctorum virorum propinquitate et ex ipsius orationis tenore poetae sanctitatem accrevisse. Ceterum ut in hoc, sic in omnibus codicibus Parisinis communem inscriptionem non habent Ausoniana, sed singula singulis inscripta sunt lemmatis, ita ut plerique aut nullum aut unum modo praebeant nomen AVSONIVS (praeter unum Par. 8500, de quo vide paulo infra in textu). —

Sunt enim primum optimae omnino notae codices, quorum auctoritate et praenomen et cognomen defenduntur: exstat DECIMVS MAGNVS in duobus praeter Vossianum antiquissimis fere Ausonii codicibus, Sangallensi 899 saec. X/XI. et Bruxellensi 5370 saec. XI. [Boecking l. l. pg. 16], qui Mosellam exhibent; fuisse idem etiam in Mosellae codice quodam Gemblacensi, auctores sunt Pulmannus et Barthius [Advers. l. XIII. c. 3][2]); praebuit porro, quod frequentissimo librariorum peccato debetur DECIUS MAGNVS teste ipso Vineto vetustus Joannis Tilii Engulismensis liber, quem nunc temporum iniuria deperditum desideramus [Axt l. l. pg. 10], accedunt recentiores Guelferbytanus [Gudianus 145. saec. XV. cf. nota 6], Parisinus 8500 saec. XIV/XV, alii. Solius autem litterae D, quam Vinetus divinavit, Boecking etiam codicibus supposuit [l. l. pg. 61. nota 2], quantum scio, in scriptis ne vestigium quidem invenitur.

Jam vero rem altius petamus oportet. Duas igitur codicum familias constituit Axt, alteram Vossiani, alteram Tiliani libri, suo quidem iure, nam hos duos non ad unum recurrere archetypum, sed e diversis profluxisse recensionibus ipso Ausonii tempore vel paulo post evulgatis, testantur et carminum in utroque delectus et scripturae quaedam adeo discrepantes, ut librariis imputari non possint [Axt l. l. pg. 11]. Vereor tamen, ne nimis fuerit parcus in distinguendis librorum familiis: nam si quid aliud, hoc habeo persuasissimum: Mosellae codices, quicunque et sunt et fuerunt, ad neutram neque Vossianam neque Tilianam pertinere classem,

---

[2]) Vereor tamen equidem, ne Gemblacensis liber Pulmanni idem sit atque Bruxellensis ille 5370. Gemblacenses enim plerique omnes Bruxellas translati [cf. Vogel, Literatur – öffentlicher Bibl. Lpzg. 1840 pg. 446] et eadem Ausoniana, quae Pulmanni libro infuisse Barthius dicit l. l., et ipse exhibet Bruxellensis: Mosellam videlicet et Herculis aerumnas (ed. XIX.) et versus de XII Caesaribus [cf. Mus. Rhen. 1842. pg. 315]. Certe quem Axt l. l. pg. 15 voluit Gemblacensem esse, Laurentianus plut. LXXXIX, cod. 8 Mosellam non habet [cf. infra pg. 14]. — Alter Pulmanni codex antiquus, Cornelii Gualtheri Mosella, et tertius, quem ille compendio V. signavit, caruerunt inscriptione [Barth l. l.], item qui etiamnunc exstat Rhenaugiensis Mosellae liber LXXII. saec. XII [Boecking l. l. pp. 3. 16.]. —

sed id carmen separatim utique esse proditum. Evulgatum esse separatim ab Ausonio libellum, e Symmachi verbis [Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum —. Cur me istius libelli quaeso exsortem esse voluisti? Symm. ep. I, 14 in Aus. Bipont. pg. 336] percipimus; sed idem in ceteris quoque carminibus factum est, quae tamen postea in codicibus videmus collecta, itaque hoc mitto. At vero primum Mosella non fuit in Tiliano codice neque in ceteris Vineti libris [cf. Vinetus ad Mos. v. 1], neque est in absolutissimis Tilianae familiae exemplaribus Laurentianis plut. XXXIII. cod. 19. et plut. LI, cod. 13. saec. XV.[3]); neque unquam fuit in Vossiano. Nam quod Axt suspicatur [l. l. pg. 6], periisse carmen cum primis quattuor codicis quaternionibus, ideo non placet, quia in quinti quaternionis folio primo titulus a prima manu scriptus [cf. Riese, anthol. lat. I, 2. pg. XVI.] exstat hic: ABHINC AVSONII OPVSCVLA. Inde sequitur, ut antecesserint quondam quaelibet alia carmina, nec vero Ausoniana. — Porro Mosella plerumque solus et ab aliis Ausonianis separatus invenitur in codicibus: ita in Rhenaugiensi, in Vindobonensi 358 olim $\frac{114}{\varphi\ 109}$ saec. XV, in Vaticano 1650 biblioth. Christinae saec. X, ita opinor etiam in Gualtheri libro; ubi vero adiecta leguntur alia Ausoniana, perpauca sunt et ea modo, quae saepissime in libris miscellaneis occurrunt, aliorum maxime nominibus inscripta, velut in Sangallensi Ed. XVI—XIX, quae in aliis codicibus Vergilio attribuuntur [cf. Riese l. l. pg. XVIII. sq. 95 sq.], in Bruxellensi Ed. XIX. et versus de XII Caesaribus, quae et Suetonio et Sidonio imputantur a librariis [cf. infra pg. 14]. Nusquam, dico, certissima Ausoniana addito nomine una cum Mosella inveniuntur in libris, quod quidem aliter se haberet, si ex absoluto

---

[3]) In Bandinii sane catalogo priori codici XXXIII, 19 tribuitur carmen 334 (ex numeris Souchaei) i. e. Mossella; at cum alter codex LI, 13 prorsus eadem carmina habeat, nisi quod hic pro 334 memoratur 331, quod omittitur illic, Bandinium errasse putaverim in describendis numeris et 331 legi in utroque codice: hoc enim carmen (ed. VII, 4: ad pictorem de Bissulae imagine 2), etiam in aliis Tilianae familiae codicibus, velut in Guelferbytanis [cf. nota 6], invenitur. —

utriuslibet familiae exemplari esset carmen illud excerptum. Itaque suam habet habeatque codicum familiam.

Jam ad nostram quaestionem haec vertamus. Habemus DECIMVS MAGNVS in Tiliano codice aliisque eiusdem classis, habemus in Mosellae quibusdam codicibus: quodsi vero nunquam Mosella in libris sociatus fuit ceteris Ausonii carminibus — tum, si vera suspicatus esset Vinetus [eumque secuti Benedictini l. l. II, 281], bis a diversis librariis eandem commissam esse confusionem, bis eodem modo litteram D pro DIVO praefixam in DECIMVS transiisse oporteret — quos casus fide maiores putaverim. Accipiendum igitur, cum Ausonium praenomen aliquod omnino habuisse, ex temporum, regionis, ordinis consuetudine constet, id quod unum codicum auctoritate satis munitum nobis traditur [4]).

Eadem hac ratione, qua praenomen, etiam cognomen MAGNVS satis videretur esse confirmatum, etiamsi aliud veritatis testimonium non accederet; accedit vero, quod luculentissime redit poetae cognomen ad avunculi Aemilii Magni Arborii, a quo ex temporum more assumtum videtur esse [cf. nota 8], nam alteri Vineti opinioni, poetam eo cognomine postea cohonestatum fuisse propter egregiam eruditionem et quos gessit summos honores, iam ipsa cognominis inter praenomen et gentile locatio, ubique in codicibus servata, adversatur.

Venio ad quartum Ausonii nomen PAEONIVS, quod cum in prioribus editionibus, maxime Italis, pro genuino valuisset, recentiores respuerunt omnes, hac quidem inducti Vineti ratiocinatione:

---

[4]) Ceterum si Scaligero fides adhibenda est, neque lapidum testimonium deest huic prænomini. Ille enim in lect. Ausonian. ubi de poetae consulatu agit (l. II, c. 23) asseverat, meminisse se lapidis, in Cassiani cuiusdam praedio prope Burdegalam eruti, in quo fuerit haec inscriptio: DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE LXXXIII, atque addit: „si quid a me erratum est, erit fortasse in ultimis numeris, nam utrum III. an IIII. in ea inscriptione fuerit, non plane memini.“ Tamen hanc inscriptionem pro certo argumento ideo non attuli, quia ipsum Scaligerum postea de ea dubitasse puto: nam, cum ceterae e lection. Ausonianis inscriptiones pleraeque translatae sint in Gruteri thesaurum, haec omissa.

‚Paeonii appellationem non aliunde ortam esse existimo, quam quod semidoctus quispiam, qui eundem putaret esse Ausonium patrem medicum et filium Ausonium poetam, Paeonium pro Medico Ausonium poetam vocaverit a Paeone illo deorum medico apud Homerum Iliados libro quinto.' Haec Vinetus.

Atque concedendum quidem primum, neque veteribus inauditam fuisse Paeoniae appellationis ad omnes medicinas artes translationem, quippe qua Vergilius Aen. VII. 768 herbas, XII, 40 morem, Ovidius Met. XV, 534 opem, Silius XIV, 27 fontes, Claudianus Bell. Get. 121 curam, de Apon. baln. 67 undas adornaverint. Patrem porro Ausonium medicum re vera a primis editoribus confusum esse cum filio poeta, testantur ipsae Italorum praefationes, in quibus totum illud epicedium Julii Ausonii, quod nunc Edyllium II. legimus, ad filium poetam refertur [5]). Simul minime abhorreret talis cognomenti fictio ab editorum principum ingeniis, quippe qui nominum mole undique collata omnino scriptoribus edendis maiorem induere auctoritatem sibi viderentur. Itaque si in editis modo exemplaribus exstaret illud PAEONIVS, nomen conflatum esse a semidocto quopiam equidem et ipse concederem.

Nec vero deest illud cognomen a codicibus, et alius mos editoribus, alius librariis, quos quidem omisisse potius aut corrupisse nomina tradita, quam nova sibi finxisse mihi persuaserim. Atque primum quidem auctores mihi sunt codices duo Guelferbytani Gudianus 145 et Augusteus 10, 9 [6]), quorum ille poetam

---

[5]) Ita in ed. Mediolan. 1490 praef. pg. 3: Decius Magnus Ausonius physicus et poeta natione Gallus Burdigalam patriam habuit, quamquam in epicedio innuere videatur, Vassatem se fuisse, cum inquit: Vassatem patria, sed lare Burdigalam sqq. — In omnibus enim huius aevi editionibus (etiam in Curionis ed. Basil. 1523) inscribitur edyllium illud: Epicedion in partem (pro: patrem) de vita sua.

[6]) Hos Guelferbytanos libros cum Axt v. cl. accuratissime alioqui versatus in enumerandis codicibus omiserit, liceat mihi paucis describere: chartacei sunt, forma quadrata; alter Gudianus 145, qui praeter Ausoniana nihil habet, scriptus est a. 1445 Jadrae a Baptisto Dedo quodam, ut subscriptio testatur, alter Augusteus 10, 9, qui Ausonii fragmenta cum Martialis quibusdam epigrammatis et Priapeis inter recentiorum

appellat in titulo Ausonium Theonium, alter Ausonium Theomium. THEONIVS vero et THEOMIVS eodem pertinere atque traditum PAEONIVS nemo negabit. Ipsi Guelferbytani — verum est — vetustatis auctoritatem non habent, tamen haec ex eis colligi licet, fuisse etiam in vetustioribus libris aliquod nomen Ausonii, cuius diversas illas habemus formas, itaque etiam aliis de eo cognomento, si exstant, testimoniis fidem non prorsus esse abnegandam.

Accedunt vero altero loco Casparis Barthii testimonia duo, alterum in Advers. l. III. pg. 436 (Francof. 1624. fol.): „In aliis membranis, ubi et Fortunati et Ausonii quaedam (Praeonii adiecto nomine) offendimus, hoc reperi" (sequitur carm. 936 Riesii). Perperam hoc loco corrigendum censuit Bücheler: Petronii. — Alterum quod dubito an ad has ipsas membranas referendum sit, testimonium est in Adv. l. VI. pg. 259: „qua enim alia de causa Ausonius poeta Paeonii nomen in priscis libris (vidimus ipsimet

---

Italorum poemata vernacula exhibet, quantum ex horum aetate conicere licet, circiter saec. XV. finem confectus. Insunt vero atque eodem prorsus ordine haec in utroque: Epigr. 3. 5. 6. Epit. 36. Epigr. 8. 45. de fastis I. Epigr. 10. 11. Epit. 53. Epigr. 13. 19. 20. 119. Epit. 28. Epigr. 42. 70. 120. 71. 127. 78. 23. 79. 80. 81. 96. Epist. X. Edyll. VI. c. praef. VII. 3. 4. (ad pictorem de Bissulae imagine, ad eundem) XIII. c. praef. et epilogo. Conspirant fere plerumque in scripturis, lacunis, carminum inscriptionibus, ita tamen, ut non alter ex altero, sed uterque e tertio videatur esse derivatus, quem ad Tiliani cod. familiam pertinuisse, testantur de fast. I, 9. 10: ‚Exemplo confide meo' sqq. Epigr. 53, 5. 6. al. l. [cf. Axt l. l. pg. 11]. Ceterum bonae notae fuisse archetypum ex eo colligas, quod nomina pleraque optime sunt servata, velut Epigr. 5: ‚Valentiniano' (ll. ‚Valentiano', ‚Valentino'). Ed. XIII. epil. (Toll. pg. 517): ‚Levii' (= Laevii ll. ‚Livii'). Digna, quae commemoretur, etiam Epigrammatis de fast. l. incriptio, quam genuinam et ab Ausonio profectam equidem puto: ‚Consulari libro subicienda, que (lege: quem) ego e cunctis consulibus unum coegi gregorio.' — In Gudiani codicis folio ultimo addidit alia manus Edyllium XV, sic inscriptum: ‚Decimi Magni Ausonii egloga de ambiguitate vite eligende' adiectis in fine versibus decem, qui monachale sapiunt ingenium. De cetero id carmen sicut tertii codicis (Helmstadiensis 332, quem Axt laudavit pg. 14; habet praeter Ed. XIV, XVI—XIX. etiam Ed. XX.) omnia Aldinae editionis textum, qui dicitur, maxime adaequant —

in schedis) habet, quam quod pater eius medicus fuisse ex ipsiusmet scriptis deprehenditur?“ Vinetum redolet explicatio, at de ipso nomine vix dubitaverim [7]).

Videmus igitur utique nominis PAEONIVS fictionem, si omnino fictio fuit, attribuendam esse librariis atque veterioribus quidem, cum sub medium saeculum XV. plures iam eiusdem nominis formae exstarent in codicibus. Qua nominum diversitate haud mediocriter Vineti opinionem infringi, apparet: valde enim fit dubium, num omnino forma PAEONIVS, quam ille unam novit ac respuit, ceterarum fons sit, quibus quidem maiorem non habet auctoritatem. Itaque liceat rem alia ex parte aggredi.

Ratio nominum condendorum quantum imperatorum temporibus a pristino more sanctissimo degeneraverit, nemo nescit: licentia enim, quae iam inclinante republica leniter irrepserat, sensim latius emanante, vix gentilicia nomina videmus servari, alia permulta undique arripi, ab avis, a cognatis, a propinquis denique quibuscunque: praecipue vero materni nominis ad filium transitionem usitatissimam fuisse, lapides testantur; atque eae consuetudines, ut res tulit, maxime valebant in provinciis, ubi pristina illa nominum Romanorum ratio nondum inveteraverat. [cf. Henzen III, pg. 337. Cannegieter, de mutata Rom. nominum sub princip. ratione. Trai. ad Rhen. 1758 pg. 10. Borghesi, memoria sopra un inscrizione del console L. Burbuleio Optato Ligariano. Neap. 1838 pg. 5]. Ita videmus etiam inter Ausonii cognatos [8]) Aemilium Magnum Arborium poetae avunculum nomen Arborii sane de patre duxisse, Aemilii vero de matre, eodem pacto Julium Ausonium poetae patrem Julii nomen a matre Julia aliqua accepisse ex sororum nominibus coniciemus. Minime igitur esset

[7]) Quamquam, cum eo ipso loco in hunc modum pergit: „Tamen in fastis quoque Capitolinis ita vocatur: D. MAGNVS. PAEONIVS. GALLVS.“ ea in re aut vult decipere vir bonus aut decipitur ipse. Quippe fastos Capitolinos iam a. urbis 766 finem capere notissimum est, et in recentioris aevi chronicis consulumque indicibus unum modo, ut monui, invenitur AVSONIVS.

[8]) Stemmata eorum integra inveniuntur apud Boeckingium l. l. pg. 60. Tamen ad rem pertinere putavi, ut eam saltem partem huc transscriberem, qua quaestio nostra illustratur:

mirandum, si etiam poetae ipsi nomen a matre contigisset, quem cognomen Magni ab avunculo esse mutuatum supra vidimus. Jam cum matris nomina habeamus AEMILIA AEONIA in titulo carminis Par. II, atque iterum AEONIA in primo eiusdem carminis versu, equidem hoc matris nomen cum formis illis PAEONIVS, PRAEONIVS, THEONIVS, THEOMIVS comparans, miram hanc et litterarum et moris conspirationem casui hercle non tribuerim. Immo si quid video ad hoc matris nomen illa et referenda sunt et corrigenda, Ausonio igitur quarto loco addendum nomen AEONIVS. —

Matris enim non gentile modo nomen — ut in patre et avunculo poetae — sed etiam cognomen haud raro ad filios transiisse, testantur quae infra congessi exempla e Gallicis petita inscriptionibus [9]). Ipsi Ausonio fortasse iam ea de causa cognomen pro gentili elegerunt parentes, ne duo ab avunculo accepisse videretur nomina AEMILIVS MAGNVS.



[9]) Nomina matris ad filium transeunt aut eadem prorsus forma in masculinam modo faciem redacta, aut paullulum immutata, sive addita aliqua syllaba derivativa — velut illus, inus, ianus — sive, si in matris nomine fuerat, dempta. Cognominis filio traditi haec sunt exempla: primi ordinis: Gruterus (Thesaurus inscript. curis Gudii et Graevii Amst. 1707) pg. 688, 10: C. Antistius Quintillus (mater: Pompeia Quintilla) 731, 4: Julius Severus (m.: Camulatia Severa) 1122, 9: T. Atilius Ingenuus (m.: Julia Ingenua). Millin (voyage au midi de la France Par. 1807) III, 607: Julius Quintinus (m.: Candidia Quintina). Ménard (antiquités de Nismes. Nismes 1840) pg. 122: M. Attius Paternus (m: Coelia Paterna). — alterius ordinis: Gruter. 731, 4: Julius Severianus (m.: Camulatia Severa) Millin II, 122: Tib. Julius Valerianus (m.: Terentia Valeria) III, 564: Cn. Cornelius Lucilianus (m.: Valeria Lucilla). —

Quo vero pacto e forma AEONIVS monstra illa librariorum potuerint omnino provenire, fortasse iam longobardicae scripturae (cod. Voss.) exemplum docebit, e cuius indole AE (ꝏ) una lineola paullulum incurvata in TE (ꝏ) corrigi vel corrumpi possit. Ita fere primum TEONIVS factum esse putaverim, quam formam alius librarius ut fit aliter pro suo quisque iudicio videtur correxisse, is qui Guelferbytanorum archetypum scripsit, fortasse nonnullarum Ausonii epistolarum lemmate: ‚Ausonius Theoni' deceptus THEONIVS, alius ratiocinationem, quam Vinetus postea indagavit, secutus PAEONIVS effecit. Talia accidisse, qui dubitat, eum sufficit admonere Plautini illius cognominis Sarsinatis, quod in librorum scriptura Asinii latere, ostendit quondam Ritschelius v. cl. Ceterum eis, qui Vineti opinionem etiamnunc praeferent, haud minus erit negotium, formas THEONIVS et THEOMIVS e scriptura PAEONIVS derivandi. —

Praeter haec, quae iam tractavimus, quattuor nomina, quae equidem genuina duco: DECIMVS. MAGNVS. AVSONIVS. AEONIVS [10]), alia quoque cognomenta haud pauca poetae imputata

tertii ordinis: Gruter. 692, 1: M. Justinius Marcellus (m.: Primania Marcellina) 1129, 4 M. Sergius Paulus (m. J. Julia Paulina). Atque haec quidem Gallia praebet transalpina. Eundem morem etiam in vicinis fuisse provinciis testantur de Hispania: Corpus incr. Lat. II, 2805 C. Trebius Quietus (m. Terentia Quieta) 1099 M. Aurelius Nympho (Maria Q. F. Nymphe). 115 C. Antonius C. F. Flavinus (Jun. Verecunda Flava) 4305: M. Volumnius M. F. Modestinus (Septimiena Modesta) 214 Fabius Justi F. Gal. Rufus (Sempronia Rufina), de Rhaetia C. J. L. III, 1. 5956 Juvenius Januarius (Jul. Januaria), 5777 Cl. Paternus Clementianus (Cl. Induti fil. Clementina) 5812 T. Fl. Clemens (Traiana Clementina) alia permulta. — Interdum etiam utrumque matris nomen filio inditur aut addito paterno aliquo nomine, velut C. J. L. II. (Hisp.) 4403 C. Caecilius Jubatus Semp. Maternus (m.: Semp. M. F. Materna) aut — quod rarissimum — patris nominibus intactis, ut Grut. 682, 9 Faustinus M. Aurelius (?) (m.: Aurelia Faustina, p.: C. Jul. Maximus). — Saepius, ut re ipsa intelligitur, additur filio alterum matris nomen, ubi idem est parentibus gentile velut C. J. L. II. (Hisp.) 2017 M. Acilius Plecon (editor in inscriptione aliquantulum corrupta Phlegon restituit, sed Plecon sine dubio legendum: m.: Acilia Plecusa, p.: Acilius Fronto). —

[10]) Fortasse quis ex avunculi exemplo AEONIVS ante cognomen

inveniuntur. Quorum illa Physicus (ed. Mediol. 1490), Medicus (ed. Paris. [Ascens.] 1511), utrumque e patris filiique confusione ortum, dein Gallus, Burdigalensis, Augustorum praeceptor, vir Consularis et si qua sunt similia, editorum laeta progenies, non egent commentatione. In libris scriptis nulla repperi, praeter haec duo: IVNIOR, si fides habenda est Endlicheri catalogo, appellatur Ausonius in titulo cod. Vindobonensis lat. 306 olim $\frac{3261}{\varphi\ 335}$; quod cum sit apographum libri Vossiani saec. XVI° Actii Sinceri manu exaratum appellationem illam, quae in Vossiano non est, debemus ipsi Sincero. — Altera quae in cod. Laurentiano plut. LXIV. cod. 9 saec. XIV. poetae intruditur appellatio e ridiculo fere errore orta est: ibi enim Suetonio subiciuntur in fine versus Ausonii de XII Caesaribus Sidonii nomine inscripti; adnotatum vero: ‚Isti versus al. leguntur Decimi Magni Ausonii Musellae', in quibus titulum Mosellae male a librario distinctum, agnoscas. Idem ei accidit, qui Laurent. plut. LXXXIX inf., cod. 8 scripsit.

Denique si recte meminit Boecking, cum dicit (l. l. pg. 61. nota 2), aut falli se aut aliquando pro MAGNO cognomen MAXIMVS Ausonio inditum invenisse — hoc non e compendio MAGNI imperite enodato, sed e versu 41 Edyll. II. natum esse puto, ubi poeta patrem de liberis suis facit loquentem:

‚Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
Praefectus Gallis et Libyae et Latio' sqq.

quod de Ausonio maximo natu intelligendum esse, neque Crusius perspexit qui hac videlicet sententia permotus omnes illas dignitates non ipsi poetae, sed fratri nescio cui maiori natu attribuit. —

MAGNVS ponendum esse putabit, sed videat nominum, quae supra in nota 9 congessimus, ordinem, quem Ausonio quoque vindicat tradita in libris scriptis editisque formarum PAEONIVS, THEONIVS in fine nominis locatio. —

II.

De tempore, quo lucem aspexerit Ausonius, lis adhuc sub iudice. Prorsus rem tacet Scaliger[11]) et Vinetus se nescire profitetur. Aliquantulo audacius iam Belet et Souchay hoc unum in se receptum volunt Ausonium ineunte saeculo quarto natum esse; certiorem annum ne coniectura quidem indagari posse. Tamen paulo post — neque hercle invita Minerva — annum 309 divinarunt Benedictini. Quarum post curas anni 309 vel 310 ad nostram usque valuerunt memoriam, nisi quod ex altera parte Crusius homo nugator ad annum 320 prolapsus est, ex altera Boecking suspicatus, Ausonium iam aliquot annis ante a. 309 vixisse. Meum iam erit, non quod divinando, sed quod certa quadam computatione collatis poetae indiciis assequi liceat tempus, in medium proferre.

Ausonii igitur vitam qui in calculos vocare sibi proposuit, ei omnino initium faciendum est a Julio Ausonio patre poetae, quippe cuius tempora e filii scriptis ad annum deprehendi possunt. Ille enim quo anno sit mortuus, uberrime demonstrant versus iam supra laudati 41 sq. Edyll. II, ubi poeta patrem de ipso filio facit gloriantem:

‚Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
Praefectus Gallis et Libyae et Latio.'

et paulo infra versibus 45 sq.:

‚Huius ego et natum et generum pro consule vidi:
Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit.'

Ex his verbis apparet dilucide, Julium Ausonium mortem obiisse — post initam a filio duplicem praefecturam: alteram Galliarum, qua fungebatur annis 378 et 379 [cf. Grat. act. pg. 736 Toll. Tillemont V, 250. 409.] fortasse etiam 380 [Rubenii vita Fl. Mallii Theodori ed. Platner Lips. 1754 pg. 18], alteram Italiae et Africae, quam paulo ante praefecturam Gallicam videtur obti-

[11]) Temerariae Scaligeri in annum 309 computationis, quam recentiores plerosque secutos esse Boecking queritur (l. l. pg. 61. 2), ne vestigium quidem usquam apud illum repperi. —

nuisse [Till. V, 409. 411] — post Hesperii nepotis proconsulatum Africae, quam annis fere 376 et 377 administravit [Till. V, 408 sed vide infra notam 12. Ruben l. l.] — post Thalassii, generi poetae, proconsulatum eiusdem provinciae, quem honorem habuit anno 378 [Till. V, 250. 408. nota 12] — denique antequam Ausonius filius consulatum iniit, sed comperto iam, illum mox [anno videlicet 379] hac dignitate ornatum fore.

Quodsi iam Thalassii modo proconsulatum cum Ausonii consulatu conferimus, sequitur Julium Ausonium intra anni 378 fines diem obiisse supremum[12]). Qua vero aetate pater occubuerit, duobus locis filius significat: Par. I, 1 sqq.:

‚Primus in his pater Ausonius, quem ponere primum,
Etsi cunctetur filius, ordo iubet:
Cura dei placidae functus quod honore senectae
Undecies binas vixit Olympiadas.'

atque Edyll. II, 60 sq. ‚ubi patrem praedicantem facit:

Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
Exegi cunctis integer officiis.'

Quae cum duobus annis inter se differant testimonia, equidem Edyllii numerum utique praeferendum esse censeo repugnantibus licet Benedictinis, Crusio, Boeckingio, aliis, quibus magis placue-

[12]) Quamquam Tillemont [eumque secuti Benedictini al.] ubi Julii Ausonii mortem computat (V, 250. 310) defertur in annum 377, hac quidem maxime fretus ratiocinatione: Hesperius statim post proconsulatum ipso anno 378 habuit maiorem praeturae dignitatem. Quam certe in versibus illis non tacuisset poeta, si Julius Ausonius eam vidisset etiam. Obiit is igitur ante annum 378. — At vero omisit in ea argumentatione v. cl., quod Thalassius Hesperii successor eodem tempore factus est proconsul, quo ille ad praeturam est evectus, ut qui Thalassium vidit proconsulem, eum etiam Hesperium praefectum vidisse oporteret. Remisit videlicet Ausonius filii praeturam, ut filium et generum eodem proconsulatus magistratu coniungeret suoque ipsius opponeret consulatu. — Quodsi vero Tillemont, ut Thalassii proconsulatum in annum 377 promoveat, Paulini Pellaei testimonio utitur et hunc quem Hesperii filium, Ausonii nepotem ducit narrare asseverat in eucharistici v. 31 sqq. [ed. Leipziger. Vratisl. 1858], se primo vitae mense cum patre e Macedonia in Africam navigasse, mansisse illic menses 18 sub patre proconsule, advenisse vero Burdegalae tres fere annos natum (‚nostra

runt Olympiades. Atqui quod omnino maior habenda videtur fides versibus imagini defuncti subscriptis, quam naeniae parentali, mitto: certius argumentum praebent poetae in ipso parentali carmine primo verba: ‚patrem ponere primum ordo iubet.' In quibus ordinem ad aetatis gradum spectare adiecta probat sententia: ‚quod undecies binas vixit Olympiadas', atque hoc non modo optime convenit cum praefationis versibus 5 sqq., ubi poeta se cognatis parentaturum esse praenuntiat ex antiquissi moritu:

‚ut gradus aut mortis postulat aut generis',

sed etiam universa carminum serie defenditur, in qua maiores natu eos, qui iuniores mortem obierunt, loco fere praecedunt [cf. Par. IX, 1 sq.]. Quodsi enim inter postremas quoque laudationes seniores occurrunt, hoc videlicet alteri regulae, ‚gradus generis' vel cognationis observandi debetur. Jam si ordo ille re vera est ordo aetatis, necesse est, cum poeta patrem ordine faciat primum, ab hoc omnes, qui postea enumerantur, cognatos aetate superatos esse: decessit vero Argicius Arborius poetae avus nona-

---

trieteride prima') eo anno, quo avus consul fuisset (379) — quodsi hoc testimonio utitur Till. [V, 407) et inde concludit, reliquisse igitur Hesperium Africam iam medio fere anno 377: ea computatio dissolvitur ipsis Paullini verbis, qui quantum video non unum mensem, sed novem sibi in Africam proficiscenti tribuit:

v. 31 ‚Moenia Sidoniae Carthaginis usque venirem,
Ante suum nono quam menstrua luna recursu
Luce novata orbem nostro compleret ab ortu.'

Quos novem menses si calculis Tillemontii substituimus, satis apparet Hesperium, si fuit Paullini pater, Africam non reliquisse ante initium anni 378, itaque hoc demum tempore ei successisse Thalassium, Julium igitur Ausonium non potuisse generum filii videre proconsulem, nisi anno 378, ante cuius anni initium re vera neque ad Thalassium proconsulem neque ad Hesperium praef. Galliarum leges missae exstant in codice Theodosiano. — Sin vero, quod Leipziger l. l. nuperque Ebert (Gesch. der christlich-lat. Litt. Leipzig 1874 pg. 388 sqq.) censuerunt, Paullinus non fuit Hesperii filius, tum sane nec dubitatio Tillemontii, nec mea reprobatio ad rem pertinet. Ceterum vastior et intricatior haec nova quaestio, quam ut unius notulae spatio possit expediri, itaque ne nimius fiam, hoc loco eam remitto.

genarius [Par. IV, 23]: Quo uno totus ille ordo subvertitur, nisi Edyllii testimonio freti etiam Julio Ausonio patri annos vindicamus nonaginta. Hunc vero numerum egredi ea de causa dissuaserim, quod maior Olympiadis pars vel solida Olympias in computatione prorsus taceri vix potuit, id quod in minore vel etiam dimidia Olympiadis parte facile ignoscitur versificatori.

Julium igitur Ausonium, qui anno 378 nonagenarius diem obiit, natum esse oportet anno 288. Iam ad filium nos convertimus. Qui in epistola I, ad patrem de suscepto filio missa, cum de sua ac de patris aetate loquitur haec profert:

13 ‚— aetas — nostra eadem, nam supparis aevi
Sum tibi ego et possem fratris habere vicem.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis,
Quanta solent alios tempora dividere.
Vidi ego natales fratrum distare tot annos,
Quot nostros: aevum nomina non onerant.'

porro v. 25: ‚Annos me nescire tuos, pater optime, testor:
Totque putare tuos, quot reor esse meos.'

Quibus e versibus restricta superlatione poetica hoc verum certumque depromere licet: minus solito fuisse spatium, quo dividerentur pater et filius. Nunc reputantibus nobis ipsum filium non fuisse primam Julii Ausonii progeniem, sed sororem Aemiliam Melaniam [Par. XXIX, 4] uno consule maiorem exstitisse natu, quam fratrem Ausonium, videbitur Julius uxorem duxisse duobus fere annis ante natum Ausonium filium. Quodsi iam tenemus, apud Gallos pro coeli hominumque natura serius maturescere pubertatem, quam apud Italos aliasque gentes orbis antiqui, ideoque omnino matrimonia serius iniri — id quod testantur inscriptiones[13]) — Julii vero Ausonii nuptias ipsis studiis — medicinae arti

---

[13]) Nihil quantum scio de solita matrimonii ineundi aetate apud Gallos scriptores illorum temporum tradiderunt, et inscriptionum, e quibus certus nuptiarum annus erui possit, numerus perpauculus cum feminarum [cf. Friedlaender, Darstell. aus d. Sittengesch. Roms II, 326] tum virorum. Quippe de his equidem tria modo inveni testimonia: 1) Millin. l. l. I, 508 — ann. 20 (sed natione est Afer). 2) Gruter. 647, 5 — ann. 22. 3) id. 1050, 8 — ann. 36 (fortasse 27). Accedit 4) Paul

se dederat — amplius etiam retardari debuisse, quam agricolarum vel opificum [14]) — non equidem vereor, ne temeritatis insimuler, si Julium Ausonium ante aetatis annum duodevicesimum, itaque ante annum 306 uxorem non duxisse contendo. Ea vero lege Ausonius filius ante annum 308 natus esse non potest.

Videamus iam ex altera parte, quem annum ponamus terminum, post quem poetam in lucem editum esse negamus. Ergo praedicat Ausonius Par. IV, 9, se ‚lactantem puerum iuve-

---

lini Pellaei in eucharistici v. 176 sqq. testimonium, se annos XX. natum uxorem duxisse. Quae perpauca exempla cum sufficere nullo modo possent, examinavi cunctas apud Gruterum Gallicas incriptiones, in quibus omnino aut coniugum aetas notaretur, qua vita decesserunt, aut iuvenum eorum, qui cum parentum vel nutricis nomine eis positum esset monumentum matrimonium nondum contraxisse viderentur. Atque terminos notandi posui annos XVIIIum et XXXVum; si qua inscriptio suspecta videbatur, uncis inclusi. — Ergo coniuges obierunt:

1. Gruter. 963, 7 — a. 25 (libertus fuit)
2. (307, 8 — a. 26.)
3. 483, 1 — a. 28. m. 5, d. 10.
4. 731, 3 — a. 35 (filia posuit)
5. 752, 4 — a. 35 d. 14
6. 938, 1 — a. 18 (libertus fuit)

Juvenes obierunt caelibes:

7. 675, 12 — a. 18. m. 8. d. 10.
8. 711, 1 — a. 20.
9. 649, 4 — a. 20. m. 7.
10. 658, 6 — a. 22.
11. 713, 2 — a. 22.
12. 708, 7 — a. 23.
13. 706, 13 a. 24.
14. 687, 5 — a. 24. m. 2. d. 15.
15. 697,5 — a. 24. m. 4. d. 10.
16. (1152, 8 — a. 25).
17. 884, 7 — a. 28 m. 8. d. 6.
18. 639, 6 — a. 29.
19. 691, 5 — a. 30. m. 1. d. 3.
20. 641, 2 — a. 30. m. 2.
21. 584, 4 — a. 31. m. 5. d. 26. (miles fuit)
22. 426, 4 — a. 34.

Habemus igitur in quinque prioribus inscriptionibus ante annum XXVum nullum maritum; porro apud caelibes priores septem anni ad XXVum usque duodecim praebent nomina, decem posteriores sex modo. — E quibus omnibus si licet calculos subducere, putaverim circa medios tertii vitae decennii annos Gallos homines plerumque duxisse uxores, ut qui ante alterum decennium exactum vel etiam paulo post conditionem quaereret, satis mature id fecisse putaretur. —

[14]) Quinquennium fere ei, qui tale munus sibi elegerant, in studiis vel forensibus vel philosophicis vel medicis ponere solebant, postquam usque ad decimum quartum vel quintum aetatis annum communi litteratis hominibus doctrina apud Grammaticos et Rhetores erant imbuti. [cf. Kaufmann l. l. pg. 15].

nemque virumque' ab Aemilio Magno Arborio avunculo artibus esse imbutum liberalibus. At vero discimus e Prof. XVI, 13 sqq. [15]), eundem Arborium Constantinopolim demigrasse, ubi Caesaris alicuius praeceptor fieret. Quod non prius factum esse posse, quam Ausonius virilem aetatem esset ingressus, manifesto apparet. Praeterea cum ‚vir' illo Par. loco ‚iuveni' sit appositus et oppositus, eum, quo tempore avunculus Galliam reliquerit, iam prope finem secundi vitae decennii fuisse necesse est.

Quaerendum igitur quo anno Constantinopolim se contulerit Arborius, atque primum quidem, quis fuerit Caesar ille discipulus. Cogitandum vero omnino de Imperatoris modo Constantini M. filiis [16]), atque cum Crispus fratrum longe maximus natu, qui Lactantii disciplinae fuit commissus [Till. IV, 271], iam ob ipsam aetatem [natus a. fere 300 paterno occubuit odio a. 326, cf. Till. IV, 353 sqq.] Arborii alumnus fuisse nequeat, de tribus duntaxat iunioribus. Quorum quis fuerit, utrum Constantinus [natus a. 316] an Constantius [natus a. 317] an Constans [natus a. 320, Caesar factus a. 333, cf. Till. IV 267. 272. 398] certo diiudicare, sane haud licet. Veri tamen videtur simillimum, fuisse Constantem, cum fratres iam anno 332 alter, Constantinus, bello adversus Getas gerendo praeesset, alter, Constantius, Treveris domicilium locaret regium [Till. IV, 394. 413. Bened. II, 5]. Quodsi iam ex aliorum principum exemplis — velut Gratiani, cui Ausonius nondum primum egresso decennium praeceptor est appositus [vide infra pg. 31], Honorii, quem Arsenius inde a primis formavit annis [cf. Till. V, 493] — ad hanc Constantis institutionem coniecturam facere licet, hunc quoque parvulum in Arborii disciplinam venisse putabimus, decessisse igitur Arborium

---

[15]) Prof. XVI, 13:

‚Byzanti inde (a Gallia) arcem, Thressaeque Propontidis urbem
Constantinopolim fama tui pepulit.
15. Illic dives opum, doctoque ibi Caesare honorus
Occumbis patribus Magne superstitibus.' cf. Par. IV, 10 sq.

[16]) Recte sane monuerunt ad illum locum Prof. XVI, 15. Vinetus et Souchay, plures fuisse illis temporibus Caesares: at vero Dalmatius Caesar, Dalmatii Censoris filius, quem Arborii discipulum existimat

e Gallia certo intra fines tertii etiam decennii saeculi IVi. Ante oculos est, magis etiam et ad medium fere illud decennium promoveri tempus migrationis, si non Constans, sed alius e Constantini filiis Arborii fuit discipulus.

Jam conferamus illud, quod suprà probavimus, Ausonium, quo tempore avunculus Constantinopolim se contulerit, prope finem secundi vitae decennii fuisse: tum statuamus oportet, eum post annum 311 in lucem editum esse non posse, — quem annum egredi dissuaderet praeterea prius illud de patris aetate testimonium. Itaque si totam respiciemus computationem, videbitur poeta natus esse intra annos 308 et 311; atque in hoc temporis spatio mea quoque sententia cogitandum est maxime de annis 309 et 310, quippe qui a neutra parte in dubitationem vocari possint.

Hanc rationem, quantum video, unam ad aetatem suam definiendam Ausonius nobis paratam reliquit. Nam cetera quae hic illic in scriptis eius deprehendas aetatis indicia, ansam computanti non praebent. Ita, quod Par. IX, 7 sq. testatur, iuvenem etiam tum se amisisse uxorem, novem Olympiadibus antequam Parentalia scriberet — verum enim vero quo anno scripserit Parentalia, ex eis non liquet. — Ita porro omnia fluctuant, quae de senectute queritur, cum in Edyll. III. (post consulatus honorem composito) et IV (scripto decem fere annis post Ed. III.), tum maxime in gratiarum actione de consulatu (habita a. 379 Treveris apud Gratianum imperatorem), ubi (Toll. pg. 709, Souch. § 24) semet praeter alios esse electum praedicat, ‚quem tu matura iam aetate succinctum per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres: timere ut videreris, ne in me vita

---

Souchay, et frater Annibalianus Rex non ab Arborio Constantinopoli sed ab Exuperio Narbone edocti sunt [cf. Prof. XVII, 9 sqq.], et Licinianus, Licinii filius, Caesar Constantino avunculo invisus a. 326 trucidatus [Eutrop. X, 6. cf. Till. IV, 355]; Julii denique Constantii, Constantini M. fratris, filii Gallus et Julianus Caesares, nati annis 331 et 333, Caesaris titulum acceperunt annis demum 351 et 355 [Till. IV, 131, 734. 130, 799], duo fere decennia post mortem Arborii [cf. pg Restant igitur Constantini modo filii.

deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes praestare, superesset.' [cf. etiam Toll. pp. 711 et 736.] Hunc flosculum esse orationis, non veram decrepitae senectutis confessionem, ex lenitate verborum: ‚videreris' et ‚matura iam aetate succinctum' colligi licet [17]). Omnino totus locus parum definite prolatus, licet Benedictinis, Boeckingio, aliis pro certo testimonio fuit, Ausonium intra primi decennii saec. IV^{i} fines natum esse. —

Restat, ut succincte recenseam eam computationem, cuius lineamenta Boecking indicavit [18]). Mitto equidem quam implicata sit et contorta tota ratiocinatio, gravissimum modo respiciens viri docti erratum, quod mors praematura, qua uxor Ausonii reapse defuncta est [Par. IX, 25.] matri poetae intruditur, quam per quadraginta quinque annos vixisse in Julii Ausonii coniugio e versu 37 Ed. II. percipimus. Quo uno adminiculo calculis subtracto cuncta corruunt. —

---

[17]) Ceterum tribus fere post consulatum lustris scitam illam et alacrem Paulino scripsit epistolam, quam legimus Ep. XXV, redolentem viri animum ne tum quidem senectute confecti.

[18]) l. l. pg. 61 nota 3: ‚Ein anderes bisher unversuchtes Mittel, jenen Zeitpunkt zu bestimmen, gewährt folgende Bemerkung: wenn Ausons mütterlicher Grossvater Caecilius Argicius um das Jahr 270 nach Acqs zog, sich dort verheirathete und unter seinen 4 Kindern Aemilia Aeonia, Ausons Mutter, nicht die älteste war (wie sich aus dem Gedichte auf deren Bruder Aemilius Magnus Arborius schliessen lässt), diese aber im 28. Jahre ihres Alters starb, nachdem sie mit ihrem Gatten Julius Ausonius 4 Kinder gezeugt, von denen unser Ausonius das zweite war (denn er selbst sagt, seine jungverstorbene Schwester Aemilia Melania sei ein Jahr älter, sein Bruder Avitianus dagegen jünger als er selbst gewesen, und dass auch seine Schwester Julia Dryadia nach ihm geboren sei, geht aus dem Leichengedicht auf Julius Ausonius hervor), so kann besonders nach Vergleichung dieser Zeitumstände mit den früher angeführten (testimonium illud de senectute respicit) die Zeit der Geburt unseres Dichters nicht wohl anders, als in das erste Jahrzehnt des vierten Jahrhunderts gesetzt werden; aber wahrscheinlich ist mir, dass er mehrere Jahre vor 309 schon lebte.'

III.

Natus igitur Ausonius anno 309 vel 310 Burdegalae [Praef. II, 7. Cl. Urb. XV, 40] matre Aemilia Aeonia [Par. II. vide notam 25] patre Julio Ausonio medico [Praef. II, 3, 14. Par. I. Ed. II.] qui Cossione Vasatum ortus inde Burdegalam migraverat, ibique florebat cum nobilitate generis tum doctrinae fama. Dignitates eius ad posteriora tempora pertinent, ubi una cum filii honoribus erunt perquirenda. [Ceterum conferatur Teuffel apud Paulyum s. v. Julius Ausonius.] De primis Ausonii filii annis, quos inter parentum, avii, aviae, avunculi [cf. pg. 27], amitae, materterarum manus degit, adeo accurate omnia congessit testimonia Souchay l. l. pg. XIII, ut nihil possem addere, abstineo igitur et ad institutionem statim me converto. Ergo iusto solitoque tempore [19]) — certius anni indicium non habemus — videtur Grammaticis Burdegalensibus traditus esse in disciplinam, quorum quidem Macrinum [Prof. X, 16], Romulum, Corinthium, Menestheum (Prof. VIII, 10] praeceptores suos primos appellat. Nec vero diu Burdegalae mansit: puerulus enim etiam tum [cf. pg. 27] Aemilio Magno Arborio avunculo Tolosam [Clar. Urb. XII. 1.] in institutionem est commissus. Atque hic mihi videtur esse locus, quo viri huius memoriae patrociner, rhetoris inter paucos tum docti atque nobilis quique Ausonio fuerit non praeceptoris modo sed patris quoque vice. Qua in re primum erit, ut eum suis reddam temporibus, quippe, quem Teuffel (pg. 939 [ed. II.], apud Paulyum s. v. Arborius) comitem fuisse a. 379, praefectum urbis a. 380 suspicatur [20]), eundem Benedictini

[19]) Quam tenera aetate pueruli plerumque in Grammaticorum venerint scholas, discimus ex Ausonii protreptico ad nepotem (Ed. IV.) v. 67 sqq.:

‚Multas lactantibus annis
Ipse alui gremioque fovens et murmura solvens
Eripui tenerum blandis nutricibus aevum.'

[20]) Magnam habet speciem, quod Till. IV, 225 coniecit, fuisse hunc Arborium [quem praeter cod. Theodos. I. 32, 4 VI, 35, 5 XIV, 3, 16. etiam Sulpicius Severus commemorat dial. II. (III.) 10, 6 vita St. Martini c. 19 (Halmii)] filium Juliae Dryadiae sororis Ausonii [Par. XVI.].

(II, 97 sqq.) a. fere 270 natum esse, obiisse circiter a. 335 asseverant. Atque rectissime mea quidem sententia mortis annum augurati sunt monachi : Nam Imperatorem Constantinum etiam vixisse tum, ex eo licet colligi, quod ‚docto Caesare honorum' occubuisse avunculum dicit Ausonius [Prof. XVI, 15, vide notam 15], cum post Constantinum mortuum (a. 337) docto Principe vel Augusto fuisset honorus, discipulo ad imperium una cum fratribus evecto. Simul trans medium decennium IV. ideo non videtur descendendum, quia Arborius postremis demum decennii III. annis Constantinopolim vocatus [cf. pg. 20] non solum, cum obiret, in institutione Caesaris erat versatus, sed etiam rhetor [Par. III, 16] magnas sibi paraverat divitias [Prof. XVI, 15], maiora opinor quam unius quinquennii negotia.

Quaerendum vero, qua fere aetate occubuerit. Atque exstat sane testiomonium in versibus illis conclamatissimis carminis Par. IV, 23—28 quos infra inter coniectanea critica aliis e partibus examinaturus, hic dedi Tollianam secutus scripturam. Alloquitur in his poeta Caecilium Arborium rhetoris patrem:

‚Tu novies denos vitam cum duxeris annos,
Expertus Fortis tela cavenda deae,
Amissum flesti post trina decennia natum:
Saucius atque tuo lumine cassus eras.
Dicebas sed te solatia longa fovere,
Quod mea praecipuus fata maneret honos.'

Opponit igitur poeta Arborii patris longaevam senectutem breviori, quod filius assecutus sit, vitae spatio [21]). Iam cum e v. 27. 28 facile percipiatur, fuisse, quem pater amiserat, filium unicum (cur enim solatium quaesivisset ex nepotulo, quod e filio habere potuisset?), porro cum Ausonius avunculos morte surreptos praeter unum Arborium rhetorem non commemoret in parentalibus, hunc vero ipsum oppetiisse vivis parentibus plane asserat in carmine Prof. XVI, v. 16 [vide notam 15], —

[21]) Non eget refutatione Floridi inepta interpretatio: ‚postquam vixisti XC. annos, plorasti filium', quam ne per grammaticam quidem rem, ut prorsus taceam de temporum ratione, stare posse, est ante oculos.

dubitari nullo modo potest, quin hoc quoque parentalium loco idem ille rhetor Arborius significetur.

Nihilo tamen secius, qui adhuc de Arborio exposuerunt, fratrem potius huiusce intellexisse videntur[22]). Nec causa latet: Quippe triginta annorum, qui mortuo illi filio tribuuntur, tam exiguus numerus nequit omnino ad rhetorem Arborium adaptari. Omisso enim quod Ausonius in neutro de avunculo carmine [Par. III. Prof. XVI.] querelam instituit de praematura morte, qua solita alioqui [cf. Par. XIV, 3. XV, 4, 9. XVII. XIX. XX. Prof. III. al.] in tanto viro non debuisset supersedere, certi quoque calculi adversantur: Quodsi Arborius a. fere 335 tricenarius obiisset, tum vix uno Ausonium superasset lustro. Ea vero lege — ut unum afferam de multis — qui potuit ille Ausonium primam etiam agentem pueritiam in domum suam scholamque assumere maritus iam tum [cf. pg. 27] doctorque celeberrimus?

Apparet utique Arborium multo plus triginta annos esse assecutum. Obstant vero simul, quae supra attuli indicia gravissima, quominus de alio cogitemus fratre. Restat ergo, qua nodus expediatur, una duntaxat sententia, corruptum esse numerum: ‚trina'. Et cum duae modo per temporum et metri rationes ferri possint immutationes: ‚quina' et ‚sena', minor numerus maiorem prae se fert speciem veritatis cum aliis, quas infra [nota 26] exponam, de causis, tum ob ipsum ductum litterarum. Testatur enim Axt (l. l. pg. 5) — atque egomet vidi — sexcenties deprehendi in Vossiano codice litteram ‚c' pro ‚qu' scriptam. Quae mutatio non Vossiani, sed archetypi librario debetur, quippe quia nova etiam vitia ex illo orta inveniuntur in codice. Quodsi praebuit archetypus: ‚postcina', facile qui Vossianum inde transscripsit iterata modo littera ‚t' etiam ‚posttrina' potuit efficere[23]).

---

[22]) Ita Benedictini, neglecto praeterea loci Prof. XVI, 16 testimonio, perperam censuerunt, Arborium patrem iam anno fere 320 (II, 441) diem vidisse supremum filio rhetore superstite [cf. II, 58: Il laissa un fils et trois filles].

[23]) Hanc nostram emendationem et alteram huiusce commentationis una cum eis, quas inter coniectanea secundo loco et quarto proferemus, nudas ac sine commentario Ritschelius v. cl. evulgavit in Actis soc.

Quam si recipiemus scripturam, natus esse videbitur Arborius, quem a. fere 335 obiisse vidimus, circiter a. 285, paucis igitur annis ante Julium Ausonium sororis maritum, quocum artissima coniunctus erat amicitia. [Par. III, 7.] Atque ortus est patre Caecilio Argicio Arborio Aeduo, qui temporibus tyrannicis Victorino vel Tetrico in Gallia regnante cum avo patreque patria pulsus[24]) Aquis Tarbellicis exul Aemiliam Mauram duxerat in matrimonium. [Par. IV.] Eam vero matris urbem cum omnes Souchaeo duce filio quoque Arborio pro natali solo attribuant, equidem, cum ab Ausonio in professorum numero sit commemoratus, Burdegalae cunas eius fuisse putaverim. Nam his carminibus celebrasse se eos, qui vel peregrini Burdegalae vel qui Burdegalenses peregre docuissent, poeta asseverat in praef. Epit. Her. (Toll. pg. 189) [uno, quem ipse indicat, excepto Staphylio Auscio c. XX.] nec vero usquam tradit avunculum Burdegalae docuisse, sed plane rhetorem Tolosanum appellat, ut Exuperium (XVII.) et Sedatum (XIX.) Accedit quod in versibus Prof. XVI, 7 sqq.: ‚Stemma tibi patris Aeduici: Tarbellica Maurae
Matris origo fuit: ambo genus procerum.'
mea quidem sententia, si Arborius quoque ipse Tarbellicis Aquis natus esset, eam originem Ausonius non matri eius soli attribuisset. Omnino quod patria Arborii non diserte significatur,

---

phil. Lips. tom. V. pg. 319. Quarum iam, ut tunc promissum, rationes reddimus.

[24]) Recte iam Benedictini II, 58 verba: ‚avus et genitor' (Par. IV, 8) de avo patreque Caecilii Arborii intellexerunt. Quodsi quae Floridus sibi finxit: ‚meus avus et eius genitor' voluisset poeta, scripsisset, puto, quod per metrum aeque licebat: ‚avus et proavus' [ut Ed. III, 2 ‚quod proavus quod avus']. — Ceterum ipsam fugam, quam parum definite indicatam ab Ausonio Par. IV, 8 sq. (‚avus et genitor Proscripti regnum cum Victorinus haberet Victor et in Tetricos recidit imperium') Benedictini II, 58 ad annum 264 referunt, Boecking ad a. 270 [vide notam 18], (Crusius aliquid de Christianorum nescio qua persecutione fabulatur), equidem a. 269 suspicor accidisse, quo Tetricus Augustodunum Aeduorum caput contra se rebellans cepit et in cives seditiosos gladio, proscriptione, confiscatione saeviebat. [Eumen. pro restaur. schol. 4. grat. actio 4. Till. III, 1023.] —

cogitandum est de una Burdegala. Putabimus igitur, iam ante filium natum migrasse Aquis Tarbellicis Arborii parentes et Burdegalae consedisse, ubi quo tempore Ausonius natus est certo habitabant, ut e carm. IV, 21 sqq. V, 9 sq. VI, 11. XXV, 9 sq. apparet [25]).

Natus igitur Burdegalae, si recte conieci, ibidem studiis se dedit liberalibus, in quibus ad medium fere vitae decennium tertium domi usque eum esse versatum, ex eo intellegitur, quod Ausonium sororis filium infantem ‚lactantemque' [Par. III, 9] fovit et formavit [26]), quem primam aetatem degisse in Arboriana maxime domo e Par. V, 9 sq. percipimus:

‚Haec (avia) me praereptum cunis et ab ubere matris
Blanda sub austeris imbuit imperiis.'

Iuvenis deinde Tolosae nactus cathedram laudibusque florens et discipulorum concursu uxorem duxit [Prof. XVI, 10], liberos vero eius nusquam neque Ausonius neque proximorum temporum historia commemorat, quin etiam orbum eum mansisse, ex versibus Par. III, 9 sq.:

‚Tu, postquam primis placui tibi traditus annis,
Dixisti, nato me satis esse tibi.'

coniciemus; quippe vox mariti est de propriis liberis suscipiendis desperantis. Inde colligemus praeterea, Ausonium in avunculi disciplinam esse commissum, cum ille iam aliquot annos vixisset in coniugio, itaque, ni fallor, circa finem alterius decennii saeculi IV.

---

[25]) Quae si recte se habent, etiam Ausonii mater, soror Arborii non Aquis Tarbellicis sed Burdegalae nata esse videbitur. Minorem enim natu fuisse eam fratre ideo putaverim, quia ille etiam coniugem eius, Julium Ausonium aetate superabat [cf. pg. 26]. Accedunt praeterea hic quoque plana de matre eius testimonia: Par. II, 2 sq.: ‚Tu genetrix Aeonia sanguine mixto Tarbellae matris patris et Aeduici' et Praef. II, 5 sq.: ‚gens Aedua matri de patre, Tarbellis sed genetrix (matris videlicet) ab Aquis.' —

[26]) En habes alteram, cur quina potius quam sena decennia supra Arborio tribuerim, causam: qui si sexagenarius decessisset a. fere 335, eo quo Ausonius lucem aspexit tempore quinque iam et triginta habuisset annos. Ea vero aetate doctoris munus sine dubio iam diu susceperat [cf. Prof. XVI, 9]; quod cum non Burdegalae coleret, sed Tolosae, non

Ceterum Arborius etiam in Aquitania et Hiberia et Novempopulonia rhetor oratorque passim egisse traditur (Par. III, 7 sqq.). Utrum vero haec fecerit ante munus Tolosanum acceptum an dum Tolosae sedem habet an postea, temerarium duco decernere; omnino hos labores tamquam levioris momenti ne attigit quidem poeta in altero de avunculo carmine Prof. XVI. Quo deinde tempore Constantinopolim sit accitus — fortasse a Constantini fratribus Imperatori commendatus, quos Tolosae ‚sub exilii specie sepositos' noverat (Prof. XVI, 10) — ibique morte obierit, supra iam demonstratum est [cf. pg. 20.24]. Corpus eius mortuum ab Imperatore Burdegalam remissum parentibus [Prof. XVI, 17). —

Revertimur ad ipsum Ausonium. Qui quo tempore avunculus Galliam reliquit, quamvis ad virilem iam pervenisset aetatem, nondum tamen — id quod plerisque visum est — absolverat studia. Quin haec iterum Burdegalae ei culta esse per aliquot annos intellegitur e carminis Prof. III. initio:

‚Rhetora Luciolum condiscipulum atque magistrum
Collegamque dehinc naenia moesta refer.'

Is enim Luciolus Burdegalae modo docuit. Obstat vero breve, quod sortitus est, aevum [Prof. III, 5], quominus eum iam in primo Ausonii tirocinio Burdegalensi — ut Souchaeo placuit — munus docendi suscepisse et habuisse etiam tum putemus, cum ipse Ausonius cathedram obtinuit. Praeterea condiscipulus de aequaevo omnino dictum esse crediderim (confer etiam, quae infra de Acilio Glabrione afferam pg. 30). Denique hac demum aetate in forensi studio versatus esse potest noster sub Tiberio Victore Minervio oratore [Prof. I, 9 sqq.].

In patria igitur studiis grammaticis, rhetoricis, oratoriis [Praef.

---

potuisset Burdegalae ornare Ausonii primordia. Tertium vero est, quod cum de vitae spatio solito maiore, quod mater Arborii assecuta esse possit, nihil praedicet Ausonius (Par. V.), mater vero filio fuerit superstes (Prof. XVI, 16. cf. notam 15), hunc mediocre aevum esse egressum haud est verisimile. Quas rationes, quamvis per se quaeque spectata levior videri possit, tamen coniunctas putaverim unius gravioris testimonii loco habendas.

II, 15] ad finem perductis, Ausonius Grammaticam profiteri coepit et ipse. Quod munus qua fere aetate susceperit, Scaliger, Belet, Souchay, Boecking, alii permulti facillime depromere sibi visi sunt e versibus Praef. II, 23 sqq. Quem locum ut res penitus dignosci possit, totum liceat asscribere:

15. ‚Nos ad Grammaticen studium convertimus et mox
Rhetorices etiam quod satis attigimus.
Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior: et nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
20. Aemilium aut Scaurum, Berytiumque Probum:
Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
Collatus, non et subditus, adspicerem.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis
Asserui doctor municipalem operam.
25. Aurea et Augusti palatia iussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui.'

Ergo docent viri docti, apparere e v. 23. 24, Ausonium triginta annos natum munus docendi suscepisse. Quid vero primum, quod iam in prioribus versibus 17 sqq. curam suam docendi laudat Ausonius seque satis magnum Grammatici nomen praedicat docendo meruisse — quomodo haec cum versuum 23. 24 testimonio conveniunt, se „dehinc" demum asseruisse cathedram? Bene conveniunt — Kaufmann (l. l. pg. 13) intercedit — nam priora illa ad id tempus pertinent, per quod Ausonius privatim docuit, iam publicam obtinuit docendi provinciam tricenarius. Teneamus modo illud de privata aliqua Ausonii doctrina. Iam vero videant viri doctissimi, quomodo e verbis: ‚Exactis dehinc per trina decennia fastis' indicium eliciant quamvis levissimum, quod nobis suadeat, ab natali anno Ausonii calculos esse subducendos. Quin immo vocabulum ‚dehinc' manifesto spectat ad ea, quae proxima praecedunt, ad id igitur tempus, per quod Ausonius Grammatica et Rhetorica edoctus cum ad opus forense tum ad docendi cultum incubuit. Quae cum ita sint, putandum esset ex loci natura, misellum nostrum per triginta annos privatim docuisse frustraque expectasse, donec a civibus suis cathedra sibi

deferretur publica. Quas nugas cum iam unum illud de Luciolo testimonium [cf. pg. 28] satis refelleret, prorsus explodit carmen Prof. XXIV, ex quo percipimus, Ausonium Acilio Glabrioni condiscipulo suo, qui mortem praematuram obiit, adeo in munere publico antevertisse, ut ille Grammaticus ei sufficeretur, cum ipse iam ab ea provincia eveheretur ad Rhetoris cathedram (Prof. XXIV, 1. 5. 11).

Hac igitur via cum res expediri non posset, prorsus aliam ingressus est Buse (l. l. pg. 66), sed vitans Charybdim in Scyllam incidit. Quippe municipalem operam de magistratu quopiam, fortasse de famoso Ausonii consulatu Burdegalensi[27]) intellegendam esse censet, quamquam poeta, quasi cauturus talem interpretationem, addito vocabulo: ‚doctor' iam satis superque indicavit, de alio quam docendi munere publico non esse cogitandum.

Videmus utique, simplici interpretatione, quocunque nos vertimus, nihil profici. Itaque cum etiam alia ex parte suspicionem moveat sententia — (mirum videlicet, quod Ausonius vocationem suam in aulam Imperatoris, novae vitae exordium et amplissimarum dignitatum fundamentum, praetereundo fere affert atque inani coniunctione ‚et' municipali adnectit operae, tamquam ex illa profluxisset) — hoc quoque loco ad coniecturam confugiamus. Atque modica sane litterarum mutatione optime sic evadit sententia:

‚Exactisque dehinc per trina decennia fastis
D e s e r u i doctor municipalem operam:
Aurea et Augusti palatia iussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui.'

Qua emendatione levissima omnes removentur offensiones: Primum — id quod gravissimum — nihil iam obstat, quin trina illa decennia ad totum tempus quod Burdegalae docendo

---

[27]) Vide, quae de hoc consulatu protulerunt Ed. Corsini totius fabulae pater et cultor (de Burdigalensi Ausonii consulatu epist. Pisae 1764) et adversarius eius doctissimus Puettmann (de epocha Ausoniana etc. Lipsiae 1776) [cf. etiam Boecking l. l. pg. 65 n. 5].

degit Ausonius, referamus [28]), atque abiecta quidem omni cunctatione; nam sententiam: ‚post triginta annos munus deposui' nemo aliter supplebit atque: ‚triginta annis postquam suscepi' [29]).

Quae si bene se habent, obtinuit Ausonius cathedram triginta fere annis antequam ab Imperatore Valentiniano ad Gratianum filium formandum electus est. Quod cum intra annos 364 et 368 factum esse oporteat — quippe a. 364 Valentinianus rerum potitus est et a. 368 praeceptorem iam videmus comitem discipuli in expeditione Alemannica (cf. Ed. X, 421. 450. XI. praef. Ep. IV, 1. 81. Boecking l. l. pg. 63) — videtur Ausonius medio decennio quarto saeculi quarti partes docendi sibi vindicasse, quinque fere et viginti annos natus.

Utrum re vera, ut Kaufmann voluit, aliquantulum temporis privatim docuerit an statim publice, difficile est diiudicatu. Certe ipse Ausonius nusquam (neque in Prof. ubi potuit, quin fere debuit) privatam publicamque disciplinam discernit ne vocula quidem. Probationem tamen aliquam opus fuisse professoribus ex Prof. X, 24. 25 (ubi de Phoebicio: ‚Burdigalae cathedram nati opera obtinuit') videtur eruendum. Itaque si mea de hac re opinio alicuius momenti videtur esse: valuit iam tum Burdegalae ea, quam postea Julianus omnibus imperii urbibus praecepit (a. 362. Cod. Theod. l. XIII, 3, 5.) consuetudo, ut quicunque ibi docere habebat in animo, is curiam urbis adiret, quae doctrina eius ac moribus examinatis de admissione consuluit. Admissi inter publicos numerabantur doctores. Eo sane pacto potuit accidere, ut etiam minora ingenia cognatorum auctoritate ad cathedras eveherentur, et licet curiae — ut opinor — probata, tamen a collegis tamquam munere indigna despicerentur. [Prof. IX, 1.] Quae si ita fuerunt, nihil sane obstat, quominus Ausonium, nobilitate do-

---

28) Hoc iam Benedictini II, 283 Ampère l. l. pg. 717 alii voluerunt, sed stante scriptura tradita res ita intellegi omnino non debuit.

29) De cetero lepidissime nunc sibi opponuntur: ex altera parte cathedra publica, contemtim fere municipalis vocata, ex altera: ‚Augustae sobolis in aureis palatiis disciplina.' — Vocabulum vero deserendi eadem fere ratione usurpatum esse videtur ab Ausonio, qua nos vernacula lingua dicimus: „untreu werden" nullo opprobrio admixto.

mus et primorum civitatis gratia florentem studiis ad finem perductis statim cathedram obtinuisse publicam putemus, praesertim cum etiam inter collegas eius adulescentulos videamus. [Prof. XI, 4. (cf. Par. XVII.) XII, 1. Alethius Minervius ‚pubere in aevo' iam ‚clara (professorum) cohortis vexilla rexit' VI, 28. 38.] Ceterum de scholis Gallicis cf. Kaufmann l. l. pg. 13 sqq. Ampère l. l. pg. 717 sqq. —

Atque haec hactenus. Quae de ceteris temporibus Ausonii, de carminum aetatibus ac recensionibus et si qua sunt similia proferri possunt, ad alias differens quaestiones, spero simul et opto, ut meo conatu excitatum meliorem tirone vindicem ac patronum inveniat Ausonius.

Non absque re fore putavi, ut tribus his commentationibus coniecturas aliquot quarto loco adderem: quippe inter ipsas illas quaestiones natae sunt et sollemne velitibus hastatos et principes et triarios comitari. Praeterea haec forsan vel illa ostendet, quantum etiamnunc in Ausonii scriptis emendandis effici possit sola ratione, et alios in desertam hanc vocabit provinciam, ut fructum inde percipiant studia Ausoniana.

Ac primum quidem parentalium locis quibusdam medicinam afferre conabor. Est igitur versus criticis a Vineto usque vexatus in carmine III. Poeta enim quam gloriam avunculus Arborius apud Gallos, Hispanos, dein Constantinopoli sit assecutus his versibus praedicat:

‚Te sibi Palladiae antetulit toga docta Tolosae:
Te Narbonensis Gallia praeposuit,
Ornasti cuius Latio sermone tribunal:
Quae fora Hiberorum quaeque Novempopulis.
Hinc tenus Europam fama crescente, perito
Constantinopolis rhetore te viguit.'

Ita ex Vossiano codice cunctae praebent editiones. At verba ‚tenus Europam' (v. 10) primum neque per locationem vocabuli ‚tenus' stare possunt — nam postponitur utique —, neque per rectionem — nam ablativum postulat vel genitivum (cf. Ruddim. II, 323. Krueger § 380, 4). Licet vero haec quolibet pacto concedamus, sententia evadit ineptissima: ‚tenus Europam,' si omnino dici potest, est ‚usque ad Europam' (inaudita prorsus ea notio quam Floridus et Souchay vocabulo imputant: ‚ad extremam usque'). Qui vero potuit Arborii fama usque ad Europam crescere, si ipse nunquam ab Europa discessit? Potuit, Tollius respondit, nam Europa hoc loco est Europa minor, scil. Thracia, in qua Constantini urbs. At misso quod ea notio, perquam sane devia, apud Ausonium nusquam invenitur, quid esset: ‚dum fama tua usque ad Constantinopolim crescit, tu Constantinopoli doces?' Longe aliter Graevius sententiam in hunc modum correxit: ‚Hactenus Europam' (scil. ‚ornasti,' quod e versu 8 esset petendum). ‚Fama crescente' sqq., quasi vero Constantinopolis non esset in Europa. Suo igitur iure, qui nuper hunc locum tractavit, Meurer (l. l. pg. 39) vitium inesse vocabulo ‚tenus' ratus sententia metroque optime servatis ‚super' restituendum commendavit. Quod libenter acciperem, modo traditis in Vossiano litteris magis esset accommodatum: adest vero alia praepositio, non sensu modo et metro conveniens, sed scripturae quoque codicis proxima:

‚Hinc, trans Europam fama crescente, perito' sqq.

4,1,90. 4,11,6. — Creber 1,7,17: Ut volitet crebras intacta per urbes. Rarus 3,4,47: Artis opus rarae. — Difficilis cf. Asper. 1,9,20. — Levis 1,1,73: Nunc levis est tractanda Venus. 1,6,56. 1,9,40. Tenuis 3,1,11: Summaque praetexat tenuis fastigia chartae. 3,2,9. Humilis 4,1,4: Humilis tantis sim conditor actis. — Purus 1,5,11: Ipseque te circum lustravi sulfure puro. 1,3,26. 1,10,24. 27. 2,2,7. Ater 1,3,4: Abstineas avidas, Mors precor atra, manus. 1,10,33. Candidus 3,6,1: Candide Liber, ades. 3,6,30. 4,4,17. Caerulus 1,5,46: Vectast frenato caerula pisce Thetis. Luteus 3,1,9: Lutea sed niveum involvat membrana libellum. Myrteus 3,4,28: Stillabat Syrio myrtea rore coma. — Suffusus 2,1,55: Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti. — Aureus 1,6,58: Me movet atque iras aurea vincit anus. 2,1,45. Ferreus 1,10,2: Quam ferus et vere ferreus ille fuit. 2,3,2. 35. 3,2,2. — Firmus 3,2,5: Non ego firmus in hoc. — Securus 3,4,54: Quae tibi securos non sinit ire dies. — Fortis 2,6,12: Excutiunt clausae fortia verba fores. Audax 4,1,138: Gallia nec latis audax Hispania terris. — Irritus 2,3,22: Venit et a templis irrita turba domum. Fallax 3,4,7: Somnia fallaci ludunt temeraria nocte. Mendax 3,4,12: Mendaci somno credere sive volent. Furtivus 1,5,75: Nescioquid furtivus amor parat. 1,8,57. 1,9,55. — Verus 3,4,50: Quodque deus vero Cynthius ore feram. — Sonticus 1,8,51: Non illi sontica causast. — Celeber 2,1,33: Gentis Aquitanae celeber Messalla triumphis. 3,2,28. 4,4,21. — Doctus 2,1,70: Quam doctas nunc habet ille manus. 2,3,20. Nescius 1,7,38: Movit et ad certos nescia membra modos. Stultus 1,4,34: Maerentem stultos praeteriisse dies. Ineptus 4,10,2: Ne male inepta cadam. — Mutus 2,6,34: Et mea cum muto fata querar cinere. 4,1,129. Tacitus 1,6,6: Nescioquem tacita callida nocte fovet. 1,6,12.

1,7,13. 1,8,18. 1,9,4. 1,10,34. 2,1,89. 4,6,16. 4,13,8. Loquax 1,2,21: Illa viro coram nutus conferre loquaces. 2,6,43. Garrulus 2,5,30: Garrula silvestri fistula sacra deo. 3,4,38. — Lascivus 2,1,88: Matris lascivo sidera fulva choro. Laxus 1,6,18: Neve cubet laxo pectus aperta sinu. — Cultus 3,1,17: Ite domum cultumque illi donate libellum. Incultus 4,1,59: Incultos adiit Lastrygonas Antiphatenque. Indomitus 2,3,45: Claudit et indomitum moles mare. Rusticus 2,3,4: Verbaque aratoris rustica discit Amor. — Pius 4,4,11: Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae? Impius 1,2,80: Poenas impia lingua luit. 1,3,52. 3,6,42. 4,1,144. Sacrilegus 2,4,26: Sacrilegas sentiat illa manus. — Aeternus 4,1,34: Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu. 4,1,180. — Sollemnis 2,5,89: Ille levis stipulae sollemnes potus acervos accendet. — Longus 1,8,25: Sed longa dedisse oscula. 4,1,11. — Geminus 4,2,6: Accendit geminas lampadas acer Amor. Natus 3,5,20: Et modo nata mala vellere poma manu. — Cimmerius 3,5,24: Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus. — Phrygius 2,1,86: Obstrepit et Phrygio tibia curva sono. — Odoratus 1,5,36: Iactat odoratos vota per Armenios. — Nitidus 2,1,2: Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris. 2,5,7. 3,4,36. — Informis 4,4,6: Neu notet informis candida membra color. — Caecus 2,1,78: Explorat caecas cui manus ante vias. — Hospitus 2,5,42: Iam vocat errantes hospita terra Lares. — Fervidus 4,12,1: Ne tibi sim mea lux aeque iam fervida cura. — Adversus 1,10,30: Sternat et adversos Marte favente duces. 3,5,14. 4,1,54. Diversus 4,1,45: Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi. — Curtus 2,1,58: Dux pecoris curtas auxerat hircus opes. — Fusus 2,5,66: Iactavit fusas et caput ante comas.

Personificatio vel προσωποποιΐα.

Quintilianus prosopopoeiam inter figuras sententiarum numerat. Quem Volkmannus quanquam secutus est, tamen dubitat num figura sententiae sit. (Volkmann Rhetorik der Griechen und Römer p. 416.) Itaque quum simillima sit translationi quumque nonnulli veteres rhetores eam pro tropo habuerint, liceat nobis hoc loco eam addere. Poëtae omnes fere frequentissime prosopopoeia usi sunt et Tibullus quoque multa exempla offert. Ita saepius aëri, sideribus diei noctique motus animi tribuuntur. Aer 4,1,168: Alterius vires necat aër. Sol 2,5,60: Solis anhelantes abluit amnis equos. 2,5,75. 4,1,62. 76. 123. Phoebus 3,4,21: Phoebus ab Oeta prospicit. Luna 1,8,21: Cantus Lunam e curru deducere temptat. 2,4,18. 3,4,29. Lucifer 1,9,62: Dum rota Luciferi provocet diem. Aurora 1,3,94: Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis. Sirius 1, 7, 21: Arentes quum findit Sirius agros. Nox 1, 5, 16: Nocte silente. 2,1,87. 3,4,17. Dies 1,4,28: Quam cito non segnis stat remeatque dies. 4,5,16. Natalis: 4,5,19.

1,7,28 Nilum invenimus animatum. Eodem carmine nonnumquam fluviis marique adtribuuntur motus animi. 1,7,4: Quem tremeret forti milite victus Atur. Ita emendavit Scaliger. In libris legebatur Atax. Atur, vulgo Aturus, fluvius Aquitaniae, Atax fluvius Narbonensis provinciae est. Itaque vix momenti est utrum Atur an Atax legatur quia Messalla et Aquitaniam vicit et provinciae Narbonensis res constituisse videtur, quod testantur Arar Rhodanusque versu 11 nominati. 1,7,11: Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garonna Carnuti et flavi caerula lympha Liger. 3,4,85 aequora genuisse dicuntur. 4,1,147: Oceanus ponto continet orbem.

Transeo ad personificationes terrae, urbium similium-

que. Tellus postulat imbres 1,7,25 et in proximo versu herba supplicat Jovi. 3,4,91. Terra 2,5,42: Vocat errantes hospita terra Lares. 2,1,43: Hortus bibit. Litora 1,7,9; Oceani litora Sanctonici testantur Messallae honorem. 3,3,14. Taenare sive tuis sive, Carysthe, tuis.

Montes et arbores rarius a Tibullo animantur. 1,7,16: Taurus alit. 1,7,9: Pyrene testatur honorem Messallae. 1, 3,37: Pinus contempserat undas, quo loco personificatio cum synecdoche coniuncta est. 4,1,171: Didicit vitis conscendere ramos.

Neque saepius personificationes invenimus in nominibus ventorum. 2, 4, 40: Eripiant partas ventus et ignis opes 3,6,27. 4,1,124. 1,1,49 Auster et 3,4,96 Notus animantur.

Ad domum eiusque partes pertinet 3,4,26: Heroum nec tulit ulla domus. 1,2,79: Janua difficilis ... ianua, iam pateas. 2,4,31. 1,5,22: Area dum messe sole calente teret i. e. operae messem in area terent.

Praeterea varia addo haec: Capilli 3,5,15: Et nondum cani nigros laesere capillos. Catasta 2,3,60: Quem saepe coëgit barbara gypsatos ferre catasta pedes. Exta 3,4,6: Vera monent Tuscis exta probata viris. Seges 2,1,19: Neu seges eludat messem fallacibus herbis. Signa tubaeque 1,1,75: Vos signa tubaeque, ite procul cupidis volnera ferte viris. Vina 2,1,29: Vina diem celebrent.

Omnes hae res inanimatae, de quibus exempla protulimus, in rerum natura erant. Transimus nunc ad eas res inanimatas quae sub sensus non cadunt. Personificationes Amoris, Decoris, Cupidinis, Fortunae, Fortis, Genii, Pacis, Poenae, Rumoris, Spei, Victoriae quum notissimae sint, satis habebimus locos afferre. Amor 1,3,21. 1,4,40. 1,6,2. 1,10,57. 2,1,80. 2,2,18, 2,3,4. 71. 2,4,4. 52. 2,5,106. 2,6,1. 15. 3,4,65. 3,6,4. 17. 4,2,6. 4,6,12. Amor et Decor 4,2,8. Cupido

2,1,67. 2,3,33. 2,5,107. Fortuna 3,3,22. Fors 1,5,70. Genius 2,2,5. 4,5,9. Pax 1,10,45. 67. Poena 1,9,4. Rumor 4,14,1. 4. Spes 1,1,9. 2,6,20 sqq. 4,1,25. Victoria 2,5,45. Praeterea commemoratione digni videntur hi loci: 1,8,9: Cantus vicinis fruges traducit ab agris. — 3,2,61: Frangit fortia corda dolor. 4,1,189. — 3,3,35: Aut si fata negant reditum. 3,5,32. 4,1,203. — 3,4,77: Quod si vera canunt sacris oracula templis. — 3,6,7: Ite procul, durum curae genus, ite labores. 3,6,37. — 2,4,2: Iam mihi, libertas illa paterna, vale. — 2,3,37. 39: Praeda cinxit ... praeda iussit. — Aetas 3,4,26: Non illo quicquam formosius ulla priorum aetas tulit. 4,1,11. 111. Senecta 3,5,16: Nec venit tardo curva senecta pede. Mors 1,1,70: Iam veniet tenebris Mors adoperta caput. 1,3,4. Orcus 3,3,38: Me vocet ... luridus Orcus. Somnus 2,1,90: Postque venit tacitus furvis circumdatus alis Somnus et incerto Somnia nigra pede. 1,9,27. 3,4,12. 20. 55. Somnia 1,5,13. 3,4,7.

2. Synecdoche.

Quintilian. VIII, 6,19. 20: Synecdoche variare sermonem potest ut ex uno plures intellegamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia vel omnia haec contra: liberior poëtis quam oratoribus. Nam prosa ut mucronem pro gladio et tectum pro domo recipiet, ita non puppim pro navi nec abietem pro tabellis; et rursus ut pro gladio ferrum, non pro equo quadrupedem. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Nam et Livius saepe sic dicit: Romanus proelio victor, cum Romanos vicisse significat; et contra Cicero ad Brutum, Populo, inquit, imposuimus et oratores visi sumus, cum de se tantum loqueretur. Quod genus non orationes modo ornat, sed

etiam cotidiani sermonis usus recipit. Trypho (Walz rhet. gr. p. 739) synecdochen esse addit ubi materia ponitur pro re quae inde effecta est. Rhetores Graeci omnino tredecim species commemorant cf. Volkmann p. 361.

A. Pars pro toto

posita est 1,2,86: Et miserum sancto tundere poste caput, eodemque modo saepius ubi de corporis partibus dicit poëta. cf. 1,8,72. Oculi 2,5,49. 4,13,4. Lingua 3,4,16. Thesea lingua 3,6,39. 46. Colla 1,4,16. 4,1,117. 170. Pedes 1,7,36. 2,6,14. Fibra 1,8,3. 2,1,26. Corda 3,2,6. Praeterea hi loci afferendi sunt: 1,4,45: Vel si caeruleas puppi volet ire per undas. 2,5,45. 4,1,69. Undae 1,4,45. 3,5,21. Lacus inferni 2,6,40. Tectum 3,3,3. 4,1,13. Rotae 1,9,62. 3,4,18. Torus 3,6,60. Pennae 4,1,209. Litera 3, 2, 27. Versus 3,1,8. 4,1,34.

B. Mutatio numeri.

a. Numerus singularis pro plurali

non raro apud nomina populorum invenitur. Arabs 4,2,18: Cultor odoratae dives Arabs segetis. Britannus 4,1,148. 1,7,12: Carnuti et flavi caerula lympha Liger. Indus 4,2,20. Padaeus 4,1,145. Pannonius 4,1,109. Addenda sunt 2,3,42: Ut multo innumeram iugere pascat ovem. 2,5,72: Multus lapis. 3,2,27: Littera. 4,1,108: Miles.

b. Numerus pluralis pro singulari.

Corpora 1,9,73. 2,3,76. Colla 1,4,16. 4,1,117. 170. Corda 3,2,6. Pectora 1,7,40. Sinus 1,8,36. 4,3,24. Terga

1,9,22. 3,4,87. Voces 2,6,48. — Amores 1,3,81. 1,6,35. 1,9,1. 2,2,11. 2,4,47. 4,5,11. Causae 2,4,29. Casus 1,9,82. Cursus 4,1,55. Fastus 1,8,75. Fletus rixaeque 2,4,37. Irae 1,6,58. Laudes 1,9,47. 4,1,28. Poenae 1,9,13. Signa 2,5,71. 2,6,6. Silentia 4,1,129. Somnia 3, 4, 95. Taedia 1, 4, 16. 3,2,8. Tempora 3, 6, 31. — Foedera 1,9,2. Lucra 1, 9, 7. Munera 3,1,24. Palatia 2,5,25. Juga 1,4,16. — Imbres 1,7,25. Lymphae 3,5,3. Ignes 3,5,11. Lumina 1,9,42. Soles . . . nives 1,4,2.

Multa sunt exempla pluralis qui dicitur maiestatis. Nos 4,5,17. Nobis 3,4,4. 4,1,7. 4,10,5. 4,13,1. Noster 4,1,181. 201. Nostri 3,2,25. 3,5,31. Nostrum 3,5,17. 4,1,38. 4,7,4. Nostro 1,9,43. 1,10,14. 3,2,5. 3,4,78. 4,14,3. Nostra 3,3,8. Nostrae 3,6,59. 4,1,191.

C. Materia ponitur pro ea re quae inde effecta est.

Pinus pro navi 1,3,37: Nondum caeruleas pinus contempserat undas. Aera 1,8,22. Aes, ferrum 4,1,173. Linter 2,5,34. Lubrica terra 2,3,48. Vellera 4,2,16. Filum 1,5,15. Arundo 2,6,23. Avena 3,4,71. Fistula 2,5,30. Tibia 1,7,47. 2,1,86. Chordae 3,4,70. Tabellae 4,7,7.

3. Metonymia (Hypallage).

Synecdochae metonymia similis est. Quint. VIII, 6,23: *Μετωνυμία* est nominis pro nomine positio. Cuius vis est pro eo quod dicitur causam propter quam dicitur ponere; sed ut ait Cicero [1]), *ὑπαλλαγὴν* rhetores dicunt. In sequentibus Quintilianus multas commemorat species, e quibus quat-

[1]) Cic. Orat. 27,93: Hanc *ὑπαλλαγὴν* rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, *μετωνυμίαν* grammatici vocant, quod nomina transferuntur.

tuor graviora affero. Primum causa efficiens ponitur pro re effecta, deinde contra res effecta pro causa efficienti, tum abstractum pro concreto, denique locus pro eo quod in eo est.

A. Causa efficiens pro re effecta ponitur.

Quintilianus poëtis maiorem licentiam huius usus concedit quam oratoribus, etiamsi in oratione pedestri nonnullae metonymiae usitatissimae sunt ut Vulcanus pro igne, Venus pro coitu. In carminibus Tibulli multa exempla inveniri ubi Venerem pro amore adhibuit, naturae convenit. 1,1,73: Nunc levis est tractanda Venus. 1,2,34. 1,4,59. 79. 1,5,40. 1,6,14. 1,8,28. 57. 1,9,20. 76. 1,10,53. 66. 2,1,12. 2,3,29. 35. 50. 72. 2,6,9. 4,3,18. 19. 4,13,2. 14. Bacchus pro vino 1,2,3. 2,5,87. 3,6,5. 57. 4,1,57. Falernus 2,1,27. Lyaeus 3,2,19. Lar pro foco 1,7,58. Canis aestivus pro aestu 1,4,6. Lucifer pro luce 1,3,94. Vulcanus pro igne 1,9,49. Nais pro aqua 3,6,57. Nereus pro mari 4,1,58. Mars pro bello 1,10,30. 4,1,98. 103. 137. 149. Martia classica 1,1,4. Camenae pro carminibus 4,1,24. 191. 4,7,3. Aves 1,7,13 pro iis ponuntur quae vaticinantur. Concha 2,4,30. Fel 2,4,12. Lingua 4,13,20. Lux 3,3,9. 25. Mola pro farina 1,5,14. Murex pro colore purpureo 2,4,28. 3,3,18. Nardus 3,6,63. Nodus i. e. cestus 1,8,5. Ovis pro veste ex eius lana facta 2,4,28. Pes 2,1,52. 2,5,16.112. 4,1,36. Ritus 1,10,50. Sitis arens 1,4,42. Testudo pro eius putamine 3,4,37. Tremores 3,4,13. Audire tubam i. e. sonum tubae 1,10,12. Arma nossem i.e. artem armorum 1,10,12.

B. Res effecta pro causa efficienti ponitur.

3,1.28: Huius spem nominis illi auferet exstincto pallida Ditis aqua. Color 4,4,6. 4,11,2. Laus 4,1,88. Odores

2,2,3. Sonus pro voce 3,1,22. Umbra 3,1,16. 3,2,9. 4,1,154. Verber 1,6,46. 1,9,22. Vestigia 4,1,13. 4,2,7.

C. Abstractum pro concreto.

Aetas pro hominibus cuiusdam aetatis 4,1,11: Neget ne longior aetas. Meo amori 4,3,21. Amplexus 1,8,32. Confinia mortis 4,1,70. Coniugium pro coniuge 3,4,74. Corda 3,2,6. Cura 1,9,34. Custodia 1,8,55. 2,4,33. Dementia nostra 1,2,11. Fabula 2,3,31. Fetus 2,5,91. Forma 1,9,17. Genus 4,1,62. Gloria pecoris 4,1,208. Inconstantia vulgi 4,1,45. Labor noster 4,1,181. Lux 4,12,1. 4,3,15. Numina 3,4,53. 3,5,29. Progenies 1,10,52. Pubes barbara 1,7,27. Pubes Romana 1,7,5. Pubes rustica 1,1,93. Sanguis tuus 1,6,66. Senecta 1,8,42. 3,3,8. Toga 4,10,3. Turba 1,10,38. 2,1,16. 85. 2,2,22. 2,3,22. 2,5,119. 4,4,18,

D. Locus ponitur pro eo quod in eo est.

Hoc modo saepius nomina terrarum usurpantur. Assyria 3,2,24. Gallia ... Hispania ... tellus 4,1,138. India 2,3,55. Panchaia 3,2,23. Pylos et Ithace genuisse dicuntur 4,1,48. Troia 2,5,61. Tyros 1,7,20. 4,2,16. Contra 4,1,146 Getae Magynique pro finibus eorum dicti sunt. — Praeterea hoc modo adhibentur: Cadus 2,1,28. Charta 3,1,11. 4,1,200. Funda 4,1,97. Mensa 3,6,31. Pocula 1,6,28. 1,9,60. 4,1,61. Sors 2,5,19. Puniceus 2,3,58. Tyria palla 4,2,11. Tyrius 4,1,121. Victa oppida ferre 2,5,116.

Addendus est versus 82 carminis 9 libri primi, ubi constanter palma scribitur pro parma i.e. clipeo. Propter hunc unum locum metonymiam vocis »palma« ut statuamus fieri vix potest faciliusque palma in »parma« mutanda est.

4. Antonomasia.

Antonomasia a nonnullis in synecdoches numero habita est. (Trypho p. 204 Walz). Quintilianus inter tropos eam numerans dicit VIII, 6,29: Antonomasia quae aliquid pro nomine ponit, poëtis utroque modo frequentissima et per epitheton quod detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine, Tydides, Pelides, et ex his quae in quoque sunt praecipua: Divum pater atque hominum rex, et ex factis quibus persona signatur: Thalamo quae fixa reliquit impius.

Hoc modo Apollo a Tibullo Delius vocatur 3,4,79: Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse. 3,6,8. Deus Cynthius (Apollo) 3,4,50. Delia (Artemis) 4,3,5. Saturnia (Iuno) 3,3,33. Cypria (Venus) 3, 3,34. Cytherea (Venus) 4,7, 3. Lenaeus pater (Bacchus) 3,6,38. Cadmea mater (Agaue) 3,6,24. Pierides (Musae) 3,4,44. 4,2,21. Alcides (Hercules) 4,1,12. Aniena Tiburs (Albuna) 2,5,69. Neptunius incola (Cyclops) 4,1,56. Meleteus (Homerus) 4,1,200. Gnosia (Ariadne) 3,6,39.

Deus agricola (Silvanus) 1,1,14: Libatum agricolam ponitur ante deum. 1,5,27. Agricolae caelites 2,1,36. Stygiae navita turpis aquae (Charon) 1,10,36. Lydius aurifer amnis (Maeander) 3,3,29. Mens impia (Neaera) 3,4,59. Pylia fama (Nestor) 4,1,112. Tristes sorores (Parcae) 3,3,35. Doctae sorores (Musae) 3,4,45.

5. Antiphrasis.

Antiphrasin Quintilianus VIII, 6,57 speciem allegoriae dicit. Alii rhetores hanc pro tropo habuerunt. Perspicuum igitur est quantum inter se differant singuli rhetores in tropis definiendis. A Servio ad Aeneid. 1,77 hic tropus litotes

vocatur atque hoc modo definitur: Litotes fit quotiescumque minus diximus et plus significamus per contrarium intellegentes.

Tibullus haec praebet exempla: 1,3,61: Fert casiam non culta seges. 1,8,6: Non sine. 1,10,51: Male sobrius. 3,2,28: Aversa non. 3,4,49: Non fallax. 4,1,112: Haut una.

Volkmannus p. 371 huic tropo etiam euphemismum et oxymoron adtribuit. Oxymoron nobis exstare videtur 3,2,23: Sit mihi paupertas tecum iucunda.

6. Periphrasis.

Quint. VIII, 6,59: Pluribus autem verbis cum id quod uno aut paucioribus certe dici potest explicatur, *περίφρασιν* vocant, circuitum quendam eloquendi, qui nonnunquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit. Interim ornatum petit solum, ut saepissime apud poëtas. — Tamen Tibullus ea saepe non usus est.

1,3,73: Illic Iunonem temptare Ixionis ausi versantur celeri noxia membra rota. 1,7,8: Memphiten bovem. 1,8,4: Cantus avis praecinit. 2,1,47: Calidi sideris aestu. 2,3,47: Fictaque Cumana lubrica terra rota. 2,4,56: Thessala terra. 3,1,28: Pallida Ditis aqua. 3,3,38: Ditis aqua. 3,2,13: Sed veniat carae matris comitata dolore. 3,4,43: Cura deûm. 3,4,91: Scythiae tellus. 3,5,5: Nigram horam. 3,6,7: Durum curae genus. 4,1,139: Theraeo tellus obsessa colono.

7. Hyperbole.

Hyperbolen audacioris ornatus summo loco posuit Quintilianus VIII, 6,67. Est haec decens veri superiectio qua Tibullus bis tantum usus est.

1,7,15: Quantus et aetherio contingens vertice nubes Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas. 3,3,15: Et nemora in domibns sacros imitantia lucos.

II. De figuris.

Quod rhetores Graeci *σχῆμα* dicunt, a Cicerone voce »forma« vel »figura« Latine redditum est. Figuram Quintilianus hoc modo definit (IX, 1,4): Figura, sicut nomine ipso patet, est confirmatio quaedam a communi et primum se offerente ratione. Postea (IX,1,14) brevius figuram aliqua arte novatam formam dicendi esse statuit. Attamen iam inter veteres rhetores prorsus non constabat, quae inter figuras numeranda essent. Quanquam Quintilianus IX, 1,17 dicit: Inter plurimos quod sciam consensum est duas eius esse partes, *διανοίας*, id est mentis vel sensus vel sententiarum, nam his omnibus modis dictum est; et *λέξεως*, id est verborum vel dictionis vel elocutionis vel sermonis vel orationis; nam et variatur et nihil refert. Figuras colorum, quas Cornelius adiecerat, improbat putatque ut omnem orationem, ita figuras quoque versari in sensu et in verbis necesse esse. Plerique rhetores eodem modo atque Quintilianus figuras sententiarum priore loco tractarunt. Hae enim figurae pro gravioribus habebantur, ut ait Quintilianus IX, 1,19: Ut vero natura prius est concipere animo res quam enuntiare: ita de iis figuris ante est loquendum quae ad mentem pertinent. Contra Volkmannus p. 396 recte affert, scriptores figuris verborum prius usos esse quam sententiarum figuris. Illas primum Gorgiam Leontinum adhibuisse omnes sciunt. Quo tempore figurae sententiarum nondum erant cognitae neque ab oratoribus veterrimis,

Antiphonte, Andocide, Lysia adhibentur. Longin. fr. 3: *Ὅτι τροπὴ ἐκ τοῦ πανούργου καὶ ἐξάλλαξις οὐδεμία ἦν ἐν τοῖς ἀρχαίοις, ἀλλὰ καὶ τοῦ νοῦ σχήματα ὀψέ ποτε εἰς τοὺς δικανικοὺς λόγους παρεισῆλθεν· ἦ πλείων γὰρ αὐτοῖς σπουδὴ περὶ τὴν λέξιν καὶ τὸν ταύτης κόσμον ἦν καὶ τὴν σηνθήκην καὶ τὴν ἁρμονίαν.*

Itaque prius dicemus

de figuris verborum.

Quintilianus has figuras in duo genera dividit, genus grammaticum et genus rhetoricum. Prius fit iisdem generibus quibus vitia. Esset enim orationis schema vitium, si non peteretur sed accideret. Verum auctoritate vetustate consuetudine plerumque defenditur, saepe etiam ratione quadam. Ideoque cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur. (Quint. IX, 3,2). Attamen ne cumulentur, cavendum monet. Contra genus rhetoricum Quintilianus acrius esse dicit, quod non tantum in ratione positum sit, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accomodet. (IX, 3,28).

Distinguuntur figurarum grammaticarum quattuor genera, primum quae per mutationem, deinde quae per adiectionem, tum quae per detractionem, denique quae per ordinem fiunt. Figuras rhetoricas dividit primum in eas quae adiectione fiunt, deinde quae detractione fiunt, denique quae aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertunt in se aures et excitant. Hunc Quintiliani ordinem mutabimus priusque agemus de figuris rhetoricis quae nobis grammaticis graviores videntur. Atque primum agemus de iis quae adiectione fiunt, deinde quae detractione, denique quae

ordine fiunt[1]) hocque loco dicemus de hyperbato quod Quintilianus pro tropo habuit.

A. De figuris rhetoricis.

a. Figurae quae adiectione fiunt.

α. *Παλιλλογία* vel conduplicatio.

Cornif. IV, 28: Conduplicatio est, cum ratione amplificationis aut commiserationis, eiusdem unius aut plurium verborum iteratio. Quint. IX, 3,28: Verba geminantur vel amplificandi gratia, ut: Occidi, occidi, non Sp. Maelium; vel miserandi, ut: Ah Corydon, Corydon!

Exempla apud Tibullum haec exstant:

αα. Substantivorum.

1,7,49: Genium ludo Geniumque choreis. 2,2,18: Vincula portet Amor, vincula quae maneant. 2,5,100: Cespitibus mensas cespitibusque torum. 3,1,26: Sive sibi coniunx sive futura soror: Sed potius coniunx.

ββ. Adiectivorum.

Alius 4,1,17: Inde alios aliosque memor componere versus. Candidior 1,7,64.

γγ. Pronominum.

Et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae, tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus. 2,3,63.

[1]) In ordine instituendo secutus sum Gebbingii dissertationem iam supra laudatam, quae est de tropis figurisque C. Valerii Flacci. Marburgi 1878.

δδ. Verborum.

Deficere 1,4,82: Deficiunt artes deficiuntque doli. Despicere 1,1,78. Perire 2,5,105. Purgare 2,1,17.

εε. Numeralium.

4,2,14: Mille habet ornatus, mille decenter habet.

ζζ. Adverbiorum.

Huc 4,4,1: Huc ades et tenerae morbos expelle puellae, huc ades intonsa, Phoebe superbe, coma. 3,6,21: Nimium nimiumque. 1,1,43: Satis est, satis est.

ηη. Interiectionum.

Heu 1,4,81: Heu heu quam Marathus lento me torquet amore. 2,3,2. 49. 2,5,108. 4,13,17.

β. Anaphora vel repetitio.

Cornific. IV, 13: Repetitio est quum continenter ab uno atque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur. Haec exornatio quum multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniae plurimum. Quare videtur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam orationem.

Quae iussit Cornificius, Tibullus secutus est. Attamen exempla non ita sunt cumulata ut dictio illepida atque inelegans fieret.

αα. Anaphorae substantivorum.

Agricola. 2,1,51. 55: Agricola adsiduo... agricola et minio suffusus. Annus 1,4,19: Annus in apricis maturat

collibus uvas; annus agit certa lucida signa vice. Bacchus 1,7,39. Cantus 1,8,19. Carmen 1,4,63. Fabula 2,3,31. Glans 2,3,68. Janua 1,2,7. 9. Lena 2,6,44, Lucra petens ... lucra petituras 1,9,7. 9. Mors atra 1,3,4. 5. Munera 1,8,29. Myrto vincta... myrto vinctus 1,10,27. Pax 1,10,45. Phoebus 4,4,2. 3. Praeda 2,3,36. Rus 2,1,37. 47. 59. Spes quinquies repetitur 2,6,20—27. Testis 1,7,10. 4,1,107. 110.

ββ. Adiectivorum.

Alius 1,9,77: Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus? Tune aliis demens oscula ferre mea? Aptus 4,1,62. Castus 4,3,20. Difficilis 3,6,33. Laetus 4,4,23. Longa dies 1,4,17. Nudus et 1,4,5. Nullus... nulla 2,3,73. Pauper 1,5,63. Perfidus 3,6,55. Plura... plures 1,9,59. Primus 1,7,29. Pura... puros 2,1,13. Saevus Amor docuit 3,4,65. Sola tenere.... sola feros 1,2,51. Totus et 1,2,69. Vera monent 3,4,5. Qualis 4,1,19. Quantum 3,4,51.

γγ. Pronominum.

ααα. Pronominum personalium et possessivorum.

Non mihi 1,2,29: Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis, non mihi, cum multa decidit imber aqua. Et mihi 2,6,10. Tu 2,6,17. 4,13,11. 19. Tu.... tibi... tune 1,9,65. 2,5,11. Meas aliis tu... tune aliis mea 1,9,77. Te 1,1,59. 1,2,7. 1,5,10. 1,6,57. 59. 65. 1,7,25. 4,1,149. Tecum longas ... tecum longos 3,6,53. Tua ... tua 1,3,23. Tuis 1,9,77. 3,3,14.

βββ. Pronominum demonstrativorum et determinativorum.

Hic 1,4,11: Hic placet, angustis quod equum compescit habenis; hic placidam .... hic quia fortis... 1,7,33.

2,1,73. Huic . . . hunc 1,9,75. Hunc . . . huic 1,5,33. Hunc 1,2,95. 1,7,1. Haec 2,6,23. Hanc . . . haec . . . haec 1,2,44. Hanc . . . hanc . . . haec 1,6,81. Hoc 3,4,79. Hoc . . . hunc 1,3,93. Haec 1,4,73. Ille 1,2,65. Ille fuit 3,2,2. Illa 1,2,17—21. Illa . . illa . . illi 1,5,27. Illa . . . illius . . . illius 2,6,31. Illa . . . illi . . . illi 2,3,53. Illi . . . ille 1,7,35. Illi 2,1,39. Ipse ter repetitur 1,5,11. Ipse deus 1,9,25. Ipsa ego 4,3,12. Is 1,2,39. 40.

γγγ. Pronominum relativorum.

Quique (= et qui) 4,1,36: Undique quique canent vincto pede quique soluto. Cui . . . cuique 4,1,184.

δδδ. Pronominum interrogativorum.

Quid mihi . . . . quid mihi . . . . quidve 1,3,23: Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt . . . quidve, pie dum sacra colis? Quid 1,8,9.23.

εεε. Pronominum infinitorum.

Quicumque 4,4,9: Quicumque sapores, quicumque et cantus corpora fessa levant. Quisquis 1,6,39. Quidquid 2,4,55. 2,5,67.

δδ. Verborum.

Abstinere 1,3,4. 5: Abstineas avidas, Mors precor atra, manus; abstineas, Mors atra precor. Consuescere 1,5,25. Convenire 3,6,19. Esse 1,6,64. 1,10,61. Flere 1,1,61. 1,10,55. Ire 2,4,15. 20. Jurare 2,6,14. Maerere 3,2,14. Negare . . . pernegare 1,6,7. Precari 1,3,4. Requiescere 2,1,5. Stare 1,6,49. Urere 1,9,15. 2,2,3. 4,2,11. Valere 2,6,9. Vivere 3,5,31.

εε. Numeralium.

1,2,54: Ter cane, ter dictis despue carminibus. 4,6,14.

ζζ. Praepositionum.

Inter 2,1,67: Ipse interque greges interque armenta Cupido. Per 1,4,25. 3,1,4. Pro te vel 4,1,193. 195.

ηη. Adverbiorum.

Ante 3,2,15: Praefatae ante meos Manes animamque precatae perfusaeque pias ante liquore manus. Et ... et structura notissima est ut necesse vix videatur exempla afferre. Et ter repetitur 1,8,20. Frustra 1,8,13. Hinc 2,1,63. Hinc... haec... hinc 2,4,29. Hinc... hic 4,1,169. 170. Pro hic Broukhusius e libris hinc reposuit. Hic 1,7,59. Jam 1,2,47. 1,6,5. 2,5,41. 4,4,21. Illic 1,3,77. 81. Interdum 4,4,13. Nec ter repetitur 1,2,23. 1,8,3. Nec quinquies repetitur 3,4,85. 3,5,9. 4,1,138. Nec tibi 2,2,13. Non 1,3,7. 51. 1,10,35. 4,1,76. 136. Non tibi 1,4,4. 1,9,33. Non ter repetitur 1,2,29. 1,3,47. Non quater repetitur 1,3,41. Nunc 1,9,29. 2,5,3. 4,13,19. Nunc ter repetitur 1,3,49. Primum ... primi 2,1,39. Quam cito 1,4,28. Qua ... quaque ... qua 2,5,58. Saepe 1,6,25. Semper 1,9,57. Sero 1,8, 41. Sic 1,4,7. 1,6,43. 2,5,121. 3,6,1. Tum 1,8,43. 1,10,3. Tunc 4,3,15.17. Tunc ter repetitur 1,6,11. 2,6,51. Tunc quater repetitur 2,1,43. Ubi 2,3,27.

99. Coniunctionum.

Cum libet 1,2,49: Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo: cum libet, aestivo convocat orbe nives. Dum ter

repetitur 1,4,65. Ne 1,4,2. Neu 2,1,19. Neu ... neve ... neu 1,6,14. Sed ter repetitur 1,7,44. 1,8,25 multisque aliis in locis. Seu 1,10,21, quater repetitur 4,2,9. Seu ... seu ... s've 4,1,25. Sive 3,1,26. 3,3,14. Vel si 4,1,74. Si 1,9,33. Ut 1,6,53. 2,3,51.

α. Interiectionum.

A 3,4,61: A, crudele genus nec fidum femina nomen! A, pereat, didicit fallere si qua virum. O quotiens! 2,3,17.

γ. Κύκλος.

Quint. IX, 3,34: Respondent primis et ultima. 2,4,51: Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera? 4,5,5: Uror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror? 4,5,12: Optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat. Simile quid legimus 1,3,11: Illa sacras pueri sortes ter sustulit; illi ..., ubi eodem verbo, sed alio casu huius usus est poëta.

δ. Ἐπαναστροφή.

Ἐπαναστροφή fit, ubi enuntiatum eodem verbo incipit in quo terminabatur proximum. Qua figura Tibullus semel usus est 3,5,1: Vos tenet Etruscis manat quae fontibus unda, unda sub aestivum. Neque enim plane convenit 2,5,117: Ipsa gerens lauros: lauro devinctus agresti.

b. Figurae quae detractione fiunt.

Quanquam Quintilianus IX,3,58 dicit has figuras brevitatis novitatisque maxime gratiam petere, tamen Tibullus

iis non usus est. Itaque ad eas figuras tractandas transimus quae ordine fiunt.

c. Figurae quae ordine fiunt.

Quintilianus, ut supra diximus, pro tertio genere figurarum rhetoricarum eas habet quae aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertunt in se aures et excitant. Quae concitatio aurium quum pulchra certe verborum collocatione efficiatur, non dubito quin statuam hoc genus ordine factum esse. Hoc loco praecipue hyperbaton tractandum est quod Quintilianus inter tropos numerat. Quocum Volkmannus etsi consentit, tamen hyperbaton proprie figuram verborum esse concedit. Dicit enim Quintilianus quoque VIII, 6,67: Alioqui ubi nihil ex significatione mutatum est et structura sola mutatur, figura potius verborum dici potest, sicut multi existimarunt.

A grammaticis Latinis distinguuntur quattuor hyperbati genera: Anastropha, tmesis, parenthesis, synchysis.

α. Anastropha

non nisi apud duo verba adhibetur maximeque apud praepositiones. Ad 2,1,74: Limen ad iratae verba pudenda senem. Ante 2,5,66. Inter 4,1,72. Inter hoc loco cum vocibus »rabidas undas« coniungendum totusque versus hoc modo legendus est: Cum canibus rabidas inter fera serperet undas, non: Inter freta sorberet undas. 4,1,165. Praeter 4,13,3. Propter 1,6,57. 65. 1,7,25. 2,6,35. Super 4,1,114. 134. In oratione pedestri anastropha semper adhibetur si »cum« coniungitur cum pronominibus personalibus et relativis. Contra Tibullus haec neglexit 2,5,37: Cum qua fecundi redierunt munera ruris.

Vix ad anastropham pertinere possunt 1,5,51: Volitent circum. 2,5,98: Stabit ... ante. 4,1,23: Pendentique super, quanquam a Donato pro anastropha habebantur.

β. Tmesis.

Hac notissima figura Tibullus non nisi semel usus est. 1,3,08: Quam circum flumina nigra sonant.

γ. Parenthesis

exempla invenies 1,3,27: Nunc, dea, nunc succurre mihi — nam posse mederi picta docet templis multa tabella tuis — ut ... 4,1,26: Seu tibi par poterunt seu quod spes abnuit ultra sive minus — certeque canent minus — omne vovemus hoc tibi.

δ. Synchysis.

Collocatio verborum apud Tibullum in universum non est obscura. Tamen non nulla de ea disserenda sunt. Ac primum quidem ut omnes fere eiusdem aetatis scriptores ita Tibullus quoque studet particulam que cum verbo coniungere. 1,1,40: Pocula, de facili composuitque luto. 1,6,54. 1,7,62. 1,1,51: O quantum est auri potius pereatque smaragdi. Mira certe est collocatio quia que »auri« et »smaragdi« inter se coniungere debet. Similiter 1,3,56: Messallam terra dum sequiturque mari. Eadem collocatione commotus poeta 1,4,2 particulis ne ... neque pro ne ... neve usus est. Geminatur que 1,9,20: Asperaquest illi difficilisque Venus.

Pronomina et particulae, quibus primus in enuntiato locus convenit, saepissime ad alterum vel tertium removentur.

Ita pronomen relativum qui postponitur 1,1,50: Furorem qui maris et tristes ferre potest pluvias. 1,6,40: Et fluit effuso cui toga laxa sinu. 1,4,24: Iurasset cupido quidquid ineptus Amor. Saepissime »et« postponitur. 1,2,68. 69: Ponat et in capto Martia castra solo, totus et argento contextus, totus et auro. 1,2. 96. 1,3,82 etc. Anaphorae causa 1,1,61 »et« postponitur: Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto. Cf. 1,2,69. Eodem modo collocata sunt »si« 1,1,44; »cum« 1,1,47. 59.

Mira sane est collocatio praepositionis »per«, si quis imploratur et obsecratur. His locis »per« cum pronomine personali coniungitur. 1,5,7: Parce tamen, per te furtivi foedera lecti. 3,1,15: Per vos, auctores huius mihi carminis, oro Castaliamque umbram Pieriosque lacus. 4,5,7: Mutuus adsit amor, per *te* dulcissima furta, per Venerem quaeso. — 1,3,82 verbum et res obiecta initio et exitu versus ponuntur: Optavit lentas et mihi militias. 1,1,18. 1,3,40. Etiam nonnullis in locis substantivum eiusque attributio hoc modo distribuuntur, ut 1,3,20: Offensum in porta signa dedisse pedem. Iisdem 1,3,59 exitus duorum versuum continentur: Hic choreae cantusque vigent passimque vagantes dulce sonant tenui gutture carmen aves. 1,6,30 praepositio casusque ab ea pendens eiusdem enunciationis initium exitumque demonstrant: Contra quis ferat arma deos? cf. 1,7,56.

1,9,25 subiectum, ut ita dicam, enunciationis secundariae in sententia principali ponitur: Ipse deus tacito permisit lingua ministro ederet ut multo libera verba mero. Praeterea paucis locis verba, e quibus constat subiectum, ita distribuuntur ut cum in eodem versu tum in duobus versibus ponantur. 1,1,17. 18: Pomosisque ruber custos ponatur in hortis terreat ut saeva falce Priapus aves. 1,3,39. 40:

Nec vagus ignotis repetens compendia terris presserat externa navita merce ratem. 1,5,33. 34: Et tantum venerata virum, hunc sedula curet, huic paret atque epulas ipsa ministra gerat. 1,3,28: Nam posse mederi picta docet templis multa tabella tuis. 1,3,71: Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore stridet. Eodem fere modo 1,2,71 allocutio ponitur: Ipse boves mea si tecum modo Delia possim. Eodem modo 2,5,118 voces »io triumphe« disiunguntur: Miles io magna voce triumphe canet; quo loco etiam subiecto et accidenti, ut ita dicam, initium exitusque versus continentur: Miles ... canet. 1,1,53 terra marique disiungitur: Te bellare docet terra, Messalla, marique. Cf. 1,3,56.

Haec de synchysi dicenda erant. Videmus igitur parce ea Tibullum usum esse.

ε. Chiasmus.

Chiasmus etsi ad synchysin spectat, tamen melius nobis visum est de eo separatim dicere. Qua figura Tibullus plerumque usus est si duo substantiva et duo adiectiva inter se coniunguntur. 1,1,2: Et teneat culti iugera multa soli (a b b a). I,1,7. 8. 10. 19. 22. 34. 42. 52. I,2,5. 6. 47. 62. 68. I,3,6. 28. 34. 52. 62. 66. 74. 86. I,4,6. 70. I,5,24. 44. 54. I,6,15. I,7,5. 6. 8. 48. I,8,2. 30. 62. I,9,10. 26. 54. 80. 82. I,10,22. 36. 38. 40. — II, 1,20. 21. 22. 23. 26. 46. 48. 52. 86. 88. 90. II, 2,6. 22. II, 3,8. 48. 62. II, 4,9. 30. II,6,12. — III,1,12. III, 2,8. 12. III, 3,18. III, 4,6. 16 19. 32. 42. 52. 60. 68. 76. III, 5,16. 18. 22. III, 6,3. 12. 38. 40. 46. 58. — IV, 1,49. 56. 121. 139. 149. 166. IV, 2,13. 18. 22. 24. IV, 4,2. 6. 14. 24. IV, 6,2. IV, 8,4. IV, 11,1. IV, 13,4.

Interdum chiasmus alio verbo interposito deletur. Tum ex eo emanat formula a b c a b vel a b b c a vel a c b b a

vel a b c b a. Neque desunt mutationes membrorum chiasmi, ex quibus efficiuntur formulae a a b b et a b a b.

1. Formula a b c a b.

a) c verbum est: aa) Praes. Indic. 2,6,29: Immatura suae precor ossa sororis. 3,4,7. 3,5,30. 4,1,155.

bb. Praes. Conj. 4,1,76: Violata vagi sileantur pascua Solis.

cc. Perfect. 4,1,13: Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis. 4,1,124.

dd. Impf. Indic. 1,1,21: Vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos.

ee. Impf. Conj. 3,3,5: Multa mei renovarent iugera tauri.

ff. Plusquampf. 1,3,48: Immiti saevus duxerat arte faber.

gg. Futur. 3,5,25: Mea rugosa pallebunt ora senecta.

hh. Imperat. 2,1,27: Fumosos veteris proferte Falernos consulis.

ii. Infinitiv. 1,2,22: Blandaque compositis abdere verba votis. 3,5,20.

kk. Particip. 1,3,29: Mea votivas persolvens Delia voces. 4,1,57.

b) c adverbium est 2,5,56: Hic magnae iam locus urbis erit.

2. Formula a b b c a.

1,4,12: Placidam niveo pectore pellit aquam.

3. Formula a c b b a.

c verbum est 1,3,60: Dulce sonant tenui gutture carmen. 1,8,42. 3,3,8.

c adverbium est 1,9,16: Invalidos et via longa pedes. 3,4,31.

c praepositio est 3, 4, 30: Color in niveo corpore purpureus.

4. Formula a b c b a.

c est a, verbum 1,1,6: Meus adsiduo luceat igne focus. 1,5,18. 3,4,15. 4,1,15.

b. praepositio 2,1,3: Dulcisque tuis e cornibus uva.

5. Formula a a b b.

1,4,32: Eleost carcere missus equus. 1,4,38: Intonsus crinis utrumque deum. 3,1,16: Castaliamque umbram Pieriosque lacus. 3,3,6. 16. 3,6,10. 24. 4,2,6.

6. Formula a b a b.

1,4,76: Multa callidus arte puer. 1,5,46. 1,6,14. 1,8,64. 1,9,57. 1,10,20. 2,3,6. 2,5,28. 3,4,2. 28. 38. 50. 3,5,24. 4,1,77.

7. Formula a b a Tibullus multo saepius usus est.

a. b verbum est: aa. Praes. Indic. 1,3,67: Scelerata iacet sedes. 1,6,58. 2,6,21. 3,4,56.

bb. Praes. Conj. 1,1,3: Vicino terreat hoste. 1,1,5. 13. 2,2,17. 2,6,41. 4,1,88. 4,4,5.

cc. Impf. Conj. 2,3,9: Graciles exureret artus. 4,1,74. 75.

dd. Perfect. Indic. 1,3,81: Meos violavit amores. 3,5,15. 4,1,54. 73.

ee. Perfect. Conj. 4,1,19: Immenso desederit aere tellus.

ff. Plusquampf. Ind. 2,3,14: Medicae vicerat artis. 3,4,18.

gg. Imperat. 1,2,54: Dictis despue carminibus. 2,1,18. 3,1,21. 3,4,49. 4,2,21.

hh. Infin. Praes. 1,2,72: Solito pascere monte. 1,2,86. 1,3,33. 1,10,61. 2,3,41. 3,2,20. 3,4,24. 65. 75. 4,1,55. 63. 91. 93. 135. 207. 4,11,3.

ii. Infin. Perf. 1,1,30: Tardos increpuisse boves. 1,1,46. 1,2,82. 1,3,10. 26. 1,4,47. 48. 2,5,52. 62. 104. 4,3,16. 4,4,4.

kk. Particip. Praes. 3,3,15: Sacros imitantia lucos.

ll. Partic. Perf. 1,3,63: Teneris immixta puellis. 2,4,47. 2,5,89. 117. 3,3,13. 3,4,17. 39. 57.

mm. Partic. Fut. Pass. 1,2,70: Celeri conspiciendus equo. 1,5,14. 2,3,52. 4,3,22.

b. b est substantivum 1,1,55: Formosae vincla puellae. 1,1,63. 1,1,72. 1,2,26. 29. 42. 84. 1,3,40. 42. 1,5,7. 45. 1,6,32. 2,1,12. 36. 2,3,47. 72. 3,1,11. 28. 3,3,28. 3,4,37. 77. 3,6,51. 59. 61. 4,1,96. 108. 177. 4,3,7. 4,13,22.

c. b adiectivum est 1,1,47: Gelidas hibernus aquas. 1,6,6. 2,5,57. 2,6,40. 3,2,18. 4,1,44. 172. 4,2,12.

d. b est pronomen 2,6,32: Madefactam eis serta. 3,1,8: Versibus illa meis. 1,10,59: Suam quicumque puellam.

B. De figuris grammaticis.

1. Figurae quae mutatione fiunt.

α. Antimeria.

E genere antimeriae saepissime exempla inveniuntur in quibus adiectivum pro adverbio ponitur. Adiectiva, quibus Tibullus hoc modo utitur, haec sunt:

Annuus 2,1,48: Deponit flavas annua terra comas. Anxius 2,6,53: Satis anxia vivas. Assiduus 1,3,76: Assiduas atro viscere pascit aves. 1,9,54. Audax 3,5,8: Non ego temptavi nulli temeranda virorum audax laudandae sacra docere deae. Celer 4,3,24: Et celer in nostros ipse recurre sinus. Demens 1,9,78: Tune aliis demens oscula ferre mea? Flebilis 2,4,22: Ne iaceam clausam flebilis ante domum. Invitus 1,8,8: Quos videt invitos succubuisse sibi. 1,9,28. Laetus 4,6,3: Lota tibist hodie, tibi se laetissima compsit. Largus 3,1,21: Sed primum meritum larga donate salute.

Libens 4,5,9: Magne Geni, cape tura libens votisque faveto. Perfidus 1,8,63: Vel cum promittit, subito sed perfida fallit. Primus 1,4,59: At tu qui Venerem docuisti vendere primus. 1,5,62. 1,7,20. 29. 1,10,1. 2,1,41. 56. 3,2,1. Prudens 1,6,29: Non ego te laesi prudens. Securus 3,3,32: Liceat mihi paupere cultu securo cara coniuge posse frui. 4,10,1. Sedulus 1,5,33: Et tantum venerata virum, hunc sedula curet. 1,5,72. 2,4,42. Serus 1,7,62: E magna cum venerit urbe serus. 1,9,4: Sera tamen tacitis Poena venit pedibus. Taciturnus 1,6,60: Coniungit nostras clam taciturna manus. Unus 1,6,23: At mihi si cedas, illam sequar unus ad aras. Violentus 1,6,47: Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos.

β. Enallage.

Enallages exempla etsi apud Tibullum exstant, tamen ea rarius usus esse videtur quam alii scriptores. Ac plurima exempla sunt

a. Enallages numeri.

1,3,47: Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem. 1,3,49: Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper, nunc mare. 1,3,77: Tantalus est illic, et circum stagna. 1,5,35: Quae nunc Eurusque Notusque iactat odoratos vota per Armenios. 1,7,9: Tarbella Pyrene testis et Oceani litora Sanctonici. 1,7,51: Illius et nitido stillent unguenta capillo et capite et collo mollia serta gerat. 1,8,39: Non lapis hanc gemmaeque iuvant. 1,10,9: Non arces, non vallus erat. 1,10,37: Illic perscissisque genis ustoque capillo. 1,10,61: Sit satis e membris tenuem rescindere vestem, sit satis ornatus dissoluisse comae. 2,1,35: Huc ades aspiraque mihi dum carmine nostro. 2,1,43: Tunc victus abiere feri, tunc

consita pomus. 2,4,13: Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo. 2,5,95: Tunc operata deo pubes discumbet in herba, arboris antiquae qua levis umbra cadit, aut e veste sua tendent umbracula sertis vincta. 2,5,117: Ipse gerens lauros: lauro devinctus agresti. 3,2,24: Illic quas mittit dives Panchaia merces Eoique Arabes. 4,1,186: Cuique pecus denso pascebant agmine colles. 4,1,190: Nec licet asperiora cadant spolierque relictis. 4,4,25: Tunc te felicem dicet pia turba deorum, optabunt artes et sibi quisque tuas.

b. Enallages temporum.

Coniunguntur aa. praesens et futurum 1,6,39: Quisquis colis arte capillos et fluit effuso cui toga laxa sinu quisquis et occurret.

bb. praesens et perfectum 4,2,7: Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, conponit furtim.

cc. perfectum et imperfectum 1,6,27: Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam.

dd. perfectum et plusquamperfectum 1,3,47: Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem immiti saevus duxerat arte faber.

Praeterea coniunguntur participia perfecti et praesentis 4,1,116, si hoc loco probamus quae Muellerus posuit: Te duce non alias conversus terga domante libera Romanae subiecit colla catenae. Veteres editores vitam quandam Tibulli sequentes tradiderant »domator«, quae forma Scaligero iam suspecta erat. Is enim adiiciendum esse putavit »equorum domator«. Sed quum vox e versu antecedenti facile explicari possit, neque adiectio neque mutatio necessaria videtur.

c. Enallages generis.

1,8,13: Frustra mutantur amictus ansaque compressos colligat arta pedes. 2,1,43: Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus. 4,1,190: Cadant spolierque.

Hoc loco afferre licet participia quae formam habent verbi patiendi, sed sententiam verbi agentis significant. Potus 2,5,89: Ille levis stipulae sollemnes potus acervos accendet.

d. Enallages modi.

1,8,33: Huic tu candentes umero suppone lacertos, et regum magnae despiciantur opes.

e. Enallages aliae species.

Adiectivi gradus mutantur 2,1,20: Neu timeat celeres tardior agna lupos. Praeterea hoc loco commemorandum est Tibullum semel voce videndi ita usum esse ut accusativum cum infinitivo coniunctum solus accusativus e voce videndi pendens sequatur. 2,5,51: Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos Ilia, Vestales deseruisse focos, concubitusque tuos furtim vittasque iacentes et cupidi ad ripas arma relicta dei.

γ. Hypallage epithetorum.

Quum haec figura iam apud pedestres scriptores inveniatur, eam a Tibullo quoque adhiberi nemo erit qui miretur. 1,4,80: Deducat iuvenum sedula turba senem. 2,1,85: Nam turba iocosa obstrepit. 1,5,56: Post agat e triviis aspera turba canum. 1,10,38: Errat ad obscuros pallida turba lacus. — 1,7,7: At te victrices lauros, Messalla, gerentem. 1,7,48: Et levis occultis conscia cista sacris. 2,1,69: Illic indocto primum se exercuit arcu. 2,3,37: Praeda feras acies

cinxit discordibus armis. 3,2,25: Et nostri memores lacrimae fundantur eodem. 4,1,13: Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis. 4,5,12: Tunc precor infidos, sancte, relinque focos. In omnibus his exemplis rei inanimatae epitheton tribuitur quod ad animantem spectat. Similia enuntiata invenies 3,6,31: At nos securae reddamus tempora mensae. 4,1,83: Qua deceat tutam castris praeducere fossam. 3,2,16 manus pias dicit iisque igitur tribuit quod hominis est. Etiam annos fecundos vocat 4,1,113, quamquam anni solum efficiunt ut terra fecunda sit. 1,8,18: Tacito tempore noctis pro »tempore tacitae noctis. 2,5,81. 90 flammae sacrae dicuntur. 4,6,1: Natalis Juno, sanctos cape turis acervos. Heynius e duobus libris acervos in honores emendavit, quia huic verbo epitheton »sanctus« accommodatius esse putabat. Accedit quod turis honores 1,7,53 commemorentur. Quam ob rem mutatio quamvis non necessaria, non plane est negligenda.

2. Figurae quae adiectione fiunt.

a. Abundantia vel pleonasmus.

Pleonasmus utrum tropus esset necne, inter veteres rhetores dubium erat. Sunt qui eum tropum esse existiment ut Trypho aliique; rectius Volkmannus (p. 393) eum inter figuras grammaticas numerat. Pleonasmus, ut ait Quintilianus IX, 3,46, est abundans super necessitatem oratio. Verum id cum supervacua oneratur adiectione, vitium est, cum auget aut manifestat sententiam, virtus. Tibullus quoque eadem fere nonnullis locis bis dicit, praesertim cum verba properandi, tacendi, celandi adhibeat. 4,1,160: Seu celer hibernas properat decurrere luces. 1,10,34: Im-

minet et tacito clam venit illa pede. 1,6,60: Coniungit nostras clam taciturna manus. 2,6,45: Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas occulto portans itque reditque sinu. Praeterea abundantiam invenies 1,4,8: Tum Bacchi respondit rustica proles, armatus curva sic mihi falce deus. 1,4,13: Hic, quia fortis adest audacia, cepit. 1,8,4: Praecinit eventus nec mihi cantus avis. 1,8,42: Cum vetus infecit cana senecta caput. 1,9,64: Aut operum varias disposuisse vices. 2,1,80: Felix cui placidus leniter afflat Amor. 2,5,84: Distendet spicis horrea plena Ceres.

Haec exempla certe satis sunt ut evidens fiat quomodo Tibullus pleonasmum adhibuerit.

β. Figurae ἓν διὰ δυοῖν

exempla Tibullus vix praebet. Valde enim dubito num 4,1,156 et 4,3,7 haec figura statui possit. Verba haec leguntur 4,1,156: Sed durata riget densam in glaciemque nivemque; qui versus potius abundantiam complectitur. 4,3,7: Quis furor est, quae mens densos indagine colles claudentem teneras laedere velle manus?

3. Figurae quae detractione fiunt.

Ellipsis.

De ellipsi quoque ea commemoranda sunt quae iam supra de abundantia diximus. Tibullus usus est ellipsi verbi auxiliaris esse 1,1,75: Hic ego dux milesque bonus (sum). 1,4,23: Gratia magna Jovi (sit vel esto). — 2,1,31 verbum quoddam supplendum est ad »bene Messallam«. 1,4,7: Sic ego. Supplendum est »locutus eram« vel tale quid. 1,6,56:

Si tamen admittas, sit precor illa levis. Hoc loco e versu antecedenti »poenas« supplendum est. 1,5,42: Et narrat scire nefanda (sc. dominam de qua in versu 40 dictum est). 1,4,51: Si volet arma levi, temptabis ludere dextra (manu).

Quum figurarum grammaticarum quae ordine fiunt exempla apud Tibullum non invenerimus, transeundum est ad figuras sententiarum. Quas quominus accuratius tractarem, temporis angustiis impeditus sum.

Denique tabulam addo ex qua eluceat quomodo exempla troporum et figurarum in carmina Tibulli Lygdami Sulpiciaeque et panegyricum Messallae divisa sint.

Tropus	In carminibus Tibulli	In carminibus Lygdami	In panegyrico Messallae	In carminibus Sulpiciae
Translatio				
» 1 verborum	92	29	20	2
» 2 substantiv.	37	17	13	2
» 3 adiectivor.	121	39	18	6
Personificatio	70	28	12	—
Synecdoche	66	29	21	2
Metonymia	85	23	26	4
Antonomasia	7	13	4	1
Antiphrasis	3	3	1	—
Periphrasis	6	7	1	—
Hyperbole	2	—	—	—
Sa.	489	188	116	17

Figurae	In carminibus Tibulli	In carminibus Lygdami	In panegyrico Messallae	In carminibus Sulpiciae
Παλιλλογία	17	2	1	—
Anaphora	151	19	13	—
Κύκλος	4	—	—	—
Ἐπαναστροφή	—	1	—	—
Anastropha	10	—	5	—
Tmesis	1	—	—	—
Parenthesis	1	—	1	—
Synchysis	24	1	—	—
Chiasmus	173	66	30	2
Antimeria	28	4	—	1
Enallage	26	1	4	—
Hypallage epithetorum	14	3	3	—
Abundantia	10	—	1	—
Ἓν διὰ δυοῖν	1	—	1	—
Ellipsis	7	—	—	—
Sa.	467	97	59	3

Tibulli carmina 1380, Lygdami 290, Sulpiciae 40, Panegyricus Messallae 211 versus habet. Cuius si rationem habemus, magnam invenimus consensionem in numero troporum figurarumque.

Sententiae controversae.

1. Sophocl. Antig. 110 legendum est:
   Ὅς ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκους ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων sqq.
2. Recte statuitur omnem hypotaxin in lingua Graeca ex parataxi ortam esse.
3. Aristoph. Equit. 742 cum Kockio legendum censeo:
   ὅ τι; τῶν στρατηγῶν ὑποτρεμόντων ἐκ Πύλου πλεύσας ἐκεῖσε τοὺς Λάκωνες ἤγαγον.
4. Scipiones eorumque amici Graecae linguae Graecisque moribus valde faventes effecerunt ut veteres Romanorum mores magis magisque minuerentur subruerenturque.
5. Horat. Od. 1,4,16. 17 emendationes Hofmanni-Peerlkampii refutandae sunt lectioque vulgata tenenda est.

Vita.

Natus sum Marx Hansen Grumbyae die XXVIII mensis Aprilis a. h. s. LIII, patre Andrea, matre Maria e gente Fester, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Prima pueritia in vici schola litteris imbutus vere anni h. s. LXVII in quintam classem gymnasii Slesvicensis susceptus sum gymnasiumque frequentavi usque ad auctumnum a. h. s. LXXIII, quo tempore maturitatis testimonium adeptus albo academico inscriptus sum Kiliensi. Ibi per undecim semestria usque ad initium a. h. s. LXXIX (ceterum tempus domi versari coactus sum) scholis interfui vv. dd. Luebberti, Forchhammeri, Wilmannsii, Rohdii, Blassii, Volquardsenii, Schirrenii, Usingeri, Thaulowii, Pfleidereri, Pfeifferi, Heisii. Sodalis ordinarius seminarii philologici per duo semestria fui nec non interfui seminario historico societatique Aristotelicae. Omnibus praeceptoribus maximeque directoribus seminariorum gratias ago quam maximas semperque agam.

Corrigenda.

Pag.	8	l.	30	pro	2,1,43	leg.	2,1,44
»	9	»	12	»	1,5,70	»	1,7,50
»	9	»	18	»	1,8,54	»	1,8,53
»	9	»	27	»	1,2,80	»	1,2,77
»	11	»	2	»	3,4,59	»	3,4,39
»	12	»	3	»	1,7,94	»	1,7,14
»	13	»	10	»	1,2,27	»	1,1,27
»	15	»	16	»	2,2,3	»	2,3,3
»	16	»	2	»	3,4,47	»	3,4,37
»	17	»	10	»	4,4,11	»	4,11,1
»	17	»	21	»	2,1,2	»	2,1,21
»	18	»	20	»	1,7,28	»	1,7,23
»	19	»	3	»	2,1,43	»	2,1,44
»	19	»	13	»	1,1,49	»	1,1,47
»	19	»	15	»	1,2,79	»	1,2,7. 9
»	20	»	4	»	1,8,9	»	1,8,19
»	20	»	5	»	3,2,61	»	3,2,6
»	20	»	17	»	1,5,13	»	1,5,14
»	21	»	19	»	4,1,148	»	4,1,149
»	23	»	18	»	1,7,13	»	1,3,17
»	23	»	23	»	Ritus	»	Situs
»	24	»	12	»	1,1,93	»	1,3,23
»	26	»	6	»	3,2,28	»	3,3,28
»	26	»	6	»	4,1,112	»	4,1,142
»	26	»	8	»	3,2,23	»	3,3,23
»	26	»	18	»	1,7,8	»	1,7,28
»	31	»	25	delendum est			1,9,77
»	32	»	24	pro	2,6,14	leg.	2,6,13
»	34	»	2	»	1,6,14	»	1,6,17
»	34	»	12	»	4,5,12	»	4,5,17

Herrn Collegen Robert
mit besten Grüßen
von Adolf Schmidt.

كتاب دَائِرَة المَعَارِف

Encyclopédie arabe

وهو قاموس عام لكل فنّ ومطلب تاليف المعلم بطرس البستانى عُفى عنهُ. Band I von الالف المفردة bis ابن الأَمْلاك. Band II von ابنو أُمَيّة بن منبّه bis أُرجُوان. Band III von أُرجُوب bis اغْمُنْت (Egmont). Jeder Band 800 zweispaltige S. gr. 4. Beirut, مطبعة المعارف. 1876—1878 [1]).

Amplissimam disputandi materiam inde ab antiquitatis temporibus usque ad nostra viris doctis praebuere Euripidis prologi. Atque antiquitas hac quidem in re nihil, quantum video, fecit, nisi quod hanc potissimum tragoediarum Euripidearum partem maxima vituperatione persecuta est. Ipse enim Euripidis aequalis Aristophanes, ut de aliis locis taceam, Ranarum notissimis versibus formam prologorum crudeli suo *ληκυθίῳ* perdidit, Acharn. 47 sq. argumentum eorum illepidum acerbissime perstrinxit. Et si Aristotelem Poet. c. 13 Euripidem et laudibus extollere et vituperare videmus, quam reprehendit malam fabularum eius *οἰκονομίαν* maxime ad prologos pertinere non temere conicimus. Similia fuere grammaticorum Alexandrinorum iudicia, quorum fragmenta sparsa in scholiis legimus; quin etiam illis *πρόλογος Εὐριπίδειος* quasi *πρωτότυπον* orationis ieiunae et insuavis videtur fuisse (Schol. Hom. *O* 64).

Ubi post tam diuturnum Musarum silentium etiam Euri-

pides e tenebris prolatus est et tractari coepit, iterum de pretio prologorum Euripideorum viri docti quaesiverunt et cum Sophocleis comparantes multo minoris artis esse censuerunt (Valckenaer. Diatr. IX p. 92). Unus exstitit prologorum Euripideorum haud contemnendus defensor Lessingius, qui tamen amore poetae nostri abreptus in prologis Euripideis artis tragicae progressum conspici in libro *Hamb. Dramat.* I *Stück* 48. 49 acutius quam verius videtur iudicasse. Sed eodem loco Lessingius aliam movit quaestionem, qua inde ab illo tempore ad taedium usque tractata, ut libere meam sententiam dicam, in poeta ipso cognoscendo nihil profecimus; hanc dico quaestionem, cur Euripides in fabulis suis prologorum instrumento usus sit. Diversissimae allatae sunt a viris doctis causae. Lessingius ipse Euripidem spectatorum animos non tam iis quae fiant quam qua ratione fiant commovere velle dicit; in qua sententia veri aliquid inesse nemo negabit. Sed Jacobsius (*Nachtr. zu Sulzer* V p. 402) poetam epicorum morem secutum, Schlegelius (*Vorles. über dramat. Kunst* I p. 215 sq.) et Hermannus (praef. Soph. El. p. X) propter fabularum immutationem, Firnhaberus (*Jahrb. für Philol. und Paed. Suppl.* XVII p. 545 sq.) propter spectatorum ignorantiam prologos scripsisse existumarunt; postremus denique qui hac de re scripsit Commerus (De prolog. Eur. causa ac ratione. Bonnae 1864), postquam ceterorum sententias bene refutavit, Lessingianam paucis auctam adoptat (l. l. p. 29). Sed egregie W. A. E. p. 202 philologos tandem aliquando ab ista quaestione revocavit et novam viam ostendit. „Euripides" inquit „artis tragicae libertatem legibus perquam molestis coercuit. Num eum latebat, quam fastidiose *οὐξιὼν πρώτιστα μὲν τὸ γένος ἂν εἶπεν εὐθύς*? Non poterat, ridebatur enim. Sed et facillime ita defungebatur necessario officio, nec puto veri nihil vidisse Lessingium, cum Euripidem curavisse coniceret, ne spectatorum animi in rebus minus gravibus detinerentur adtentionemve animi consumerent; ipsam noluisse artem et diligentiam in aliis ponere quam quibus tragoediae vis ma-

nifestaretur. Sed quid legibus istis nunc opinor nemini non molestis Euripides voluerit, ad arbitrium quivis statuat licet: leges ipsas eum nosse decet, qui Euripidem intellegere cupit.“ Itaque si ego de arte prologorum Euripideorum scripturus sum, noli exspectare me multa de pulchritudine aut de absurditate eorum disputaturum: immo ut philologum i. e. grammaticum decet, eas studebo indagare leges, quibus Euripides in prologis componendis se adstrinxerit; unde etiam „aestheticum“ quod vocatur iudicium quam maxime pendet.

Sed ut eas quas dixi leges recte investigemus, alia suscipienda est opera. Sciunt enim omnes post Phoenissas a Valckenaerio editas maximeque post librum de tragoediae Graecae principibus a Boeckhio scriptum fabulas Euripideas magno spuriorum versuum numero esse obrutas. Non paucas autem interpolationes ante ipsam legem Lycurgeam esse intrusas haec ipsa lex testis est. Maxime vero prologi interpolatorum libidini fuere expositi; nam et facillimum erat has narrationes satis plerumque pedestres scientiae frustulis augere, praesertim cum fabulae ipsae amplissimam rerum materiam praeberent, nec desunt expressa veterum grammaticorum testimonia (Schol. Andr. 7. Arg. Rhes.). Itaque opus est, ut is qui de arte prologorum Euripideorum recte volet iudicare, quam accuratissime singulos prologos percenseat et, quantum fieri potest, spuria notet tollatque. In quo opere difficillimo satis scio me haud pauca statuturum, quae virorum doctorum consensum non ferant; at multas difficultates quae adhuc neglectae latuerunt me in lucem prolaturum, nonnullas expediturum mihi persuasum est.

Ex iis autem quae supra disputavi etiam rerum ordo quo in hac commentatione usurus sum, satis apparet: contrariam enim viam ingressus ei quam qui adhuc de prologis Euripideis disseruerunt inire solebant, primum singularum fabularum prologos temporis ratione habita percensebo et quid

in iis mea quidem sententia spurium sit, notabo; tum e purgatis prologis leges, quas Euripides in iis componendis secutus sit, i. e. artem eorum eruere studebo [1]).

I.

DE INTERPOLATIONIBVS PROLOGORVM EVRIPIDEORVM

De interpolationibus prologorum Euripideorum disputaturo pauca mihi liceat praefari de via ac ratione qua illas indagandas esse censeo. Ac primum quidem ponderanda est totius fabulae et eius de quo quaeritur loci condicio. Nam si versus quidam cum aliis eiusdem fabulae locis aperte pugnant aut cum illius quae loquitur personae ingenio sive cum totius fabulae argumento non consentiunt aut nexum sententiarum intolerabili modo interrumpunt, eos ab Euripide, si quidem sanus fuit poeta, profectos esse non posse nemo negabit. Sequitur sermo Euripideus. Tam magna enim exstat scriptorum Euripidis copia, ut quid ei licuerit dicere, quid non licuerit, certissime statui possit. Tamen hanc interpolationis arguendae rationem etsi luculentissima est et philologo dignissima, valde neglegi video. Itaque ego usum loquendi Euripideum, quantum poteram, cognoscere studui. Ubi contraria inveni, quaesivi, quando et apud quos scriptores primum usurpata appareant; qua tamen in re haud raro frustra me operam consumpsisse vix opus est monere. Tertio loco antiquitatis testimonia commemoro. Licet enim nonnunquam ex codicum nostrorum vestigiis et ex scholiorum interpretatione concludere aliam fuisse antiquitus traditam loci alicuius conformationem, vel menda, quae interpolatorum in-

---

1) Consulto in tota hac commentatione Cyclopem satyricam, unum huius generis exemplum, neglegam.

iuriis Euripidi adspersa sunt, a veteribus grammaticis esse animadversa, castigata, correcta. De locis autem Euripideis ab aliis scriptoribus prolatis hoc minime neglegendum est omnes praeter ipsius Euripidis aequales legisse fabulas eius interpolatas.

Atque etiam causas interpolationum et a quo potissimum hominum genere profectae viderentur studui enucleare; neque hoc, puto, mihi vitio vertetur, quod, ubi res postulabat aut occasio ferebat, criticas quoque attigi quaestiones et similes aliorum locorum interpolationes nondum detectas attuli, ita ut is qui hanc commentationem legat, certas interpolationum familias facili opera possit componere.

Iam vides me in hac commentatione velle grammaticum esse; ut bonus grammaticus sim cum magno viro Iosepho Scaligero opto.

1. De Alcestidis prologo.

Alcestis fabula antiquissima inter servatas Euripideas maxime castae et severae artis legibus adstricta est. Atque ut tota pressis et acutis sententiis praecellit — vix inveneris in ceteris fabulis diverbio Apollinis et Orci simile —, ita prologus brevi et clara oratione spectatores de iis edocet rebus, quae ad fabulae ipsius actionem intellegendam scitu necessariae sunt. Facili autem opera tres partes eius licet internoscere. V. enim 1—7 [1]) narrat Apollo, quomodo Admeti domum venerit, 8—21 (qui, cum totius dramatis actio iis nitatur, gravissima sunt prologi pars), quid ibi Admeto et Alcestidi uxori acciderit, 22—27 se illa domo abiturum simulque Orci adventum nuntiat. — De paucis huius prologi interpolationibus, quas homines scioli ad poetae verba explananda addiderunt, disputare supersedeo; spurios esse v. 10. 16. 27 rectissime statuit Wheelerus in commentatione „De Alcestidis et Hippolyti Euripidearum interpolationibus, Bonnae 1879“ p. 11 sq., quibus quid addam non habeo.

1) Numeris utor Nauckianis.

2. De Medeae prologo.

Medeam fabulam superstitum Euripidearum et argumento splendidissimam et sermonis arte maxime absolutam esse omnes clamant. Sicut autem fabula inter fabulas, ita prologus inter prologos singularem tenet locum: neque certe tantum reprehensionis et ludibrii concitassent prologi Euripidei, si omnes tales essent, qualis est Medeae. Quod animadvertit Aristophanes Byzantius, qui sic in argumento: *ἐπαινεῖται δὲ ἡ εἰσβολὴ διὰ τὸ παθητικῶς ἄγαν ἔχειν καὶ ἡ ἐπεξεργασία „μηδ' ἐν νάπαισι“ καὶ τὰ ἑξῆς.* Atque etiam luculentius quam in Alcestide tripertitum esse prologum apparet. Prima enim pars continet v. 1—16, quibus fata Iasonis et Medeae, antequam Corinthum venerunt, exponuntur; altera eaque gravissima v. 17—36, quibus quid Corinthi usque ad praesens tempus Iason et Medea egerit enarratur; tertia pars complectitur v. 37—48, quibus nutrix timores angoresque suos declarat et adventum liberorum Medeae nuntiat. — Additamentis autem commaculatam esse praeclaram hanc nutricis orationem iam diu viri docti cognoverunt. Initium purgandi post Musgravium fecit N. E. St. I p. 108, qui v. 40. 41 e v. 379. 80 in prologum transscriptos, v. 42. 43 ab interpolatore fictos esse ostendit. His autem deletis praecedentes 38. 39 nullo modo stare posse probarunt G. Dindorfius (Schol. in Eur. IV p. 266) et Heimsoethius (Ind. schol. Bonn. hib. 1872/73 p. 7 sq.). Causis autem, quibus *ἀθέτησις* nititur, ipse unam addam, pronomen *τήνδε* v. 39 tolerari non posse. Nam in prologis hanc sibi legem statuit Euripides, ut isto pronomine, ubi cum personarum aut locorum nominibus coniungitur, personas in scaena praesentes aut locum spectatoribus propositum designaret. At nostro loco Medea in scaena non est. Quare abiciemus coniecturas, quas Suppl. 17 fecere grammaticus Byzantinus, K., N.

θάψαι θέλουσι τῶνδε μητέρες χθονί
θάψαι θέλουσαι τῶνδε μητέρες χθονί
θάψαι θελούσας τῶνδε μητέρας τέκνων,

quoniam corpora septem ducum ad Thebas occisorum postea demum in scaenam feruntur: amplectemur coniecturam W., qui restituta Laur. et Pal. lectione *μητέρων* scripsit:

θάψαι θελουσῶν τῶνδε μητέρων χθονί.

Iam recte *τῶνδε* ad matres in scaena praesentes refertur. — Sed redeamus ad Medeae prologum. In quo cum ipse v. 36 spurium esse cognossem, magno cum gaudio vidi Wheelerum l. l. p. 24 adn. 13 in eadem esse opinione. Vix ullum additamentum totius orationis habitu et structura magis respuitur, quam iste versus. Nam postquam affectus Medeae inde a v. 20 satis ampla oratione depicti sunt, postquam illa expositio versibus 34. 35, quos clausulae locum tenere nemo non videt, iusto modo finita est, sequitur unus versus mire claudicans, qui quo sit animo Medea in liberos describit. — Alii quoque prologi loco agitatissimo, v. 6—16 Wheelerus ibidem salutem paravit. Difficultates illorum versuum sexcentiens expositae sunt; spes emendandi prorsus evanuit, postquam e fragmentis Euripideis nuper repertis eos antiquitus eodem modo scriptos fuisse vidimus, quo in codicibus nostris exstant: Wheelerus igitur audaci sed felici impetu v. 11—15 Euripidi abiudicavit. Fateor me ipsum diu esse obnisum: nunc idem sentio quod Wheelerus. Placuisse enim Medeam Corinthiis primum (si quidem hic verus sensus est v. 12), postea displicuisse in fabula ipsa non audimus; consensisse antea cum marito docet v. 8, quem ideo insueto more posuit Euripides, quod non solum ad praecedentem, sed etiam ad insequentem sententiam pertinet (cf. 483 sq. 506 sq. Apollod. I 9, 27). Ad hunc igitur referendus est v. 16. Maxime autem gaudeo, quod ista coniectura evanuerunt v. 14. 15. Eiusmodi enim sententiae leguntur in capite et in fine prologorum, intra ipsos prologos nunquam. Quam legem Euripideam non ad libidinem factam, sed ex

ingenio et natura prologorum profectam esse, ubi de arte disputabimus, apparebit.

3. De Hippolyti prologo.

Hippolyti fabulam duabus constare partibus, quarum altera (usque ad v. 775) Phaedrae, altera Hippolyti fatum contineat, nemo poterit negare. Tantum autem abest, ut hanc contaminationem cum artis legibus pugnare dicam, ut prorsus consentiam cum Aristophane Byzantio, qui hanc tragoediam *τῶν πρώτων* appellat. Furit enim Phaedra amore Hippolyti: repudiatur: mortem sibi consciscit: moriens Hippolytum secum in perniciem trahit. Vides quam arte duae fabulae partes inter se conexae sint: prior causa et fons est posterioris. Huic autem dramatis conformationi egregie praeludit prologus, aut, ut melius dicam, media prologi pars, quae continet v. 9—50. Hanc ipsam tripertitam esse facile cognoscis. Versibus enim 9—19 Venus enarrat, quantopere Hippolytus se neglegat, Dianam colat; versibus 20—23 consilium Hippolyti ulciscendi prodit, quam ultionem iam diu se praeparasse dicit. Quid autem hanc ob causam molita sit, i. e. Phaedrae amorem, docet versibus 24—39[1]). Iam vides Euripidem prudenter etiam in prologo rebus Phaedrae eum locum tribuisse, quem in tragoedia ipsas habere voluit, ut causa essent exitio Hippolyti. Eam ob rem tragoediam nostram non *Φαίδραν*, sed *Ἱππόλυτον* appellavit. Praefixum autem est prologo exordium (v. 1—8), quo Venus potestatem suam praedicat, subiecta est conclusio (v. 51—57), qua Hippolyti adventum nuntiat. — De interpolationibus huius prologi et recte et acute disputavit Wheelerus l. l. p. 44—48, qui his versibus obelum praefixit: 29—33. 37. 40. 42—46. 48—50. 56. 57. Velim ne neglegas iterum in versu subditicio 48 pronomen *ὅδε* contra morem Euripideum usurpari. Sed nimis cautus fuit Wheelerus in v. 41. 47 Euripidi abiudican-

1) De v. 40—50 vide infra.

dis: illum sententiarum nexus et res ipsa, hunc falsum tempus verbi *ἀπόλλυσθαι*, quod e v. 39 assumptum est, damnat. — Unam autem exordii interpolationem prorsus neglexit. Inspicias v. 7. 8

ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε·
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

Weilius haec adnotat: „*Le poëte philosophe souriait en écrivant ces vers.*“ Immo nos ridemus, cum tam absurda Euripideis interposita videmus. Hocine dicit Venus superbia inflata et ira concitata, qualis in scaenam prodit? *Σφάλλω δ' ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα*: haec sententia animo eius satis digna est, duo insequentes versus dici non potest quantum langueant. Et si huic argumento fidem non habes, rogo: quo referes v. 9 *δείξω δὲ μύθων τῶνδ' ἀλήθειαν τάχα*? Quinam sunt isti *μῦθοι*? Sine dubio Venerem potentem esse deam et adversariis metuendam, qualia leguntur v. 6. Itaque v. 7. 8 delendi sunt: iterum dicto in ipso prologi corpore posito liberatur Euripides.

4. De Heraclidarum prologo.

Heraclidarum fabulam a nostrorum temporum interpretibus neglectam ac paene ignoratam iacere non mirum est; quis enim libenter tractet tragoediam, quae neque rerum inventione neque moribus personarum egregie descriptis neque poeticis luminibus animos legentium allicere et delectare possit? Veteres tamen non solum legerunt et excerpserunt[1]), sed etiam, ut mihi quidem videtur, post Euripidis mortem in scaena viderunt. Testes sunt haud paucae interpolationes, quas ad histriones referre equidem nullus dubito[2]). Ut quinque

1) Multae exstant apud Hesych. glossae ex Heraclidis sumptae.

2) Nonne etiam locus Arist. Plut. 382 sq.

ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός· κοὐ διοίσουτ' ἄντικρυς
τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου,

eligam: Iolai prima ad Demophontem oratio aucta est versibus 199—204 et 229—231; altera versibus 307—308 et 320—328, Macariae oratio versibus 577—580[1]), quorum locorum maxime alterum, tertium, quintum vestigia monstrare eius generis scribendi, quo uti solebant histriones, videbunt earum rerum periti. — Prologus quoque quam maxime depravatus ad nostram aetatem pervenit; neque ulla in re magis vituperandus est Henricus Hirzelius, quam quod tam temerarius — non, ut ipse dicit, „ingeniose temerarius" — fuit, ut eum numerorum legibus adstringere conaretur uno versu deleto (De Eur. in comp. div. arte p. 87). — Sed antequam ad ea quae mihi proposita sunt accedere possim, quaestio tractanda est cum ad prologum tum ad totam fabulam pertinens; quaeritur enim, quo loco Euripides Heraclidarum scaenam esse voluerit.

Audiamus primum ceteros scriptores, qui Heraclidarum fata memoriae tradiderunt. Anton. Lib. c. 33: *Οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι φυγόντες πρὸς Δημοφῶντα τὸν Θησέως ᾤκησαν τὴν τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς. Εὐρυσθεὺς δὲ πέμψας ἄγγελον εἰς Ἀθήνας πόλεμον προέλεγε τοῖς Ἀθηναίοις, εἰ μὴ τοὺς Ἡρακλείδας ἐξελάσωσιν κτλ.* Diod. IV 57, 4: *Ἐπιόντες δὲ* (sc. οἱ *Ἡρακλεῖδαι*) *τῶν ἄλλων πόλεων τὰς ἀξιολογωτάτας ἐδέοντο δέξασθαι σφᾶς αὐτοὺς συνοίκους. Μηδεμιᾶς δὲ τολμώσης ὑποδέξασθαι μόνοι τῶν ἄλλων Ἀθηναῖοι .... προσεδέξαντο τοὺς Ἡρακλείδας· κατῴκισαν δὲ αὐτοὺς .. εἰς Τρικόρυθον πόλιν, ἥτις ἐστὶ μία τῆς ὀνομαζομένης τετραπόλεως. Μετὰ δέ τινα χρόνον Εὐρυσθεὺς ἐστράτευσεν ἐπ' αὐτούς ... Οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι βοηθούντων αὐτοῖς τῶν Ἀθηναίων ἐνίκησαν παρατάξει τὸν Εὐρυσθέα.*

---

quo, ut recte vidit Welckerus *Griech. Trag.* II p. 710, Heraclidarum *ὑποκριτὴς* commemoratur, probat hanc fabulam histrionibus in deliciis fuisse?

1) V. 576 plus quam ineptum, sed nihilo minus a nullo viro docto proscriptum, non numero.

Strab. VIII p. 377: *Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα ἐπὶ τοὺς Ἡρακλείδας βοηθησάντων Ἀθηναίων ἱστορεῖται πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ.* Apollod. II 8, 1: *Διωκόμενοι δὲ* (sc. οἱ *Ἡρακλεῖδαι*) *ἦλθον εἰς Ἀθήνας καὶ καθεσθέντες ἐπὶ τὸν Ἐλέου βωμὸν ἠξίουν βοηθεῖσθαι. Ἀθηναῖοι δὲ οὐκ ἐκδιδόντες αὐτοὺς πρὸς τὸν Εὐρυσθέα πόλεμον ὑπέστησαν κτλ.* Post mortem Eurysthei cum Heraclidae per unum annum Peloponnesum occupassent, *ἀπολιπόντες Πελοπόννησον ἀνεχώρησαν εἰς Μαραθῶνα καὶ ἐκεῖ κατῴκουν.* Philostr. vit. soph. II p. 550: *πενθούντων δημοσίᾳ τῶν Ἀθηναίων τὸν κήρυκα τὸν Κοπρέα, ὃν αὐτοὶ ἀπέκτειναν τοὺς Ἡρακλείδας τοῦ βωμοῦ ἀποσπῶντα.* Vides maximum testium dissensum. Pherecydes enim (Anton. Lib.) et Strabo dicunt Heraclidas Marathone fuisse, cum Eurystheus eos exagitaret, Diodorus Tricorythi, Apollodorus et Philostratus Athenis; tamen Apollodorus eos post mortem Eurysthei Marathone habitasse, Diodorus Tricorythum redisse (IV 58, 4) memorat. Una autem in re omnes aut consentiunt aut certe non adversantur: praeconem Eurysthei, qui exposceret Heraclidas, venisse, ut fert rerum natura, Athenas. — Iam Euripides duo actionis loca, ut ita dicam, in fabula sua habere non potuit: eligendum ei erat inter Tetrapolin (Marathonem) et Athenas. Utram autem urbem elegerit, dicant primum ii qui hac de re scripserunt. Welckerus *Griech. Trag.* II p. 709: „*Der Chor besteht aus älteren Männern, die zu den Sehutzflehenden am Altare des Zeus Agoräos in Marathon zusammengelaufen sind.*“ Hartungus Eur. rest. I p. 304: „Marathone in Tetrapolide scena dramatis constituitur.“ Pflugkius praef. Heracl. p. 12: „Euripides supplices ad *Διὸς ἀγοραίου βωμὸν* consedisse dicit, qui Marathone fuisse putandus est. Nam eo loco, ut loquuntur grammatici veteres, *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται*, quod docet v. 32 et v. 80.“

Tamen falsam esse hanc sententiam scaenamque dramatis ab Euripide Athenis constitutam fuisse pro certo habeo. Mittamus primum duo testimonia, quae Pflugkius ad

suam sententiam defendendam attulit: inspiciamus ceteros fabulae locos, ac primum quidem ea verba, quibus Iolaus a praecone[1]) oppressus civium auxilium implorat:

69 ὦ τὰς Ἀθήνας δαρὸν οἰκοῦντες χρόνον,
ἀμύνεθ' · ἱκέται δ' ὄντες ἀγοραίου Διὸς
βιαζόμεσθα καὶ στέφη μαίνεται,
πόλει τ' ὄνειδος καὶ θεῶν ἀτιμία.

Num opus est docere, qua in urbe haec pronuntientur? Nisi forte existumas senes clamore vocatos (cf. v. 121) Athenis Marathonem uno temporis momento currere posse. Accedunt luculenta veterum testimonia. Hesych.: ἀγοραίου Διὸς βωμός· Ἀθήνησι. Bekkeri Anecd. I p. 327, 9: ἀγοραῖος Ζεὺς Ἀθήνησι καὶ Ἑρμῆς. p. 338, 32: ἀγοραῖος Ζεύς · βωμὸς Ἀθήνησιν, ὃς ἐκαλεῖτο ἀγοραίου Διός. Schol. Ar. Eq. 408: ἀγοραῖος Ζεὺς ἵδρυται ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ (Athenis, ut fabula docet). Quod autem de senibus chori supra diximus, eodem iure dicere licet de Demophonte ad Iovis Agoraei aram accurrente (v. 120); cuius domicilium Athenis fuisse quis dubitet? Cf. v. 114. Cum illo loco coniungas v. 93. 94:

Ἡρακλέους οἵδ' εἰσὶ παῖδες, ὦ ξένοι,
ἱκέται σέθεν[2]) τε καὶ πόλεως ἀφιγμένοι,

v. 197. 198:

εἰ γὰρ τόδ' ἔσται καὶ λόγους κρανοῦσι σούς,
οὐ φήμ' (cum K.) Ἀθήνας τάσδ' ἐλευθέρας ἔτι,

v. 275 sq.:

ἥξω δὲ πολλὴν Ἄρεος Ἀργείου λαβὼν
πάγχαλκον αἰχμὴν δεῦρο

collatum cum v. 386 sq.:

εἶσιν, σάφ' οἶδα, καὶ μάλ' οὐ σμικρὸν φρονῶν
εἰς τὰς Ἀθήνας

---

1) Coprei nomen delendum est et in personarum catalogo et in fabula. Si praeconem nomine dignatus esset Euripides, commemorasset v. 49. Scribendum: ΚΗΡΥΞ (cf. Hiller Herm. VIII p. 446).

2) I. e. τῶν Ἀθήνας δαρὸν οἰκούντων χρόνον.

et cum v. 933 sq.:

ἔστειχε μεῖζον τῆς δίκης φρονῶν πόλιν
πέρσων Ἀθάνας.

Alii sunt loci, qui, etsi non expresse dicunt scaenam dramatis Athenis constitutam esse tamen satis significant. Perlegas velim carmen pulcherrimum inde a v. 748—783, maxime v. 763 sq.:

κακὸν δ', ὦ πόλις, εἰ ξένους
ἱκτῆρας παραδώσομεν
κελεύσμασιν Ἄργους — et v. 770 sq.:
ἀλλ', ὦ πότνια, σὸν γὰρ οὖδας
γᾶς, σὸν καὶ πόλις, ἃς σὺ μάτηρ
δέσποινά τε καὶ φύλαξ,

dicasque mihi, ubi cantatum iudices. Praeterea conferas v. 922 cum v. 975, quo Alcmena eandem urbem τήνδε πόλιν appellat, quae ibi θεᾶς (Ἀθάνας) πόλις nominata erat. — Multa alia possunt commemorari, sed ne longus sim, mitto; unum addo argumentum puto haud leviusculum. Nonne censes Euripidem stultissimum futurum fuisse poetam, si scaenam eius tragoediae, quam ad augendos et confirmandos Atheniensium in bello Peloponnesiaco animos scripsisse constat, cuius historiam Athenis accidisse fama ferebat, quam Athenis theatro daturus erat, si eius inquam scaenam Athenis Marathonem transtulisset? Itaque equidem non dubito, quin si servatum esset totum Aristophanis Byzantii argumentum, haec in fine legeremus: ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος κεῖται ἐν Ἀθήναις. Nam nunc quoque mutilum argumentum idem egregie testatur: τῶν γὰρ παίδων ἐξ ἁπάσης ἐλαυνομένων γῆς ὑπ' Εὐρυσθέως ἔχων αὐτοὺς ἦλθεν εἰς Ἀθήνας κἀκεῖ προσφυγὼν τοῖς θεοῖς ἔσχε τὴν ἀσφάλειαν Δημοφῶντος τῆς πόλεως κρατοῦντος.

Tandem aliquando post longam sed necessariam digressionem prologo ipsi operam impertiamus. Iolaus enim, postquam in exordio (v. 1—11) se esse ἄνδρα φιλοσυγγενῆ exposuit, mala omnia enarrat, quae inde ab Herculis morte

usque ad eum diem ad servandos liberos eius perpessus sit (v. 12—47). Vix illa effatus Eurysthei praeconem conspicit liberosque, ut caveant eum, admonet (v. 48—54).

Ipsa prima prologi sententia haud parvis laborat difficultatibus. V. enim 2

ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ

Elmsleius idem voluit significare, quod Lucan. Phars. II 383: „Nec sibi sed toti genitum se credere mundo." Vapulat tamen grammatica, quod iam diu interpretes cognoverunt. Illi igitur Euripidem haec dicentem fecerunt: „Alter vir iustus est in proximos." Sed ne tangam illud *δίκαιος τοῖς πέλας*, quod ferri posse vix credo, quis tandem Euripidem tam puerilia ut *δεδογμένα* venditasse existumabit? Scio Orestis exordium non exquisitae sapientiae specimen esse: tamen hoc nostro multo est elegantius. Melius difficultatem tollere studuit Reiskius, qui post v. 2 deesse versiculum suspicatur huius fere formae:

πρόθυμος, εὐέντευκτος, οὐ κέρδη βλέπων.

Tamen ne illius quidem iudicium probo. Oppositae enim sententiae subiectum totum v. 3 explet, cum nostrae subiectum sola verba *ὁ μὲν δίκαιος* contineat; quare facile conicias totam sententiam uno versu esse absolutam. Itaque *ἀνήρ* corruptum putandum est. Non versus restituendi, sed quid desideretur monstrandi causa scribo:

ὁ μὲν δίκαιος φῶς πέφυκε τοῖς πέλας.

cf. Ion. 1439. Or. 243. — V. 3 bono sensu caret, nisi ex Stob. flor. 10, 1 *φίλοις* pro *πόλει* restituimus; neque aoristo *συναλλάξαι* eiusdem auctoris fidem denegem. Quod autem Stobaeus v. 5

αὐτῷ δ' ἄριστος· οἶδα δ' οὐ λόγῳ μαθών

ad eandem sententiam pertinentem omittit, mihi leviusculum quidem, sed tamen non neglegendum videtur argumentum eius rei, quae mihi absurda verba *αὐτῷ δ' ἄριστος* consideranti satis constat: hunc versum a falsario esse additum. Certe Stobaeus nonnumquam Euripidea puriora tradit; veluti

in celeberrimo Danaes fragmento (326) Athenaeus IV p. 159b et Sext. Emp. p. 663, 23 tradunt turpissimum v. 4, Stob. flor. 91, 4 omittit[1]). — Quae secuntur usque ad v. 18 bene procedunt; neque enim agitandum puto ἐξορίζοντες v. 16, quod satis defenditur Med. 432 (vide ibi Wecklinium). Sed iterum oriuntur difficultates v. 19:

πέμπων ὅπου γῆς πυνθάνοιθ' ἱδρυμένους
κήρυκας ἐξαιτεῖ τε κἀξείργει χθονός,
πόλιν προτιμῶν Ἄργος οὐ σμικρὰν φίλων
ἔχθραν γε θέσθαι χαὐτὸν εὐτυχοῦνθ' ἅμα.

Sic consentientes Laur. et Pal. Palmaris est Canteri coniectura προτείνων pro προτιμῶν scribentis. Sed restare difficultates etiam is cognovit, qui plus quam ceteri solet concoquere, Reinholdus Klotzius. Ac primum quidem offendit, quod vocabulum κήρυκας, quod a verbo πέμπων pendet, ita positum est, ut aut ad ἱδρυμένους aut ad ἐξαιτεῖ pertinere videatur; tamen nunc, postquam multum de hoc loco cogitavi, mutare non ausim, quoniam haec difficultas bona recitatione evitari potest. Dici autem nequit, quantum duo postremi versus criticos vexaverint: quos in formam Euripide dignam redigere iis non contigit neque unquam continget, quoniam infinitivus ab adiectivo σμικρός apud bonos scriptores pendere non potest. Nemo autem quaesivit, num verba tradita aliquo modo intellegi possent. Ego certe intellego, si modo partem eorum ab interpolatore profectam iudico: „urbem ostendens Argos, amicis praepollentem, ita ut inimicitias suscipere possit." *Τίθεσθαι* verbum aptissimum est interpolatorum ingenio (cf. Or. 14 πόλεμον θέσθαι in loco interpolato), σμικρὸς φίλων simile est commissurae χρημάτων πένητες El. 37; neque in infinitivi usu cautos fuisse inter-

1) Etiam contrarium accidit. Cf. Herc. 1349 cum Stob. flor. 108, 12. Utinam tandem aliquando in hanc rem accuratius inquiratur!

polatores docet versus quem statim tractaturus sum 34. Itaque sic scripsit Euripides v. 21:

πόλιν προτείνων χαὐτὸν εὐτυχοῦνθ' ἅμα,

i. e. „urbis suamque potestatem simul ostendens". Qua coniectura *ἅμα* ad *προτείνων*, quo pertinet, facilius refertur. Addita est interpolatio, ne *πόλις* et nomine et notione potestatis careret. — Missis sanis versibus 23—30 ad eum pervenimus locum, cuius recte diiudicandi causa antea de scaena huius fabulae disputavimus:

πάσης δὲ χώρας Ἑλλάδος τητώμενοι
Μαραθῶνα καὶ σύγκληρον ἐλθόντες χθόνα
ἱκέται καθεζόμεσθα βώμιοι θεῶν
προσωφελῆσαι· πεδία γὰρ τῆσδε χθονὸς
δισσοὺς κατοικεῖν Θησέως παῖδας λόγος
κλήρῳ λαχόντας ἐκ γένους Πανδίονος
τοῖσδ' ἐγγυὺς ὄντας· ὧν ἕκατι τέρμονας
κλεινῶν Ἀθηνῶν τόνδ' [1]) *ἀφικόμεσθ' ὅρον.*

Hic igitur potissimum locus omnes movit, ut scaenam fabulae Marathone esse dicerent; tamen ne hic quidem sententiae eorum favet. Certissima enim lex est prologorum Euripideorum, ut locus actionis, quem scaena repraesentat, semel saltem pronomine *ὅδε* notetur. Quod desideramus apud *Μαραθῶνα*, legimus, ubi Athenae commemorantur v. 38. Itaque etiam hunc locum adversantem in usum meum me convertisse magnopere gaudeo. Unus restat v. 80 sq.

σὺ δ' ἐκ τίνος γῆς, ὦ γέρον, τετράπτολιν
ξύνοικον ἦλθες λαόν;

quem Athenas significare neminem puto interpretando posse evincere. Sed cum ille locus unus contra totam fabulam pugnet, aut corrigendus aut removendus est; iuvaturque eo haec coniectura, quod totum dialogum, qui prologum excipit, pessime traditum esse iam diu viri docti cognoverunt. Qua

---

1) Sic Laur. Pal.: *τῶνδε*.

vero utamur medela, nunc quidem nescio; certum autem est et hos versus et eos qui leguntur inde a 31 ab histrionibus in eam quam tenemus formam redactos esse, ut scaenam dramatis Athenis Marathonem transferrent[1]). — Sed illos prologi versus multis aliis laborare difficultatibus nunc demonstrabo. Ac primum quidem infinitivum *προσωφελῆσαι* nullo modo ferri posse iam supra monui; *ἐγγύς* apud scriptores Atticos cum genetivo coniungitur, sive propriam habet (Eur. Heracl. 815. 904 etc.) sive translatam significationem (Aesch. Suppl. 373. frg. 157. Ar. Av. 1666. Plat. apol. p. 30[a] legg. VI p. 774[e]. Hipp. mai. p. 304[d] etc.); *σύγκληρον χθόνα*, quod ad sententiam obscurandam ad *Μαραθῶνα* adiectum videtur, significare debet „terram finitimam", quae tamen notio non reperitur nisi apud Nicandrum Al. 1, linguae Graecae depravatorem. Neque duos Thesei filios regnasse in Attica praeter hunc locum alicubi audimus; immo unum fuisse totius Atticae regem egregie significat v. 114 sq.:

ΚΗΡ. τίς δ' ἐστὶ χώρας τῆσδε καὶ πόλεως ἄναξ;
ΧΟ. ἐσθλοῦ πατρὸς παῖς Δημοφῶν ὁ Θησέως.

At histrioni, qui scaenam Marathonem transtulit, quanto usui fuerit duos Atticae reges statuere, alterum Athenarum urbis, alterum Tetrapoleos nemo non videt[2]). Neque synonymorum *τέρμονας — ὅρον* alterum coniectura removendum iudico; nonne interpolatores idem sibi concessere Or. 13 (*ἔριν — πόλεμον*) et Ion. 22 (*φρουρώ — φύλακας*)? Sed antequam de toto loco sententiam meam dicam, duo alii versus tractandi sunt. Versus enim 31 et 51

πάσης δὲ χώρας Ἑλλάδος τητώμενοι
πάσης ἀλῆται γῆς ἀπεστερημένοι

ab Euripide in eodem prologo scriptos fuisse nemo puto af-

---

1) Nomen Marathonis nisi v. 32 in tota fabula non reperitur.

2) *κλεινῶν Ἀθηνῶν τόνδ' ὅρον* v. 38 ille ita intellegi voluit, ut totam Atticam complecteretur. Alter Atticae rex sumptus est e v. 118 sq.

firmabit. Accedit quod v. 51 eo quo legitur loco mirum quantum languet. Quoniam autem ipse multo magis ingenium poeticum sapit, v. 31 e 51 fictum, hunc in falsum locum delatum esse iudicabimus. Praeterea Hirzelius l. l. rectissime versui 39

δυοῖν γερόντοιν δὲ στρατηγεῖται φυγή

obelum praefixit: nam ut mittam structuram satis memorabilem eorum qui insecuntur versuum (quae tamen fortasse defendi potest), damnatur particula *δέ* et insolito loco et in arsi posita (cf. v. 653). — Ego igitur sic puto Euripidem inde a v. 31 Iolai narrationem conformasse:

51 *πάσης [δ'] ἀλῆται γῆς ἀπεστερημένοι*
38 *κλεινῶν Ἀθηνῶν τόνδ' ἀφικόμεσθ' ὅρον,*

i. e. „vagantes omni terra privati pervenimus ad hos clararum Athenarum fines h. e. in has claras Athenas“ cf. El. 1315: *γῆς πατρῴας ὅρον ἐκλείπειν.* Aeg. frg. 1: *ποίαν σε φῶμεν γαῖαν ἐκλελοιπότα πόλει ξενοῦσθαι τῇδε; τίς πάτρας ὅρος;* Post unum vel duos versus histrionum iniuria absumptos[1]) haec sequebantur:

33 *ἱκέται καθεζόμεσθα βώμιοι θεῶν,*
40 *ἐγὼ μὲν ἀμφὶ τοῖσδε καλχαίνων τέκνοις,*
ἥ δ' αὖ τὸ θῆλυ παιδὸς Ἀλκμήνη γένος
ἕσωθε ναοῦ τοῦδ' ὑπηγκαλισμένη.

Sed Euripideis pannum duorum versuum assuit interpolator:

43 *σῴζει· νέας γὰρ παρθένους αἰδούμεθα*
ὄχλῳ πελάζειν κἀπιβωμιοστατεῖν.

Desiderabat enim verbum finitum participii *ὑπηγκαλισμένη.* Recte Musgravius *ἐπιβωμιοστατεῖν* monstrum vocis appellavit; non autem debebat ad coniecturam confugere in iis versibus, qui nexu sententiarum satis repudiantur. — Neque mihi possum persuadere v. 45—48

---

1) Argumentum eorum hoc fere fuit: „Nunc autem Thesei, regis huius terrae, tutelam exspectantes.“

Ὕλλος δ' ἀδελφοί θ' οἵσι πρεσβεύει γένος
ζητοῦσ' ὅπου γῆς πύργον οἰκιούμεθα,
ἢν τῆσδ' ἀπωθώμεσθα πρὸς βίαν χθονός

Euripideos esse. Ac primum quidem adultorum Hylli fratrum nullum in fabula vestigium apparet; commemorantur Diod. IV 57, 2. Neque rerum, quae hic narrantur, ulla est in ceteris fabulae partibus memoria: Hyllum sociorum exercitum sibi parasse audimus v. 664. Inscitiae autem linguae Graecae luculenta exempla sunt verba *οἵσι πρεσβεύει γένος* et *ὅπου γῆς πύργον οἰκιούμεθα*. Itaque etiam hos tres versus abiciemus. Neque desideramus Hylli in prologo commemorationem, praesertim cum per totam fabulam in scaenam non prodeat. Quis autem esset Hyllus, statim postquam nomen eius primum apparuit (639), discere poterant spectatores v. 659. — E prologi conclusione iam supra removimus v. 51. Addiderunt praeterea histriones tres versus 52—54 falsi *πάθους* plenos:

ὦ μῖσος, εἶθ' ὅλοιο χὠ πέμψας [σ'] ἀνήρ·
ὡς πολλὰ δὴ καὶ τῶνδε γενναίῳ πατρὶ
ἐκ τοῦδε ταὐτοῦ στόματος ἤγγειλας κακά,

in quibus hoc prorsus intolerabile est, quod versui 52 subicitur causa absurdissima[1]). Atque Eurystheum multos graves labores imposuisse Herculi notissimum est: per praeconem ei mala nuntiasse confiteor me ignorare neque scire huius fabulae interpretes ex silentio eorum concludo.

5. De Andromachae prologo.

Quod iudicium Aristophanes Byzantius in Andromachae argumento de prologo huius fabulae tulit: *ὁ πρόλογος σαφῶς καὶ εὐλόγως εἰρημένος* verum iustumque esse nemo negabit. Clara enim et distincta oratione Andromacha in Thetidis

1) Hanc fere sententiam exspectamus: „Crudeliter enim et assidue nos persequimini."

sacello supplex assidens primum de prioribus vitae suae fatis disserit (v. 1—20), tum qua fortuna in domo Neoptolemi, quo captiva venerat, usque ad illum diem usa sit, enarrat (v. 21—55). Tamen prologus noster nonnullis locis leviter, duobus, ut mea quidem est sententia, graviter et satis antiquo tempore interpolatoris manum expertus est. — Ac primum quidem bene perspexit Valckenaerius (ad Phoen. 1589) v. 7 interpolatoris esse; atque eo magis illi adstipulabimur, quod coniecturam probavit schol. cod. Marc. et Vat.: *οἱ ὑποκριταὶ τὸν ἴαμβον προσέθηκαν*[1]). — V. 11

ἐπεὶ τὸ Τροίας εἶλον Ἕλληνες πέδον

„abesse malit“ N. Equidem, quo saepius locum lego, eo magis in sententiam eius inclino. Probat enim Andromacha, quae dixerat v. 6: *νῦν δ' εἴ τις ἄλλη δυστυχεστάτη γυνή*. Numquid huc pertinet indicare, quo tempore nex Astyanactis perpetrata sit, cum praesertim nemo nesciat? Praeterea post *ὀρθίων* v. 10 graviter interpungam, quoniam inde a v. 11 Andromachae ipsius fata enarrantur. — V. 19. 20

φεύγουσ' ὅμιλον· Θεσσαλὸς δέ νιν λεὼς
Θετίδειον αὐδᾷ θεᾶς χάριν νυμφευμάτων

misera sunt interpolatio. Quantum langueant verba *φεύγουσ' ὅμιλον*, postquam praecessit *χωρὶς ἀνθρώπων* non opus est multis probare. Neque minus inepta sunt quae secuntur; nam quod *Φθίας καὶ Φαρσαλίας σύγχορτα πεδία*, ad quae necessario *νιν* referendum est, *Θετίδειον* vocantur, quomodo defendes? *Θετίδειον*, ut ipsa nominis forma probat, templum Thetidis significat et fuisse re vera docet schol. Pind. Nem. IV 81: *ἡ δὲ Θέτις ἄρχει καὶ δεσποτεύει τῆς Φθίας, ἔνθα ἐστὶ καὶ τὸ Θετίδειον ἱερόν, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἀνδρομάχῃ*[2]). Itaque facile conicimus ipsum illud templum, in

---

1) Lectorem moneo v. 9 legendum esse cum Hartungo *παῖδα δ'*, quod aperte opponitur verbis *πόσιν μὲν* v. 8.

2) Cf. Et. M. s. v. *Διόσκορος*.

quo Andromacha supplex sedebat, Thetideum fuisse. Sed posteris temporibus circa illud templum urbs orta est eodem nomine praedita; hoc expressis verbis docent schol., Steph. Byz. s. v. *Θεστίδειον*, Tzetzes ad Lyc. 175. Euripides autem scaenam huius dramatis ruri, non in urbe esse voluit (cf. v. 17. 18). Quod ad sermonem pertinet, verbi *αὐδᾶν* cum duplici accusativo coniuncti hoc unum est, quantum equidem sciam, in omnibus litterarum Graecarum monumentis exemplum[1]). — Non minus quam hunc locum constat v. 45. 46

Πηλεύς τε γάρ νιν ἔκγονοί τε Πηλέως
σέβουσιν ἑρμήνευμα Νηρῇδος γάμων

interpolatos esse. Ut primum de nexu horum versuum agam, coniuncti sunt cum iis qui praecedunt particula *γάρ*. At quod Peleus eiusque posteri templum Thetidis colunt, quae tandem causa est, cur Andromacha ibi a Menelai insidiis tuta sit? Tutam se fore ideo sperat, quod communi Graecorum iure qui in templa deorum confugissent sacrosancti erant. Quid praeterea sibi volunt *ἔκγονοι Πηλέως*? Sunt, ni fallor, Achilles et Neoptolemus, quorum tamen unus Neoptolemus superstes est. Maxime autem interpolatorem prodit vocabulum *ἑρμήνευμα*, quod, ubicunque legitur, „interpretationem“ significat (cf. Herc. 1137. Phoen. 470), hic idem esse debet quod *μνῆμα*. — Multo minus certum est iudicium de duobus aliis prologi locis, quos antiquissimo tempore interpolatione foedatos esse et iudico et me probaturum spero. Litigari autem poterit, quid Euripides ipse scripserit. In altero horum locorum ante me haesit vir doctissimus N. E. St. II. p. 88: sanare sibi visus est deleto v. 38, in quo iterum *ὅδε* falso usurpatum est. Tamen ego illum malum non

1) Significat aut „dicere“ (v. 1091) aut „iubere“ (v. 619). Passivum idem est quod „vocari“ (Soph. Phil. 240. 430. Tr. 1106. Eur. Phoen. 125).

radicitus evellisse puto. Primum valde displicet, quod v. 36 pronomen relativum ἅ, quod lectum nuptialem Neoptolemi significat, refertur ad verba *τἀκείνης λέκτρα*, quae pro ipsius Hermionae nomine posita sunt: ne hoc quidem poeta satis bene mihi instituisse videtur. Quid praeterea sibi vult illud iusiurandum v. 37: *Ζεὺς τάδ' εἰδείη μέγας*, quo, si cum N. v. 38 delemus, Andromacha quam maxime verba *νῦν δ' ἐκλέλοιπα* affirmat? Neque enim Hermiona dubitabat, quin illo tempore Andromacha a lecto Neoptolemi recessisset, quippe Neoptolemus ipse eam recusaverat (v. 30); hoc iure iurando stabiliendum erat falsum esse Hermionae crimen, quae Andromacham artibus magicis id moliri dicebat, ut Neoptolemus se repudiaret[1]). Itaque praeter v. 38 maxima cadit suspicio in v. 36 et 37, neque verba *ἀλλ' οὔ σφε πείθω* v. 39, cum non iam habeant, quo referantur, tolerari possunt. Quamobrem huc usque interpolationem pertinere iudico. Sed ubi initium capiat, quaeritur. Cum autem iam antea vituperaverim v. 35, aliud addo. V. 31 dicit Andromacha se ab Hermiona *σχετλίοις κακοῖς* agitari; quae autem illa mala sint, non satis apparet. Voluit tamen Euripides sine dubio haec duo esse: calumniam Hermionae et occidendi consilium. Itaque necessario artius coniungendi sunt v. 32 et 39, quod fieri posse puto hoc uno modo:

32 *λέγει γὰρ ὡς νιν φαρμάκοις κεκρυμμένοις*
33, 39 *τίθημ' ἄπαιδα, βούλεται δέ με κτανεῖν*
πατήρ τε θυγατρὶ Μενέλεως συνδρᾷ τάδε.

Sed fortasse vituperabor, quod cum loco interpolato etiam Euripidea reciderim. Tamen optime puto me liberatum iri ab hac suspicione, si comparabo cum nostro loco gemellum, qui legitur paullo post v. 156 sq.:

δόμους κατασχεῖν ἐκβαλοῦσ' ἡμᾶς θέλεις
τούσδε, στυγοῦμαι δ' ἀνδρὶ φαρμάκοισι σοῖς,
νηδὺς δ' ἀκύμων διὰ σέ μοι διόλλυται.

---

1) Non neglegenda est v. 36 v. l. *τὸ πρῶτον* et *τὸ πρόσθεν*.

Non puto Euripidem causas odii Hermionae duobus deinceps locis tam ampla oratione exposuisse, sed in prologo unam gravissimamque, ex qua ceterae pendent, commemorasse. Ceterum hic locus etiam meliore utitur sermone quam prologi versus: hic legimus *λέκτρα τἀκείνης*, illic *ἡμᾶς*, hic *ναίειν οἶκον ἀντ' αὐτῆς*, illic *δόμους κατασχεῖν*. — Venio ad desperatum huius prologi locum, quem quomodo scripserit Euripides neque ego enucleavi neque quemquam investigaturum puto; v. dico 49 sq., quos K. et N. sic scripserunt:

ὁ γὰρ φυτεύσας αὐτὸν οὔτ' ἐμοὶ πάρα
προσωφελῆσαι παιδί τ' οὐδέν ἐστ' ἀπὼν
Δελφῶν κατ' αἶαν, ἔνθα Λοξίᾳ δίκην
δίδωσι μανίας, ἦ ποτ' ἐς Πυθὼ μολὼν
ἤτησε Φοῖβον πατρὸς οὕ 'κτίνειν δίκην,
εἴ πως τὰ πρόσθε σφάλματ' ἐξαιτούμενος
θεὸν παράσχοιτ' εἰς τὸ λοιπὸν εὐμενῆ.

In hac versuum scriptura omnes videntur acquiescere. Sed vide, quot naevi ei inhaereant. Putasne v. 50 Euripidem scripsisse *παιδί τ' οὐδέν ἐστ'*? Quam male hoc dictum sit, animadvertit schol. cod. Marc.: *ἐκ παραλλήλου τὸ αὐτό. ταὐτὸν γὰρ δι' ἑκατέρου δηλοῦται· τοῦτο γὰρ ἀκόλουθον ἦν εἰπεῖν οὕτω· οὔτε ἐμοὶ πάρα προσωφελῆσαι οὔτε τῷ παιδί· ἡ δὲ ἀνάγκη τοῦ μέτρου τῆς ταὐτολογίας αἰτία.* Egregium mehercle fingeremus Euripidem poetam, si hanc causam probaremus. Sed ne ipsa quidem verba satis bona videntur. Etsi enim non nego *οὐδέν εἰμι* i. e. „perii" dativum admittere posse, tamen nullum in tanta huius locutionis frequentia repperi exemplum. *Ἑι*, quod v. 52 legimus, Reiskius coniecit; quo quae efficitur sententia ita comparata est, ut cum bono usu loquendi, ne dicam cum grammaticae legibus pugnet. Neque magis placet quod Hermannus scripsit *ὅς*: multo melius *ὅτι* substitueretur. Sed exhibent et codices prioris posteriorisque ordinis et scholia uno concentu lectionem *ἦν*, quam a tot testibus probatam mordicus tenendam esse iudico. At novae oriuntur difficultates: sententia

per se satis bona *ἦν ποτ' ἐς Πυθὼ μολὼν ἤτησε Φοῖβον πατρός*, si ad sensum respicis, coniungi debet cum voce *δίκην*, si ad structuram verborum, cum voce *μανίας*. Statim postea iterum haeremus. Interpretes enim *οὗ*, quod legitur v. 53, volunt esse possessivum, quod tamen et rarissimum est apud tragicos maximeque Euripidem[1]) et versus caesura satis refellitur. Sed Hermanni coniectura *'κτίνειν* scribentis causa erat, cur ad hanc interpretationem confugerent: codices praebent *οὗ κτείνει* vel *οὗ τίνει*, scholia explicant lectionem *οὗ κτείνει*, unum autem egregie hoc testatur (ad v. 51): *γρ. δὲ οὗ 'κτίνει δίκην, ἵν' ᾖ· ὅπου, ἐν Πυθοῖ, τιμωρίαν δίδωσι.* Nemo dubitabit, quin hoc ipsum antiquitus traditum fuerit: varia codicum lectio orta est ex Byzantina scriptura. Iam vides, quam male doctorum virorum coniecturis naevi huius loci oblitterati sint. At genuina lectione restituta membra disiecta per se satis bona nanciscimur, sententiarum aptum nexum nullo modo efficere possumus. Accedunt alia. Neminem qui hunc locum legit non offendit inelegans aut eorundem aut synonymorum vocabulorum intra minimum spatium repetitio:

50, 51 *ἀπὼν Δελφῶν κατ' αἶαν*	52 *ἐς Πυθὼ μολών*
51 *Λοξίᾳ*	53 *Φοῖβον*
51 *ἔνθα δίκην δίδωσι*	53 *οὗ 'κτίνει δίκην.*

δίκην in fine versuum 51 et 53 positum est. Dices fortasse res quae hoc loco enarrentur, ita comparatas esse, ut repetitiones evitari non possint: vide tamen, quanto melius Euripides rem suam gesserit v. 1106 sq., ubi prorsus eadem enarrantur:

Φοίβῳ τῆς πάροιθ' ἁμαρτίας
δίκας παρασχεῖν βουλόμεσθ'· ἤτησα γὰρ
πατρός ποτ' αὐτὸν αἵματος δοῦναι δίκην.

Praeterea ab nostro loco prorsus abhorret vocabulum *μανίας*

1) Vide Elmsl. ad Eur. Med. 925.

v. 52: τόλμης, quo explicant scholia, multo melius est. Quas ob causas me non falli puto, si nostro loco dilatatam satis antiquo tempore sententiam Euripideam agnosco. Quoniam autem ne probabilia quidem proferre possum, verba poetae restituere non conabor[1]). — Sed nondum dictum est de duobus postremis prologi versibus, quos ab Euripide alienos esse conicio. Nolo urguere argumentum horum versuum prioribus satis explicatum; dicat enim forsitan quispiam nos nescire quomodo Euripides praecedentes scripserit; nolo premere pluralem τὰ πρόσθε σφάλματα, cum de uno Neoptolemi crimine agatur (cf. 1106: τῆς πάροιθ' ἁμαρτίας); quam maxime vitupero, quod olim Lentingius monuit, verbum ἐξαιτεῖσθαι notione „deprecandi" usurpatum. Non autem cum illo coniecturam facio: immo cum hoc vocabulum ita comparatum sit, ut, qui non polite scriberet, facile verbo παραιτεῖσθαι substituere potuerit, nihil mutandum, locum ipsum Euripidi abiudicandum censeo.

6. De Hecubae prologo.

De Hecuba tragoedia sic dicit Hermannus in praef. editionis suae p. XV: „Insigne exemplum praebet Hecuba. Ea fabula apertissime duarum continet tragoediarum argumenta, tempore quidem, sed non re coniuncta. Nam Polyxenae devotio nihil commune habet cum Polymestoris facinore, neque aut alterum horum ex altero, aut utrumque ex una causa, ut sine altero neutrum fieri potuerit, nexum est atque suspensum." Egregie de fabula nostra iudicavit vir doctissimus. Atqui iam antea vidimus prologum Hippolyti fabulae, quae non duas actiones, sed duas partes continet, ita a poeta esse institutum, ut ad utramque partem intellegendam spectatores praepararet: quanto magis huius fabulae

1) Non opprimam silentio Useneri coniecturam, qui servatis versibus 49. 50 scribendum proponit:

Δελφῶν κατ' αἶαν, οὗ 'κτίνει δίκην [θεῷ].

prologum suspicamur duas continere narrationes, quarum altera res ad Polymestoris ultionem, altera res ad Polyxenae devotionem pertinentes exponat. Has sane partes facile reperies: prior procedit usque ad v. 34, inde incipit posterior. Praeterea neminem fugit v. 55—58, quibus Polydorus matrem commiseratur, a corpore prologi esse secernendos; concludit apertissime rerum expositionem versibus 51—54, quibus consilium scaenam relinquendi edicit. Sed eam partem quae pertinet usque ad v. 34 non unam esse iudico. Actio enim altera, quae versatur in ultione Polymestoris, eo nititur, quod iste Thracum rex Polydorum sibi commissum interfecit. Itaque a v. 16 priorem rerum enarrationem initium capere, quae praecedunt de genere et prioribus Polydori fatis exordium esse dicemus. Hanc igitur habes prologi dispositionem: Exordium complectitur v. 1—15, prior narrationis pars v. 16—34, altera v. 35—50, conclusio v. 51—54[1]). — Iam quaeritur, utrum sententiarum ordo in hoc prologo bene procedat necne. Mihi quidem, etsi nemo editorum ullam suspicionem pronuntiavit, non videtur. Primum me graviter offendunt v. 13—15:

νεώτατος δ' ἦ Πριαμιδῶν, ὃ καί με γῆς
ὑπεξέπεμψεν· οὔτε γὰρ φέρειν ὅπλα
οὔτ' ἔγχος οἷός τ' ἦ νέῳ βραχίονι.

Videamus sententiarum nexum. Postquam Polydorus primis prologi versibus genus suum exposuit, Priamum patrem, cum Troia in eo esset, ut a Graecis expugnaretur, ad Polymestorem, Thracum regem, multis cum thensauris se misisse narrat. Iam iis quos tractamus versibus ad genus suum relabitur Polydorus. Qui, rogo, defendes hunc sententiarum retrogressum, puero, ne mediocri quidem poeta dignum? Si indicare volebat Euripides Polydorum minimum natu fuisse

1) Alia est de huius prologi partitione Iul. Czwalinae (De Eur. studio aequabilitatis p. 28) sententia, quam falsam esse ex iis quae disputavi apparere puto.

Priami filiorum, debebat v. 3; at noluit. Nonne istos *θεατὰς σοφούς*, ut cum Aristophane (Ran. 1118) loquar, scivisse putas, quae Homerus tradiderat de Polydoro *Y* 409: *οὔνεκά οἱ μετὰ παισὶ νεώτατος ἔσκε γόνοιο*? Sed ut ignorarent, quid referebat ad actionem intellegendam? Puerum quidem se fuisse significat Polydorus v. 20. Praeterea isti versus nos docent Polydorum a Priamo ex agro Troiano hanc ob causam esse missum, quod arma ferre nondum posset. Saluti igitur eius providebat Priamus. At nonne hoc ipsum iam significavit Euripides? Velim mihi interpreteris *δείσας* v. 6! Et si negabis hanc vim illi vocabulo inesse, doceat te Hecuba v. 768: *πατήρ νιν ἐξέπεμψεν ὀρρωδῶν θανεῖν*. Sed verba videamus. Num ingenio Euripideo dignum putas, quod *ἐκπέμπειν* sine ulla causa intra novem versus ter repetitur? Interpolatoris autem ingenium praeter structuram satis puerilem prodit ὃ *καί*, quod quomodo interpretarentur veteres ipsi dubitarunt. Sic enim schol. cod. Par.: *τοῦτο οὕτω νοήσεις· ὅπερ, τὸ εἶναί με νεώτατον τῶν ἀδελφῶν, ὑπεξέπεμψε τῆς γῆς, ἀντὶ τοῦ· τοῦτο γέγονεν αἴτιον τοῦ ἐκπεμφθῆναί με*. Hanc sententiam suam fecit Porsonus. Cetera scholia plurimique Euripidis interpretes ita explicant, ut ὅ idem sit quod δι' ὅ. Ut paucis quod sentio complectar, altera explicatio contra naturam verbi *ὑπεκπέμπειν*, altera contra Atticum loquendi genus peccat. At dicit Weilius non maiorem difficultatem parare hanc locutionem, quam *ταῦτ' ὑπεξέπεμψεν* vel *τί ὑπεξέπεμψεν;* tamen ne unum quidem exemplum ex Attica prosa vel ex tragoediae dialogo poterit afferre[1]). Aliud autem est ὅ, aliud ὃ *καί*. Quam locutionem eodem modo usurparunt Attici scriptores, quo Homerus *Γ* 176: *τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα*, i. e. semper pendet relativum a verbo transitivo. Apparet hoc Phoen. 154 sq.:

1) In cantico exstat relativum illo modo usurpatum apud Soph. Phil. 142: *τό μοι ἔννεπε τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν*; ad quem locum recte adnotat Buttmannus dictum esse „more epico".

εἴη τάδ', ὦ παῖ, σὺν δίκῃ δ' ἥκουσι γῆν· ὃ καὶ δέδοικα μὴ σκοπῶσ' ὀρθῶς θεοί. Neque multo aliter puto se habere Phoen. 261 sq.: τὰ μὲν πυλωρῶν κλῇθρά μ' εἰσεδέξατο δι' εὐπετείας τειχέων εἴσω μολεῖν· ὃ καὶ δέδοικα, μή με δικτύων ἔσω λαβόντες οὐκ ἐκφρῶσ' ἀναίμακτον χρόα, ubi verto: „hoc autem ipsum est, quod mihi metum facit." Cf. Ar. Eccl. 338. Non pondet ὅ a verbo transitivo uno, quantum scio, Homerico exemplo Θ 332: τὸ καὶ μοιχάγρι' ὀφέλλει. Et sic usurparunt poetae aetatis Alexandrinae: Call. ep. XI (Mein.) = Anth. Pal. VII 447, Apoll. Arg. I 205. Miraris fortasse, cur cumulaverim exempla: hanc ob causam feci, ut ostenderem ne recte quidem locum nostrum scriptum esse; excipi enim debebat ὃ καί a gravissimo totius sententiae vocabulo. Summo igitur iure mihi videor hos tres versus, quorum primus e v. 1132 transscriptus est, ut spurios notare; utinam etiam de eo quem nunc tractabo loco tam certa pronuntiare possem!

ἐπεὶ δὲ Τροία θ' Ἕκτορός τ' ἀπόλλυται
ψυχὴ πατρῴα θ' ἑστία κατεσκάφη,
αὐτὸς δὲ βωμῷ πρὸς θεοδμήτῳ πίτνει
σφαγεὶς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου,
κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν
ξένος πατρῷος καὶ κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς
μεθῆχ', ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ.

Nonne mecum censes intra tres postremos versus bis idem nobis dixisse sapientem Euripidem? Quid enim aliud est χρυσοῦ χάριν atque ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ? Hoc sane concedemus Ludovico a Sybel (De repet. verb. in fab. Eur. p. 18) non molestam esse repetitionem vocabuli χρυσός, quod gravissimus v. 27 accentus in voce αὐτός positus sit; tamen ad iteratam sententiam defendendam haec causa non valet. Nonne praeterea vituperandum est, quod poeta verba ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ ad enuntiatum ἐς οἶδμ' ἁλὸς μεθῆχ' applicavit? Neque neglegendum est eadem verba forma meliore scripta legi v. 1245. Sed quid factum esse

censebimus? Aut mutavit aliquis verba Euripidea aut v. 26. 27 addidit. Nunc quidem priorem sententiam rectam esse iudico. Bene enim mihi videtur adnotasse scholiasta: *ξένος πατρῷος· ἐν εἰρωνείᾳ εἶπε ξένος πατρῷος, ἤτοι ὁ πατρικός μου φίλος*; neque facile ferimus omissa verba *εἰς οἶδμα ἁλὸς μεθῆκεν*, in quibus nihil omnino offensionis est. Itaque sic fere puto Euripidem hanc conclusisse sententiam:

26 *ξένος πατρῷος καὶ μεθῆκ' ἐς οἶδμ' ἁλός.*

Sed procedamus ad versus insequentes, quibus maculas inhaerere mihi persuasum est. Ac primum quidem nobis valde displicet, quod Polydorus vocabulo *κεῖμαι* v. 28 corpus, vocabulo *ἀΐσσω* v. 31 animam suam significat subiecti mutatione nullo modo indicata. Scio Homerum quidem non accurate distinxisse inter corpus et animam, cf. Ψ 71 sq. λ 74; apud tragicos nihil simile repperi. Verba autem *σῶμ' ἐρημώσας ἐμόν* non possunt intellegi, nisi arte coniungas cum v. 33. 34 hoc sensu: „corpore meo excessi (i. e. mortuus sum)[1]), quamdiu mater mea in hac terra adest." Sic ultro exploditur v. 32

τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος,

qui insuper pugnat cum v. 1, quo Polydori umbra tunc, cum prologum recitat, ex Orco se procedere dicit. Magno autem cum gaudio relegimus, quod Porsonus ad hunc versum adnotat: „Mira locutio *τριταῖον φέγγος* pro simplici *τρίτον*. Uno tamen exemplo se ipse Euripides defendit, Hipp. v. 275." At ostendit Wheelerus l. l. p. 50 ab interpolatore profectum esse illum locum. Nunquam igitur Euripides hac istius vocabuli notione usus est[2]). Unde autem sumpserit interpolator illos tres dies, equidem non video. — Sed manet adhuc ea difficultas, quam inesse verbis *κεῖμαι* et *ἀΐσσω* supra demonstravimus. Accedit altera, cuius me commonefecit Usenerus, praeceptor doctissi-

1) Sic interpretandum esse locum cognoverunt schol. cod. Marc. et Vat. Ceterum cf. Plat. Reip. V p. 469d.

2) Diversum est El. 171 *τριταίαν θυσίαν*; cf. Her. VI 120.

mus. Verba enim *νῦν δ' ὑπὲρ μητρὸς φίλης Ἑκάβης ἀΐσσω* non possunt intellegi, nisi Polydorum in scaena pendentem spectatoribus apparuisse sumimus. Hanc autem veram esse interpretationem egregie probat versus adscriptus: *τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος*, cui scholii instar addo Poll. IV 131: *αἰώρας δ' ἂν εἴποις τοὺς κάλως, οἳ κατήρτηνται ἐξ ὕψους ἀνέχειν τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀέρος φέρεσθαι δοκοῦντας ἥρως ἢ θεούς*. Hoc autem pugnat cum primo prologi vocabulo *ἥκω* maximeque cum verbis v. 52: *γεραιᾷ δ' ἐκποδὼν χωρήσομαι*. Neque desunt alia quamvis minora interpolationis indicia. Cur tandem Polydorus tam accurate pronuntiat, quo tempore interfectus sit? Satis est scire spectatores Polydorum post Troiam captam necatum esse, quod ipse dicit v. 21 sq. Nonne insuper satis inepta est ea qua utitur temporis definitio? Praeterea verba *σῶμ' ἐρημώσας ἐμόν* non ostendunt elegantiam Euripideam; *ἀΐσσω* de pendente Polydoro male dictum est; neque uti solebant tragici in trimetris soluta huius verbi forma uno Aesch. Pers. v. 465 excepto[1]). Quamobrem cum Usenerus v. 30—34 Euripidi abiudicaverit, ego etiam duo versus praecedentes num genuini sint valde dubito. Molestissimum enim est Polydorum in scaena praesentem dicere: *κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκτῆς* pro *τὸ δὲ σῶμά μου κεῖται*. Apparet autem fictum esse totum hunc locum ab histrionibus, cum scaenam Hecubae immutarent: Euripides Polydorum in scaenam procedere voluit, illi in scaena pendere, ut dum prologum recitaret, Hecubae *φάντασμα* appareret. Tamen pessimum v. 32 postea demum additum puto, ut clare dicta etiam clariora fierent. — Cadere autem cum illis versibus etiam 54

Ἀγαμέμνονος, φάντασμα δειμαίνουσ' ἐμόν

vix opus est monere[2]), simulque ea evanescit difficultas, cur

---

1) At Med. habet *ἴησ'* i. e. *ἴησ'*. Ergo etiam hic locus repugnans evanescit. 2) Hunc quoque versum delevit Usenerus. Idem monet v. 29 *ἄλλοις* pro *πολλοῖς* scribendum esse.

tandem Hecubam in tentorio Agamemnonis versari putemus[1]). — Iterum offendimur v. 47. 48

φανήσομαι γάρ, ὡς τάφου τλήμων τύχω,
δούλης ποδῶν πάροιθεν ἐν κλυδωνίῳ.

Falsum enim est *φανήσομαι* de corpore Polydori usurpatum; sepultura autem, quae in his versibus commemoratur, statim redit v. 50, ubi multo melius ad inferorum deos quam ad ipsum Polydorum refertur. Hos quoque versus propter verba *πάθους* plena *ὡς τάφου τλήμων τύχω* ab histrionibus inculcatos esse iudico. Quibus deletis egregie cohaerent v. 46 et 49: Hecubam enim Polyxenae immolatae corpus visuram per se satis apparet; qui fiat, ut Polydori quoque corpus visura sit, v. 49. 50 explicant. — Ceterae prologi partes bene procedunt, nisi quod v. 55—58

φεῦ·
ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς
ὅσονπερ εὖ ποτ'· ἀντισηκώσας δέ σε
φθείρει θεῶν τις τῆς πάροιθ' εὐπραξίας

spurii sunt. Notum est enim personas tragicas ubi in scaenam venire nuntiatae sunt quam celerrime prodire, ubi se abituras dixerunt, quam celerrime scaena excedere. Quas leges ex ipsa rerum natura profectas interdum ab histrionibus neglectas esse Wheelerus duobus exemplis (Alc. 238—243; Herc. 629—636) probavit (l. l. p. 30 sq. et 66 sq.). Sed praeter argumentum horum quattuor versuum vilissimum ac vanissimum etiam ipsa vocabula accuratius excussa falsarium produnt. In verbis enim *ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων δούλειον ἦμαρ εἶδες* abusus est locutione tragica, quoniam duas imagines prorsus diversas commiscuit. Quid vero scribendum fuerit poetae bene monstrant duo exempla a Wecklinio allata El. 305 sq. *ὑπὸ στέγαισί τε οἵαισι ναίω βα-*

1) Legas velim Weilii adnotationem.

σιλικῶν ἐκ δωμάτων et Tr. 494 sq. κἀν πέδῳ κοίτας ἔχειν ῥυσοῖσι νώτοις βασιλικῶν ἐκ δεμνίων, quibus ipse addo Aesch. Ag. 867 κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος. Eur. Or. 279 ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ. Dictyis frg. 336, 7 τοὺς δ' ἐκ μεγίστης ὀλβίας τυραννίδος τὸ μηδὲν ὄντας. Miro etiam modo usus est verbo ἀντισηκοῦν, quod significat „pondus imponere alteri lanci par ponderi alterius" et coniungitur cum accusativo et dativo. Cf. Luc. Tragoedopod. 242: τῇ δὲ σῇ προθυμίᾳ ἴσαισι τιμαῖς ἀντισηκώσω χάριν. Accusativus enim φθοράν, ut recte adnotat Weilius, e verbo φθείρει intellegi debet, loco autem dativi positus est genetivus, id quod etsi non usitatum est tamen suam habet explicationem.

7. De Herculis prologo.

Etiam Herculem in eo tragoediarum numero esse, quibus manus suas impudentes admoverint histriones, scite probavit Wheelerus l. l. p. 66, qui scaenicam interpolationem esse v. 629—636 cognovit. Tamen prologo mirum quantum pepercerunt, ita ut in numero optime servatorum habendus sit. Est autem singulari quodam modo compositus, cuius rei causa in argumento fabulae cernitur. Nam cum ad intellegendas insidias, quas Lycus Herculis genti parat, necessarium sit, ut et huius et illius fata cognoscamus, Amphitruo προλογίζων ita munere suo fungitur, ut in exordio (v. 1—12) de Herculis Megaraeque uxoris origine agat, tum Herculis labores, quos usque ad eum diem exantlaverit, enarret (v. 13—25). Sequitur altera de Lyco particula item bipertita: in exordio Lyci genus et vita (v. 26—34), tum facinus, quod in patrem, uxorem, liberos Herculis committere cogitet, exponitur (v. 35—43). Ad hanc igitur partem prologi se applicat tragoedia usque ad Herculis adventum v. 514. Concluditur prologus praesenti Heraclidarum condicione explicata (v. 44—59). — Quae autem in prologum intrusa sunt tria additamenta, eorum unum sustulit N., v. 47:

σὺν μητρὶ, τέκνα μὴ θάνωσ' Ἡρακλέους.

Nam si Euripides hoc loco Megaram adesse dixisset, certe idem expresse de liberis pronuntiasset. Sed cum Megarae v. 9 (*Μεγάρας τῆσδε*) et 14 (*Μεγάραν τήνδε*), liberorum v. 42 (*οἵδ'*) mentio facta esset, hic noluit. Praeterea plus quam futilia sunt verba *τέκνα μὴ θάνωσ' Ἡρακλέους*. — Altera interpolatio, v. 53. 54

πλευρὰς τιθέντες· ἐκ γὰρ ἐσφραγισμένοι
δόμων καθήμεθ' ἀπορίᾳ σωτηρίας

explosa est ab Usenero, qui *τιθέμενοι* pro *τιθέντες* desiderari, *ἐξεσφραγισμένοι* ea qua hic usurpatur notione ne Graecum quidem esse bene cognovit; verba *ἀστρώτῳ πέδῳ* interpolatorem provocarunt, qui v. 330 *νῦν γὰρ ἐκκεκλήμεθα* in usum suum convertit. Facere autem non possum, quin cum hoc loco alterum coniungam a multis viris doctis et nuperrime a Meklero (Euripideorum p. 51) agitatum. Audimus enim in prologo Amphitruonem cum Megara et liberis Herculis ad aram Iovis Servatoris in solo iacere, idemque confirmatur et Lyci minis v. 243sq. et Megarae precibus v. 329 sq. Sed lege versus 73—79:

οἵ δ' εἰς ἔλεγχον ἄλλος ἄλλοθεν πίτνων,
ὦ μῆτερ, αὐδᾷ, ποῖ πατὴρ ἄπεστι γῆς;
τί δρᾷ; πόθ' ἥξει; τῷ νέῳ δ' ἐσφαλμένοι
ζητοῦσι τὸν τεκόντ'· ἐγὼ δὲ διαφέρω
λόγοισι μυθεύουσα· θαυμάζων[1]) δ' ὅταν
πύλαι ψοφῶσι, πᾶς ἀνίστησιν πόδα
ὡς πρὸς πατρῷον προσπεσούμενοι γόνυ.

Nonne verba *ὅταν πύλαι ψοφῶσι* i. e. quotiens porta crepat[2]), significare videntur Herculis liberos domi versari? Sed etiam aliis mendis illi versus laborant, quorum nonnulla cognovit Hartungus. Falso enim usurpata sunt verba *εἰς ἔλεγχον*

1) Sic recte emendavit K.
2) Cf. Lys. I 14. 17.

πίτνων; ac si audimus v. 73 ἄλλος ἄλλοθεν, v. 78 πᾶς, magnum esse liberorum numerum facile suspicamur: non tamen sunt nisi tres (cf. v. 474). Verba ἐγὼ δὲ διαφέρω λόγοισι μυθεύουσα continent ταυτολογίαν et argumentum non tolerabile; neque debebat Amphitruo v. 98 sq. Megarae id suadere, quod se fecisse his versibus aperte dixerat. Quantopere autem totus locus cum Megarae moriendi consilio pugnet, lector ipse velim diiudicet. Deleamus igitur hos molestissimos versus, quos ab eodem hominum genere, qui v. 629—636 inculcarunt, e v. 98—100 fictos esse vix est quod moneam. — In tertio prologi loco explicando frustra sudarunt interpretes:

57 τοιοῦτον ἀνθρώποισιν ἡ δυσπραξία,
ἧς μήποθ' ὅστις καὶ μέσως εὖνους ἐμοὶ
τύχοι, φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον.

Nonne miramur, si legimus v. 58? Nonne rogamus, quid tandem Amphitruonem compellat, ut hoc ipsum votum idque tam mira forma pronuntiet? Sed, quod gravissimum est, verba φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον si grammaticam sequere ad sententiam ἧς — τύχοι, si sensum, ad δυσπραξίαν referenda sunt: neutrum bonum est[1]). Vides spero interpolatorem, qui tragicam dictionem imitari voluerit, non potuerit; cuius sapientiam multo melius et acutius expresserat Euripides v. 55.

8. De Supplicum prologo.

Pauca mihi de Supplicum prologo dicenda sunt, qui unus inter omnes nulla foedatus est interpolatione. Lucidissime autem disposita est haec Aethrae oratio, neque satis possum mirari, quomodo is, qui de symmetrica Supplicum

---

1) Hoc ipsum animadvertit Reiskius, qui haec scribit: „Aut ἔλεγχος ἀψευδέστατος, ut ad δυσπραξία redeat, aut ἐλέγχου ἀψευδεστάτου, ut ad ἧς et τύχοι. Si autem ἔλεγχον ἀψευδέστατον retineatur, debebit ἦν et λάχοι legi."

compositione scripsit, Albertus Schmidtius (Mus. Rhen. XXIII p. 439) hac in re tam turpiter falli potuerit. Exordium enim (v. 1—7) Aethrae preces continet, quibus Cereris gratiam pro se, Theseo, terra Attica implorat; media pars (v. 8—28 dim.) condicionem matrum, quarum filii ad Thebas occisi erant, et Adrasti exponit; conclusio (v. 28 dim. — 41) quid Aethra supplicum gratia et faciat et fecerit, exponit. — Unum huius prologi locum, quem W. egregie sanavit, antea commemoravimus; alterum ille corruptum habet, ego sanum esse iudico. Adnotat enim ad v. 31: „*τῆσδε* corruptum. Non in Attica Eleusis primum frumentum protulit, sed in mundo Attica." At quidnam impedit, quominus primum quidem hunc Cereris *σηκόν*, non totam terram frumentum procreasse statuamus? Tum Attica sane totius mundi prima frumentum genuit. Iam pro Atticae frugibus in illo Cereris *σηκῷ* sacra facit Aethra; quid omnino ad illam omnis terrarum orbis pertinet? — Praeterea necessarium est, ut v. 27 pro *μόνον* cum Reiskio scribatur *μόνῳ*. Referendum enim est ad *ἐμῷ τέκνῳ πόλει τ' Ἀθηνῶν*.

9. De Ionis prologo.

Nullius fabulae Euripideae prologus, si Iphigeniam Aulidensem excipies, virorum doctorum oculos magis ad se convertit, quam Ionis. Et sunt sane in eo tam multa tamque aperta menda, ut, quisquis attente leget, necessario haerere debeat. Primus autem totum prologum tractavit et difficultates eius in lucem protulit Schoemannus [1]), quem secutus Schmidius in Fleck. ann. XCIX p. 520 sq. multa quae Schoemannus omiserat addidit. De initio disputavit N. *Mél. Gréco-Rom.* II p. 636 sq., de v. 8—13 Usenerus Mus. Rhen. XXIII p. 151 sq. Mihi cum ante hos duos annos huic prologo

1) Scholia in Ionem. Progr. Gryph. ad nat. regis a. 1859 = Opusc. IV p. 41 sq.

operam darem, persuaserat Schmidius totum Euripidi abiudicandum esse: nunc meliore prologorum Euripideorum cognitione imbutus aliter sentio. Tenemus sane Ionis prologum multis et additamentis et immutationibus posteriorum maculatum neque ullus prologus luculentius probat, quod in praefatione dixi, sciolos aut suae doctrinae frustula aut ex ipsa fabula petita prologis intrusisse: tamen neque ordo genuini prologi mutatus est et multos versus aut Euripidi tribuere aut in formam Euripideam redigere certissime licet. — Mercurius igitur *προλογίζων*, postquam primis septem versibus et genus suum et locum actionis fabulae exposuit, inde a v. 8—75 partum Ionis et fata eius matrisque Creusae enarrat. Postremis prologi versibus 76—81 consilium e scaena abeundi spectatoribus prodit. Vides argumentum et ordinem prologi plane Euripideum. Ac primos quidem fabulae versus ea qua in codicibus exstant forma tolerari non posse satis docuerunt viri docti; Euripideos esse nemo qui morem huius poetae novit negabit. Ut statim meam sententiam proferam: puto periisse olim casu aliquo postremas primi et alterius versus syllabas, postea infausta Minerva esse suppletas. Delendum igitur iudico *οὐρανόν* et *τρίβων θεῶν*, cetera ut proba mordicus tenenda. Coniectura autem N. usus dubitanter versus sic restituo:

Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοισιν φέρων
θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκ Τιτανίδων κτλ.

Puto enim hoc vocabulum de Pleiona filia Titanum Oceani et Tethyis, matre Maiae, recte usurpari posse. Nam si Euripides Prometheum *Τιτᾶνα* (Ion. 455), Meropis (qui ne Titan quidem est) filiam *Τιτανίδα κούραν* (Hel. 382) appellat, satis intellegimus non accuratum esse apud eum huius vocabuli usum[1]). Euripidem autem matrem Maiae accurate notare noluisse ostendit *μιᾶς* v. 3. — Vix quisquam dubitabit, quin Wecklinius v. 5 recte sic emendaverit:

1) Cf. praeterea hymn. Orph. XXXVI 2. Hesych. s. v. *Τιτανίδα*.

ἥκω δὲ Δελφοὺς τούσδε, γῆς ἵν' ὀμφαλὸν,

quam coniecturam, ut de ceteris causis taceam, etiam versus caesura commendat. — Desperatus sequitur locus inde a v. 8; cuius cum prima verba optima sint et Euripide dignissima, cetera ab interpolatore dilatata esse rectissime cognovit et probavit Usenerus. Quoniam autem omnis suspicio cadit in eam partem sententiae, quae initium capit a vocabulo ἔνθα v. 11, haec ipsa verba interpolatoris esse iudico. Idem mihi probare videtur horum versuum consilium; scripti enim sunt sicuti v. 937 certissime spurius, ut quam accuratissime appareat, quo loco Creusa Ionem conceperit, id quod apud eos spectatores, qui Athenas non noverant, necessarium videbatur: Atheniensibus et v. 936 et nostro loco Κεκρόπιαι πέτραι sufficiebant. Itaque ego Euripidem post v. 10 sic fere perrexisse puto:

βίᾳ Κρέουσαν Κεκροπίαις πέτραις ὕπο.

Etiam insequens sententia (v. 14—27) amplificatoris manum experta est; tamen genuina paene certo restituere licet. Ac primum quidem minime tolerari possunt duo obiecta versus 16 παῖδα — βρέφος, alterum participio, alterum verbo finito additum. Noli afferre fabulae nostrae v. 1597 sq.: ἐπεὶ δ' ἔτικτες τόνδε παῖδα κἀπέθου ἐν σπαργάνοισιν, ἁρπάσαντ' ἐς ἀγκάλας Ἑρμῆν κελεύει δεῦρο πορθμεῦσαι βρέφος: magnus enim illic intercedit vocabulorum numerus, neque nexae sunt sententiae participio, sed coniunctione[1]). Mirum quantum claudicat v. 18 Κρέουσα, falsum est et illic et v. 27 ὡς θανούμενον (θανουμένῳ). Neque enim ut moriatur filium Creusa exponit, sed ut ab Apolline servetur (vide e. g. v. 965). At cum prior pars sententiae additamentis quibusdam intempestivis ditata sit, in posteriore inde a v. 20 ne verbum quidem Euripideum inesse affirmo. Ut primum res tractemus, dicturus est interpolator Creusam puero monilia serpentium specie induisse; in canistro haec infuisse discimus e v. 1427.

1) De Phoen. 22 vide infra.

Sed prae doctrinae suae mole id ipsum, quod dicturus est, non dicit: causam profert, cur Creusa puerum isto ornamento decoraverit. Quamobrem notam illam profert Erichthonii fabulam, quam ita ad suum usum immutat, ut Minervam puero duos angues adiunxisse dicat (cf. Apollod. III 14, 6. Ov. Met. II 561). De more autem Atheniensium, quem v. 24 sq. commemorat, nihil omnino scimus. Quae secuntur, si quem sensum habent, ad vestes referenda sunt, quibus Creusa infantem involvebat; leguntur similia v. 1412 sq. Quam dolendum est, quod tertium pueri ornamentum, olivae coronam, neglexit! Absurdissima autem sunt ipsa verba: *τοῦ τε γηγενοῦς Ἐριχθονίου* (v. 20) nihili est, quoniam id quod narratur, Erichthonii mos esse non potuit; *φρουρώ — φύλακας*[1]) iuxta poni non licet; *ἐκεῖ* (v. 24) et *τις* (v. 25) trimetri explendi causa addita sunt; *ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις τρέφειν τέκνα* (intellege: „monilibus ad serpentium formam factis infantes induere") nemo sanus dicit[2]), *ἀλλ'* (v. 26) non, ut K. putat, metrici supplementum, sed pessimi poetae pessima est sententiarum copula. — Extrusis autem versibus 20—27 et remotis e praecedentibus iis quos antea notavimus pannis *βρέφος*, *Κρέουσα*, *ὡς θανούμενον*, quibus addas *ἀπήνεγκεν* v. 16, quod iuxta v. *ἐκτίθησι* tolerari non potest, haec fere ultro apparet versuum Euripideorum forma:

15 *ὡς δ' ἦλθεν χρόνος,*
τεκοῦσ' ἐν οἴκοις ἐκτίθησι [τὸν γόνον]
εἰς ταὐτὸν ἄντρον οὗπερ ηὐνάσθη θεῷ
κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ[3]) *κύκλῳ.*

---

1) Sic codd. Correxit Porsonus regula sua usus *φύλακε*. Nihil mutandum est in turpissimo interpolatoris fetu.

2) Facere non possum, quin eiusdem certe poetae simillimum explodam additamentum:

1428 *ΙΩΝ.* *δώρημ' Ἀθάνας, ἦ τέκν' ἐντρέφειν λέγει;*
ΚΡ. *Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.*

Causas addere opus non est.

3) Vocabulum, ut mihi videtur, nondum emendatum.

Sed versus 16 initium, quod ego Euripideum esse iudico, Schmidius exagitavit. Enumerans enim argumenti discrepantias, quae inter prologi fabulaeque ipsius narrationem exsistant, hoc quoque commemorat v. 949 Creusam narrari filium non domi, sed in antro peperisse. Quod autem propter istam varietatem prologi versum vituperavit, iniuria mihi videtur fecisse. Videas velim ceteros fabulae locos ad Ionis partum pertinentes: 344 *τὸν παῖδ' ὃν ἔτεκεν ἐξέθηκε δωμάτων.* 503 sq. *ἵνα* (sc. *ἐν ἄντροις Πανός*) *τεκοῦσά τις παρθένος, ὦ μελέα, βρέφος Φοίβῳ πτανοῖς ἐξώρισε θοίναν θηρσί τε φοινίαν δαῖτα.* 897 sq. *τίκτω δ' ἃ δύστανός σοι κοῦρον, τὸν φρίκᾳ ματρὸς εἰς εὐνὰν βάλλω τὰν σὰν, ἵνα με λέχεσι μελέαν μελέοις ἐζεύξω τὰν δύστανον.* 1398 sq. *ὁρῶ γὰρ ἄγγος, οὗ ξέθηκ' ἐγώ ποτε Κέκροπος ἐς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς*, quocum conferas 936 *οἶσθα Κεκροπίας πέτρας;* et 939 *ἐνταῦθ' ἀγῶνα δεινὸν ἠγωνίσμεθα.* Quibus ex locis satis apparet ita finxisse Euripidem fabulae *μῦθον*, ut Creusam Ionem filium domi natum in eodem specu quo per vim ab Apolline stuprata erat, exposuisse diceret, quod idem prologi v. 16. 17 narratur. Unus pugnat locus a Schmidio allatus

948 *ΠΑΙΔ. ποῦ* (sc. *ἔτεκες*)*; τίς λοχεύει σ'; ἢ μόνη*
μοχθεῖς τάδε;
ΚΡ. μόνη κατ' ἄντρον οὗπερ ἐζεύχθην γάμοις.

Sequitur, ut illos versus Euripidi abiudicemus, praesertim cum ad dialogi contextum non solum supervacui, sed etiam incommodi sint[1]).

---

1) Si ea quae supra exposui probaveris, facere non poteris, quin etiam v. 958. 59 ab interpolatore scriptos esse existumes. Nam in antro exposuisse Creusam puerum, etsi ipsa praesente paedagogo satis significaverat (cf. 892. 899), tamen hic illis versibus deletis contra exspectationem commemorat. Interrogatio autem *πῶς;* in responso posita magis vitam cottidianam et comoediam sapit quam tragoediam. Cf. Mnesimach. Dyscol. 4 (Mein. frg. com. G. III p. 568). Praeterea pessimi sunt v. 957 et 962, neque v. 963 habet, quo referatur. Fortasse v. 953—962 spurii et sic sententiae continuandae sunt:

Sed ad prologum recedamus, qui inde a v. 28 Apollinis curas ut servetur infans enarrat. V. 30

κλεινῶν Ἀθηνῶν· οἶσθα γὰρ θεᾶς πόλιν·

Herwerdenus „si abesset", inquit „non requirerem". Iustam autem damnandi causam adesse equidem vix credo neque urbis nomen additum moleste fero. At certissime delendus est v. 32

αὐτῷ σὺν ἄγγει σπαργάνοισί θ' οἷς ἔχει,

quem interpolator, ne quid omittere videretur tragicus, addendum existumavit. Falsarii ingenium produnt verba *αὐτῷ*, quod supervacuum, et *σπαργάνοισί θ' οἷς ἔχει*, quod pessime expressum est. — Iterum additamentis alienis aucti sunt v. 36 sq.:

Λοξίᾳ δ' ἐγὼ χάριν
πράσσων ἀδελφῷ πλεκτὸν ἐξάρας κύτος
ἤνεγκα καὶ τὸν παῖδα κρηπίδων ἔπι
τίθημι ναοῦ τοῦδ' ἀναπτύξας κύτος
εἰλικτὸν ἀντίπηγος, ὡς ὁρῷθ' ὁ παῖς.

Mitto illud *κύτος* in eadem sententia eodem versus loco bis repetitum, quod subtilem poetam minime decet; hoc rogo: si Mercurius, ut ipse dicit, canistrum Delphos allatum aperuit, ut infans conspiceretur, nonne infantem in canistro iacentem templi liminibus imposuit? Tamen idem Mercurius infantem ipsum ibi se collocasse expresse dicit. Sed vereor, ne longus sim in ea re quae ante omnium oculos posita est explananda: apparet delenda esse verba *ἤνεγκα καὶ τὸν παῖδα* et *ἀναπτύξας κύτος εἰλικτὸν ἀντίπηγος, ὡς ὁρῷθ' ὁ παῖς*. Quamobrem sine dubio sic scripsit Euripides:

Λοξίᾳ δ' ἐγὼ χάριν
πράσσων ἀδελφῷ πλεκτὸν ἐξάρας κύτος
τίθημι ναοῦ τοῦδε κρηπίδων ἔπι.

---

951 *ΚΡ. τέθνηκεν, ὦ γεραιέ, θηρσὶν ἐκτεθείς —*
952 *ΠΑΙΔ. τέθνηκ'; Ἀπόλλων δ' ὁ κακὸς οὐδὲν ἤρκεσεν;*
963 *ΚΡ. ἐνταῦθ', ἵν' οὐκ ὢν ἄδικ' ἔπασχεν ἐξ ἐμοῦ.*

Vides poetam scite cavisse, ne repetitionibus spectatorum animos defatigaret: postquam v. 16 sq. Creusam infantem in canistro exposuisse dixit, in Apollinis oratione (v. 29 sq.) canistrum, in Mercurii verbis (v. 36 sq.) infantem omittit. Utroque loco interpolator munere suo functus est. — Bene procedit prologus usque ad v. 50; sequitur pessimus v. 51

ὁ παῖς τε τοὺς τεκόντας οὐκ ἐπίσταται

a Commero (thes. 6 post diss.) et ab Herwerdeno damnatus, in quo quam falso usurpatum sit verbum ἐπίστασθαι vix opus est monere. — Iam finita est enarratio Ionis fatorum; qui restant v. 52—56, etsi satis bono utuntur sermone[1]), unamque phrasin Euripidi fere propriam (δεῦρ' ἀεί v. 56) continent, propter argumentum contra ipsam fabulam miro modo pugnans servari non possunt, id quod iam diu viri docti animadverterunt. Est tamen aliquid etiam in verbis, quod impostorem convincat: ἀπανδρουῦν Clementi Alexandrino et Luciano convenit, non Euripidi[2]). — Iam bene excipit versum 50

οὐκ οἶδε Φοῖβον οὐδὲ μητέρ' ἧς ἔφυ.

v. 57: Κρέουσα δ' ἡ τεκοῦσα τὸν νεανίαν,

unde altera narrationis pars initium capit. Haec autem recte procedit usque ad v. 66. Neque enim vituperandum est verbum συνεξαιρεῖν, quod obiecto careat: idem habet obiectum, quod συμπονήσας. „Eradicandi" autem notionem, etsi insolita est, tamen iustissime poeta huic vocabulo tribuit (cf. v. 1044). Neve haereamus in verbo Ἀχαιός v. 64, quod pugnare videtur cum v. 1592, qua de re videas Schoemannum l. l. p. 22[3]). — V. 67 iterum longa incipit interpolatio, quae usque

1) τροφάς v. 52 certe corruptum neque adhuc emendatum est. Exspectamus πλάκας vel simile aliquid. De verborum structura cf. Hel. 532.

2) Euripides dixit ἐξανδροῦσθαι Phoen. 32. Suppl. 703.

3) Opusc. IV p. 56. Cur Bernhardyus (*Griech. Litt.* II^3 2 p. 488) vituperandum putet v. 62, equidem non video. An non honoratur Xuthus eo quod peregrinus Creusam uxorem accipit?

ad v. 75 pertinet. Initium autem spuriorum versuum notissimo illo interpolatorum more indicatur verbis ἔρωτι παίδων, quae postquam praecessit ὧν εἵνεκα absurda sunt. Quanto autem ii quos eieci versus cum fabulae ipsius argumento pugnent, quam insani sint v. 68. 74. 75, postquam viri doctissimi egregie probarunt, ego non iterum demonstrabo. Simul autem intellegis, quam recte prima narrationis parte (v. 8—50) Ionis, altera (57—66) Creusae et Xuthi fata usque ad eum diem enarrentur, quo fabulae ipsius actio incohatur. — Tandem ad prologi conclusionem perveni, cuius primus versus 76 luculentum est Euripideae originis testimonium. Sed ne finis eius prorsus conspiret cum versu praecedenti, pro τάδε scribendum propono τάχα; δαφνώδη γύαλα autem puto esse γύαλα Παρνησοῖο commemorata in Hom. hym. in Apoll. Pyth. 215. Hes. theog. 499. Sed assuit interpolator v. 77

τὸ κρανθὲν ὡς ἂν ἐκμάθω παιδὸς πέρι,

qui quam absurdus sit docet Herwerdenus in commentario p. 80. Mercurius, postquam prologum declamavit, ut Venus Hippolyti, Polydorus Hecubae fabulae abit; abeundi causa nisi quod cedendum est novae personae in scaenam prodeunti addenda non est. — Denique duos postremos prologi versus damno, quorum et argumentum insulsum et vocabulum θεῶν metri explendi causa inepte adiectum nullam admittunt de impostore dubitationem.

Iam habes prologum Euripideum omnibus puto numeris absolutum. Paucos quidem locos interpolatorum pannis intermixtos certa coniectura sanare mihi non licuit; plurima tamen recte me statuisse in hoc maxime prologo mihi persuasum est.

10. De Troadum prologo.

Memorabili modo coagmentata est ab Euripide Troadum fabula. Neque enim unam actionem continet nec complures, sed singulae quasi imagines deinceps spectatorum oculis pro-

ponuntur; quae non alio vinculo inter se nexae sunt, nisi quod omnes ad Troiam captam et ad captarum Troadum sortem pertinent. Quamobrem Euripides in prologo huius fabulae facit Neptunum Troiae expugnationem et ea quae statim subsecuta sunt enarrantem (v. 8—44). In exordio quam cara sibi illa urbs fuerit, exponit (v. 1—7)[1]; in conclusione consilium captam derelinquendi prodit (v. 45—47). — Prooemio prologi assuti sunt ab interpolatore duo versus pessimi 13. 14:

ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κεκλήσεται
δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ,

qui quam male se habeant scholiasta cognovit, haec adnotans: *ψυχρῶς ἠτυμολόγησε τὸν ἵππον ἀπὸ τῶν δοράτων. ἄμεινον γὰρ παρὰ τὰ δοῦρα πεποιῆσθαι ἤγουν τὰ ξύλα. Ὅμηρος δουράτεον, ὅ ἐστι ξύλινον.* Mira sane hoc loco nobis praebetur doctrina, quae ab omni antiquitatis memoria prorsus abhorret. Sed scio esse quosdam, qui quo putidiorem eruditionem prae se ferat aliqua sententia, eo libentius Euripidi tribuant: at cur tandem Neptunus excidium Troiae multa cum commiseratione enarrans subito ad grammatici munus etyma vocabulorum exponentis descendit? Praeterea verba aperte interpolatorem indicant: quo referendum sit *ὅθεν* et auditori quaerendum est et lectori; causa autem ipsa iteratur verbis *κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ*, quem falsariorum usum Ion. 67 cognovimus. — Ultro fere exploditur v. 22

οἳ τήνδ' ἐπεστράτευσαν Ἕλληνες πόλιν.

Nemo subiectum desiderat. Prorsus falsum est *τήνδε πόλιν*. Vidimus enim antea accuratissimum esse in prologis Euripideis pronominis *ὅδε* usum: scaena tragoediae non in urbe Troia, sed in castris Graecorum est (cf. v. 32. 139. 176 etc.). Ut obiter moneam, haec ipsa mihi videtur fuisse causa, cur Euripides v. 4 non scripserit: *τήνδε Τρωικὴν πόλιν*. Su-

1) Ante versum 8 plene interpungendum est.

spectum est etiam vocabulum Ἕλληνες. Licet enim animadvertere Euripidem Graecos contra Troiam profectos in hac fabula more Homerico aut Ἀχαιούς vocare aut Ἀργείους (cf. v. 19. 64. 66. 71. 81. 236 etc. — 8. 94. 159. 167. 172 etc.), semel Πανέλληνας (v. 721), ter loquentibus mulieribus Troianis Δαναούς vel Δαναΐδας (v. 184. 230. 747). Ubi autem Ἕλληνες commemorantur, aut sunt Phthiotidis incolae (203. 267. 293) aut Graeci barbaris oppositi (764. 771; posteriori tamen loco recte a Dindorfio obelus praefixus est). Tres restant versus posterioris partis fabulae, in quibus Ἕλληνες esse debent Graeci Troiae bellum inferentes: 868. 900. 1019; quorum tamen primum

αὐτός τε καὶ γῆ δορὶ πεσοῦσ' Ἑλληνικῷ

spurium esse adeo apparet, ut qui pluribus probet, operam mihi perdere videatur. Alter et tertius locus suspicionem non movent; statuendum igitur est Euripidem in posteriore parte fabulae sibi non satis constitisse. — Versus qui insecuntur 23—27

ἐγὼ δέ, νικῶμαι γὰρ Ἀργείας θεᾶς
Ἥρας Ἀθάνας θ', αἳ συνεξεῖλον Φρύγας,
λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον βωμούς τ' ἐμούς·
ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει

eo quo legimus loco sententiarum nexum male interrumpere perspexit Wagnerus. Valde autem eum reprehendo, quod eos post v. 44 collocavit, v. 45—47 delevit. Quid, quaeso, in his versibus vitii est? Haud pauca autem vituperanda sunt in v. 23—27. N. enim, qui E. St. II p. 135 v. 24 delevit, bene monuit ipsum nomen Iunonis, postquam Ἀργεία θεά (θεός) dicta esset, supervacuum esse. Ego dico Iunonem in hac fabula omnino locum non habere: Minerva consiliis suis effecit, ut Troia dirueretur (cf. v. 10. 47. 561) eaque ipsa v. 48 in scaenam prodit, ut abiectis prioribus inimicitiis cum Neptuno, Troianorum fautore, foedus ad perdendos Graecos

ineat. Neque recte dictum est *λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον*, cum Neptunus processerit *λιπὼν Αἴγαιον ἁλμυρὸν βάθος*: recte Apollo Alcestidis v. 23: *λείπω μελάθρων τῶνδε φιλτάτην στέγην*. Contra bene se habet, quod dicit Neptunus v. 45: *ἀλλ', ὦ ποτ' εὐτυχοῦσα, χαῖρέ μοι, πόλις*. Versus autem 26. 27 nihil habere poetici coloris nemo negabit: prorsus falsum et ineptum est *τιμᾶσθαι θέλει*, cuius loco *τιμᾶται* dicendum erat. Mala igitur dittographia sunt v. 23—27 eorum versuum, qui in fine prologi leguntur: quamobrem maxima cum confidentia deleo. Denuo tollitur locus communis e prologo Euripideo, v. 26. 27. — Recte N. E. St. II p. 135 adn. versui 35

Ἑλένη, νομισθεῖσ' αἰχμάλωτος ἐνδίκως

obelum praefixit; fluxit haec interpolatio e v. 872. Sed restant maiora, quae fugisse viros doctos non satis possum mirari. Audiamus quae scholia v. 36 rectissime monent: *ἄμεινον ἦν ἀπὸ τῶν πραγμάτων παράγεσθαι ὀδυρομένην τὰ παρόντα. οὕτω γὰρ ἂν ἡ τραγῳδία τὸ πάθος εἶχε, νῦν δὲ ψυχρῶς τῷ θεάτρῳ προσδιαλέγεται*. Putasne re vera Euripidem, *τραγικώτατον* poetam, tam rudi modo spectatoribus Hecubam ostendisse? Concedendum est plurimos Euripidis prologos ad theatrum potissimum pertinere; at alloqui spectatores comoediae est, non tragoediae, neque ullum in omnibus prologis nostri simile reperies exemplum[1]). Sed utinam sana esset haec compellatio! Duplicem exhibent codices lectionem: prior classis *Ἑκάβην κειμένην — χέουσαν*, posterior *Ἑκάβη κειμένη — χέουσα*: ineptam esse utramque neminem puto fugiet. Iam si legimus v. 38 *δάκρυα χέουσα πολλὰ καὶ πολλῶν ὕπερ*, necessario exspectamus, ut sententia quae sequitur relativa causae lacrimarum Hecubae exponantur: at iustae causae *φροῦδος Πρίαμος καὶ τέκνα*[2]) adduntur

1) Proxime, sed longo intervallo, accedit Hel. 1 *Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί*. Meleag. frg. 519: *Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα*.

2) Cf. Hec. 161.

duae ab hoc loco prorsus alienae: Polyxenam ad tumulum Achillis immolatam, Casandram ab Agamemnone paelicem factam esse; alterius enim rei adhuc ignara est Hecuba, altera ne accidit quidem; itaque Hecuba de his lacrimas fundere non potest; audit demum v. 247 sq. et 622 sq. Recte N. E. St. II p. 126 lectionem codicum prioris ordinis *λάθρα* v. 40 refellit; *οἰκτρά*, quod codices alterius ordinis exhibent, coniectura est ad difficultatem occultandam facta[1]). Accedunt res grammaticae. Num bene haec distributa sunt: *ἡ παῖς μὲν . . . τέθνηκε . . . Πολυξένη, φροῦδος δὲ Πρίαμος καὶ τέκνα*? Neque satis accurate dictum videtur *τὸ τοῦ θεοῦ τε παραλιπὼν τό τ' εὐσεβές*, cum *παραλείπειν* sit „omittere" (i. e. „non facere" vel „non dicere" cf. Hel. 773. 976) aut „non recte facere" (Plat. legg. XII 951^{c}. VI 772^{c}), hic desideretur notio „non curandi, non verendi" (*ἀμελεῖν*, *καταφρονεῖν*). Gravissima autem offensionis causa est in verbo *γαμεῖ*, quod, quisquis audit, aut „in matrimonium ducit" aut „uxorem habet" significare arbitretur oportet: futurum esse istud matrimonium fabula ipsa et scholiasta docent. His igitur argumentis satis puto iustis nisus v. 36—44 ab Euripide profectos non esse censeo. Neque necessarium est, ut Hecuba in prologo commemoretur, nedum ostendatur: est inter mulieres captas quae commemorantur v. 32. 33[2]). Ubi autem ipsa verba facere coepit, tertio versu audiunt spectatores, quem in scaena videant, posteaque expresse nomen suum dicit (v. 136). Itaque servantur leges, quas de personarum nominibus sibi statuit Euripides quasque scite indagavit W. A. E. p. 202 sq.

11. De Electrae prologo.

Summo iure Electra postremum tenet in ordine fabularum Euripidearum locum, neque possumus non assentiri

1) Cf. schol. cod. Vat.: *γρ. οἰκτρά, ὃ καὶ ἄμεινον.*

2) Videas praeterea, quae de hoc loco disputaturus sum in capite de arte prologorum Euripideorum inscripto.

Schlegelio, qui eam in libro „*Ueber dramat. Kunst*“ I p. 231 sq. acerbissime perstrinxit, ne dicam irrisit. Tamen fabula mediocris pretii deterior facta est additamentorum tam larga copia, ut vix ullam magis deformatam nostra aetas viderit (Cf. W. A. E. p. 240 et 76). Cum autem meum sit prologum ad genuinam formam reducere, haud paucas spero accurata interpretatione me ab eo abstersurum esse maculas. — In exordio fabulae in scaenam prodit agricola, cui Aegisthus Electram uxorem dedit. Postquam primis tredecim versibus Agamemnonis et felicem et miseram fortunam exposuit, quae mala perpessa sit filia eius enarrat. — Ipse primus versus

ὦ γῆς παλαιὸν Ἄργος, Ἰνάχου ῥοαί

quasi malo omini est toti fabulae: pro Ἄργος aut corrupto aut e v. 6 falso illato aliud vocabulum appositum ad *Ἰνάχου ῥοαί* substituendum est. Mihi quidem inter molem coniecturarum, quam procrearunt varia criticorum ingenia[1]), palmam ferre videtur Kirchhoffiana: *ὦ γῆς γάνος παλαιόν*; litteris enim proxime abest a codicis scriptura et sensum praebet nostro loco aptissimum (cf. Suppl. 1150). — V. 9

θνήσκει γυναικὸς πρὸς Κλυταιμνήστρας δόλῳ

explicaturus Weilius haec adnotat: „*Le verbe θνήσκει a deux compléments: πρὸς γυναικὸς Κλυταιμνήστρας et δόλῳ. Clytemnestre tend le piége, Égisthe porte le coup mortel* (?). *Il est vrai que la version des tragiques et particulièrement d'Eschyle, est qu' Agamemnon fut tué de la propre main de son épouse. Euripide lui-même dit au vers 1160: ᾧ πόσιν . . . ὀξυθήκτῳ βέλει κατέκταν' αὐτόχειρ, πέλεκυν ἐν χεροῖν λαβοῦσα. Mais on peut supposer que les deux complices frappèrent à la fois.*“ Sensit sine dubio Weilius hunc locum non satis planum esse; quomodo solvenda esset difficultas

1) Nuperrime locum temptaverunt Vitellius, *Appunti critici sulla Elettra di Euripide. Torino-Roma 1880* p. 101 sq. Mekler, Euripideorum p. 68.

non perspexit. Quod enim v. 1160 sq., id ipsum dicit Euripides v. 9: occisum esse Agamemnonem Clytaemnestrae manu (*γυναικὸς πρὸς Κλυταιμνήστρας*). At interpolator, qui fortasse meminerat v. 916 sq., ubi Electra Aegisthum interfectum sic increpat:

ἄνδρα δ' ἔκτανες
στρατηλατοῦνθ' Ἕλλησιν

vel Soph. El. 97 sq. et 270, invita Minerva addidit v. 10:

καὶ τοῦ Θυέστου παιδὸς Αἰγίσθου χερί

languidum et *ταυτολόγον*. Iuvit autem interpolationem ars interpretandi, qua iste grammaticus utebatur, qui *πρὸς Κλυταιμνήστρας δόλῳ* „dolo Clytaemnestrae" esse voluit[1]). — Male N. v. 17, qui nihil habet cur in suspicionem vocetur, uncis includens totius sententiae symmetriam turbavit; verum vidit Steinbergius (De interpol. Eur. El. Halis 1864 p. 19), qui v. 15 Euripidi abiudicavit, in quo verba *θῆλύ τ' Ἠλέκτρας θάλος*, etsi tragicum prae se ferunt colorem, tamen male usurpantur[2]). Etiam hic versus sine dubio grammatici fetus est. — Neque ego mihi possum persuadere v. 18

Στροφίῳ τ' ἔδωκε Φωκέων εἰς γῆν τρέφειν

ab Euripide scriptum esse; statim omnem abiciam dubitationem, si quis iustis exemplis probaverit *Στροφίῳ ἔδωκε Φωκέων εἰς γῆν* a bonis scriptoribus dici posse pro: *Στροφίῳ ἔδωκε κομίσας Φωκέων εἰς γῆν*[3]). Hoc certum est non modo nihil desiderari isto versu deleto, sed etiam meliorem fieri totius sententiae habitum[4]). — Rectissime N. in suspicionem vocavit v. 26

μή τῳ λαθραίως τέκνα γενναίῳ τέκοι.

Nam et prorsus idem est atque v. 22 et scholii instar ad-

1) Eundem sensum postulat Weilius, qui in adn. crit. hanc profert coniecturam, quam nemo puto probabit: *ἐκ Κλυταιμνήστρας δόλου.*

2) De usu vocabuli *θάλος* vide Iph. Taur. 171. Phoen. 88.

3) De filiabus collocandis sic dicit Homerus *o* 367. *ϱ* 442.

4) Apparet post v. 19 plene interpungendum esse.

ditus versui 25, qui tamen ita comparatus est, ut omnem interpretationem repudiet. — Quae ab omnibus editoribus v. 27 recepta est Seidleri coniectura *βουλεύσαντος* minime mihi videtur locum sanare; quod enim gravissimum est, Aegisthum Electrae interficiendae consilium cepisse, non potuit participio condi magis quam promi; contrarium clamat etiam tradita quamvis vitiosa lectio. Lenissima mutatione scribo:

κτανεῖν σφ' ἐβούλευσ' αὐτός· ὠμόφρων δ' ὅμως
μήτηρ νιν ἐξέσωσεν Αἰγίσθου χερός,

oppositis marito et uxore. — Denuo vilem vanamque explicationem eorum qui praecedunt versuum agnoscimus in v. 29. 30

εἰς μὲν γὰρ ἄνδρα σκῆψιν εἶχ' ὀλωλότα,
παίδων δ' ἔδεισε μὴ φθονηθείη φόνῳ,

qui mihi damnantur vel solo vocabulo *φθονηθείη*, cui in cod. Laur. glossa adscripta est *μεμφθείη*. Haec enim huius vocabuli significatio Euripidis aetati prorsus ignota erat. Certissime autem gradus possunt demonstrari, quibus *φθονεῖν* ad eam quam hic habemus notionem pervenit. Primus enim Plato substantivum *φθόνος* ita usurpavit, ut „obtrectationem (invidia ortam)“ significaret; coniungit enim cum vocabulo *διαβολή* apol. p. 18[d]. 28[a]; idem tamen verbo *φθονεῖν* nunquam pari modo usus est. Tum demum, postquam haec notio invaluit, per tertium gradum potuit in eam abire, quam noster locus praebet „reprehendendi, vituperandi“. Iam vides ad quam aetatem linguae legibus coacti descendere iubeamur: itaque v. 29. 30 certissime spurii sunt. — Vix unus intercessit versiculus 31, cum iterum opera sua detestanda functus est, ut mihi quidem videtur, idem interpolator, qui v. 29. 30 inculcavit; his enim additis necessarium erat, ut repeteretur subiectum *Αἴγισθος*. Hac autem causa ductus damno v. 32. 33, quod e verbis *ἐκ τῶνδε* v. 31 (i. e. postquam *εἶχεν ἐν δόμοις* et *κτανεῖν ἐβούλευσεν*) satis apparet tertium indicatum iri Aegisthi consilium contra Electram initum, Orestem hic omnino locum non habere:

ut taceam de verbis male et contorte scriptis. Antequam autem restituere possimus v. 34, spuria notanda sunt omnia quae secuntur usque ad v. 38[1]), qua interpolatione subabsurda misere distinentur v. 34 et 39. Verba enim *οὐ δὴ τοῦτό γ' ἐξελέγχομαι* pessime sunt scripta, cum significare debeant: „hac quidem de re ego vituperari non possum"; pro particula *γὲ* post *γένος* exspectamus *μέν*; *πένης* cum genetivo coniunctum non est sermonis Euripidei, sed primum reperitur apud scriptorem epistulae Platonicae VII p. 332c. Neque difficile est fontem huius loci indagare; videas velim v. 247 sq.:

ΗΛ. ἐγημάμεσθ', ὦ ξεῖνε, θανάσιμον γάμον.
ΟΡ. ὤμωξ' ἀδελφὸν σόν. Μυκηναίων τινί;
ΗΛ. οὐχ ᾧ πατήρ μ' ἤλπιζεν ἐκδώσειν ποτέ.

Postrema autem verba ficta sunt ex sententia Euripidea, quam legimus Phoen. 442:

πένης γὰρ οὐδὲν εὐγενὴς ἀνήρ

et paucis mutatis Alcm. frg. 96:

ἀλλ' οὐδὲν ηὐγένεια πρὸς τὰ χρήματα·
τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει. —

Iam sublatis additamentis v. 34 in Euripideam formam redigendus est. In quo ab interpolatoribus profectas esse apparet particulas *δὲ δή*, desideratur notio uxoris. Quamobrem hanc genuinam fuisse lectionem conicio:

ἡμῖν λέχη δίδωσιν Ἠλέκτραν[2]) ἔχειν[3]).

---

1) Postquam haec scripsi, animadverti Ottonem Lueders „Quaestt. de collegiis artificum scen. prolusio" (Bonnae 1869) sent. controv. II idem statuisse.

2) An *Ἠλέκτρας*? Cf. Or. 20.

3) Erravit sine dubio W. A. E. p. 62 ad hunc versum adnotans: „*ἡμῖν δὴ δίδωσι* C. *δὲ* inserit $C^2\Gamma$. scribendum igitur ex Stobaeo *ἡμῖν γε μὴν*." Neque enim Stobaeus hoc versu, sed 37 tradit *γε μήν*, neque istae particulae in v. 34 omnino quadrant.

Cf. Hel. 784. 974. Soph. Trach. 27. Ut paucis sententiam meam complectar, sic puto Euripidem inde a v. 25 scripsisse:

ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦτ' ἦν φόβου πολλοῦ πλέων,
κτανεῖν σφ' ἐβούλευσ' αὐτός· ὠμόφρων δ' ὅμως
μήτηρ νιν ἐξέσωσεν Αἰγίσθου χερός.
ἐκ τῶνδε δὴ τοιόνδ' ἐμηχανήσατο·
ἡμῖν λέχη δίδωσιν Ἡλέκτραν ἔχειν,
ὡς ἀσθενεῖ δοὺς ἀσθενῆ λάβοι φόβον.

V. 40—42 iam Kirchhoffius in editione minore sub textum relegavit; sunt enim ex notissimo illo interpolationum genere, quo causa, ut logici dicunt, e contrario repetitur[1]). Praeterea pronomen ἦν initio v. 43 positum et v. 40—42 et eos quos supra tractavimus 35—38 delendos esse clamat. — Versui 44

ἤσχυνεν εὐνῇ· παρθένος δ' ἔτ' ἐστὶ δή

obelum praefixit N. *Mél. Gréco-Rom.* II p. 252; tamen vereor, ne vir doctissimus sicuti v. 17 falso loco offenderit; certe ἀποσιώπησις mihi a simplici prologi elocutione prorsus videtur abhorrere. Ac ne mutandum quidem censeo verbum ἤσχυνεν cum Weilio et Rauchensteinio: quid enim, quaeso, inest, quod iure vituperes? Nonne re vera stuprum esset[2]), si agricola, homo pauper et humilis, cum Electra, regis potentissimi filia, concumberet? Concise igitur et optime Euripides agricolae mores honestos expressit; addidit interpolator, qui spectantium vel legentium ingenia verba tam pressa capere non posse existumabat:

αἰσχύνομαι γὰρ ὀλβίων ἀνδρῶν τέκνα
λαβὼν ὑβρίζειν, οὐ κατάξιος γεγώς.

Qui versus, cum per se multo minus dicant quam ii ad quos

1) Quam celerrime velim deleas turpissimos et ineptissimos versus eodem pertinentes 417—419.

2) Hanc notionem habet nostro loco verbum αἰσχύνειν. Cf. Erechth. frg. 364, 27. Ceterum non neglegenda est Kvíčalae coniectura (*Studien zu Euripides. Wien 1879.* p. 49) ἧς — εὐνήν. Ego tamen non assentior.

interpretationis causa adscripti sunt, et repetito verbo *αἰσχύνειν* et falso usu adiectivi *κατάξιος* [1]) damnantur. Ceterum eandem fere continent sententiam versus, qui in prologi fine leguntur, 50—53. Apertum autem est v. 257

γονέας ὑβρίζειν τοὺς ἐμοὺς οὐκ ἠξίου

fontem esse interpolationis. — Tum e prologo nostro eicio v. 47—49

στένω δὲ τὸν λόγοισι κηδεύοντ' ἐμοὶ
ἄθλιον Ὀρέστην, εἴ ποτ' εἰς Ἄργος μολὼν
γάμους ἀδελφῆς δυστυχεῖς ἐσόψεται,

qui quam male quadrent in v. 43. 44 ad honestos agricolae mores pertinentes vix opus est indicare. Addo causam grammaticam, quam forte pusillam iudicabis. Nunquam enim memini me legere *λόγοις* pro *λόγῳ* ut sit: „nomine, non re". Cf. locum nostro simillimum El. 1286 et Alc. 339. Cycl. 155. Herc. 588. 963. Erechth. frg. 362, 13. Soph. El. 59 [2]). Post v. 15 et 32. 33 hic tertius locus est, quo falso Orestes commemoratur. — Pauca addam de quattuor postremis huius prologi versibus, quos acerbissime perstrinxit Steinbergius l. l. p. 5 causis non additis. Mihi quoque, postquam multum de hoc loco cogitavi, eandem videntur redolere fabricam atque v. 258—261 a Luedersio damnati. Hoc certum est ipsa postrema verba *καὐτὸς ἂν* [3]) *τοιοῦτος ὤν*, cum per se satis vilia sint ac minime perspicua, Euripidea esse non posse. Quomodo autem poeta prologum concluserit, ne suspicari quidem licet.

12. De Helenae prologo.

Nulla est inter fabulas Euripideas, quae miris nodis eventisque ita oblectet atque attentos teneat spectantium et

---

1) An *οὐ κατάξιος* est *ὑβρίζειν*? Weilius intellegi vult *λαβεῖν*, quod grammatica vetat.

2) Duo quae postremo loco posui exempla eo magis notanda sunt, quod *λόγῳ* opponitur plurali.

3) Ex N. coniectura. Laur. habet *αὖ*.

legentium animos quam Helena. Itaque quam maxime illam ab histrionibus fuisse adamatam, i. e. interpolatam per se verisimile est, quam opinionem W. A. E. p. 241 compluribus exemplis scite probavit[1]). Prologus autem, quem Helena Protei assidens sepulcro recitat, primum illius (v. 1—15), tum suum genus et fata (v. 16—67) enarrans, cum huic interpolationum generi locum non praeberet, ditatus est nonnullis sciolorum additamentis. In eorum numerum refero insipidum v. 5

Φάρον μὲν οἰκῶν νῆσον, Αἰγύπτου δ' ἄναξ,

a Luedersio damnatum, quem qui scripsit, sine dubio grammaticus homo, abstinere non potuit, quin sapientiam suam ex Hom. δ 355 petitam Euripidi obtruderet. — Non tam facili opera sanari potest damnum, quod passus est locus de Psamathes liberis:

τίκτει δὲ τέκνα δισσὰ τοῖσδε δώμασι,
Θεοκλύμενον ἄρσεν', ὅτι δὴ θεοὺς σέβων
βίον διήνεγκ', εὐγενῆ τε παρθένον
εἶδος, τὸ μητρὸς ἀγλάϊσμ', ὅτ' ἦν βρέφος·
ἐπεὶ δ' ἐς ἥβην ἦλθεν ὡραίων γάμων
καλοῦσιν αὐτὴν Θεονόην· τὰ θεῖα γὰρ
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἠπίστατο
προγόνου λαβοῦσα Νηρέως τιμὰς πάρα.

Sic Laur. locum exhibet. Facile credo Matthiaeo restituendum esse v. 11 *Εἰδώ*, quoniam ex tota sententia satis apparet duo indicari filiae Psamathes nomina, alterum infantis, alterum adultae. Praeterea scribo pro *ὡραίων* v. 12 non cum Reiskio *ὡραίαν*, sed cum N. *ὡραία*, quod et usu scriptorum[2]) et diserto Pollucis testimonio[3]) confirmatur. Grassatum autem esse in nostro loco interpolatorem primus vidit N.,

---

1) Ipse illis addo declamationem histrionis ingenio dignissimam, v. 991—995, qui ficti sunt ex eiusdem orationis v. 947 sq., 954 sq., 959.

2) Her. I 107. 196. Xen. Cyr. IV 6, 9.

3) II 17: *ἐρεῖς δέ· παρθένος ὡραία γάμων.*

qui verba ὅτι — διήνεγκ' ut fetum aetatis Byzantinae abicienda esse censuit. At illis extrusis cetera non melius procedunt. Audias velim Musgravium, cuius adnotationem ad v. 11 nemo dignam habuit, ad quam attenderet: „Inepta sententia. Cur enim matris ornamentum, quamdiu erat infans, magis quam postea, cum aetatem maturiorem adepta est?“ Cetera mitto. Haec difficultas etiam post Matthiaei coniecturam manet neque ullo artificio removeri potest. Voluit autem is, qui hunc versum scripsit — nam Euripidem non scripsisse vix opus est dicere — hunc sententiae nostrae subesse sensum: *Εἰδὼ ὀνομασθεῖσαν, ὅτ' ἦν βρέφος*; cui nomini proprio non minus abrupte quam v. 9 addidit male expressam etymologiam: *τὸ μητρὸς ἀγλάϊσμα* sc. propter pulchritudinem (εἶδος)[1]). Vides in eadem moneta et hoc et Theoclymeni etymum esse excusum[2]). — Paullo cautius de ceteris iudicabo. Offendunt enim me v. 12 verba *ὡραία γάμων*, quae post *ἦβην* commemoratam prorsus supervacua sunt. Maxime autem vitupero, quod nomen a populo Psamathes filiae inditum (haec enim est notio pluralis *καλοῦσιν*) ei opponitur, quod infans habebat, etsi hanc *μετονομασίαν* posteriore eius aetate factam esse v. 12 declarat: miscentur certe hoc loco diversa. Ut brevis sim, sic puto scriptos esse hos versus ab Euripide:

---

1) Vocabulum *ἀγλάϊσμα* expiscatus est e v. 282.

2) Necessarium est, ut omnes etymologiae, quas apud Euripidem legimus, accurate percenseantur; neque enim dubito, quin etiam hac in re nos interdum fallat interpolatorum impudentia. Ut exemplum afferam: in Ionis fabula ter legimus *ἔτυμον* huius nominis v. 661. 802. 831. Putasne Euripidem tam stupidum fuisse, ut spectatores eiusmodi repetitiones aegre ferre non animadverteret? At v. 830. 31 non solum suspectae fidei, ut ait N., sed certissime spurios esse et verba et nexus sententiarum satis docent; neque alterum locum genuinum puto, sed delendos existumo v. 800—807, quod tamen probare longum est. Cf. velim v. 660—667, 802—807, praeterea valde corruptos et retractatos v. 1122—1131.

8 *τίκτει δὲ τέκνα δισσὰ τοῖσδε δώμασι*
9, 10 *Θεοκλύμενον ἄρσεν' εὐγενῆ τε παρθένον·*
13 *καλοῦσι δ' αὐτὴν Θεονόην· τὰ θεῖα γὰρ*
τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἐπίσταται[1])
προγόνου λαβοῦσα Νηρέως τιμὰς πάρα.

Iam recte opponit poeta nomen Theoclymeni a parentibus inditum nomini Theonoae dato a populo; appellatam autem eam esse a parentibus Idotheam, quoniam ad fabulam nihil pertinet, non dicit: tamen duo eius fuisse nomina tecte et caute significat. — V. 26

μορφῆς θέλουσαι διαπεράνασθαι κρίσιν,

qui post *κάλλους πέρι* v. 23 prorsus abundat, Herwerdenus delevit; locum e Cypriis petitum (cf. schol. Hom. *A* 5), v. 35—43, spurium esse rectissime statuit Usenerus. An quidquam cogitari potest, quod peius interrumpat fatorum Helenae narrationem, quod magis abhorreat a totius fabulae argumento, quam ista *Διὸς βουλευμάτων* expositiō? Quid vero? decetne sobrium poetam v. 49 sq. naturalem belli Troici originem enarrare, antea, v. 36 sq., quod peculiare Iuppiter consilium eo exorto ratum fecerit? Egregie autem interpolationis initium indicatur verbis *Πριάμου, τυράννου παιδί*, quae post *Ἀλεξάνδρῳ* v. 32 mirum quantum languent. Turpissimi sciolorum fetus sunt tres postremi versus, quorum primo

γνωτόν τε θείη τὸν κράτιστον Ἑλλάδος

Badhamus, alteri et tertio

Φρυγῶν δ' ἐς ἀλκὴν προὐτέθην[2]) *ἐγὼ μὲν οὔ,*
τὸ δ' ὄνομα τοὐμόν, ἄθλον Ἕλλησιν δορός

ego Useneri coniecturam nesciens obelum praefixi. De hoc

---

1) Ultro haec coniectura, quae fabulae argumento egregie probatur (cf. v. 317), se offert. Interpolatori necessarium erat imperfectum substituere.

2) Certissima haec est Musgravii emendatio.

versuum pari, etsi difficultatibus minime caret, altissimum est apud interpretes silentium. Sic vertit Fixius: „Phrygum autem in potestate (sic!) proposita fui — non ego quidem, sed nomen meum — Graecis belli praemium." At verba *ἐς ἀλκήν* non possunt significare nisi „ad pugnandum" vel „ad pugnam". Cf. v. 980: *ἦν δ' ἐς μὲν ἀλκὴν μὴ πόδ' ἀντιθῇ ποδί.* 1379: *προὔργου δ' ἐς ἀλκὴν σῶμ' ὅπλοις ἠσκήσατο.* Suppl. 679: *οἳ δ' ἔστρεφον πώλους ἐς ἀλκὴν αὖθις ὡς* (cum W.) *παραιβάτας.* Vides quam misere contorta sit haec sententia, quae nihil novi addit versibus praecedentibus; itaque deleamus. Neque neglegendum est v. 42. 43 mirum quantum consentire cum insipido v. 1100 a N. deleto; quare non temere conicias ab eodem homine utrumque locum esse profectum[1]). — Denique abiciendi sunt v. 66. 67

ὡς εἰ καθ' Ἑλλάδ' ὄνομα δυσκλεὲς φέρω,
μή μοι τὸ σῶμά γ' ἐνθάδ' αἰσχύνην ὄφλῃ,

quibus Helenae consilium, quod satis expressum erat v. 65, scholii modo explicatur. Iterum oblectavit interpolatorem *ὀνόματος* et *σώματος* rhetorica oppositio.

13. De Iphigeniae Tauricae prologo.

Huius fabulae prologus, cuius altera pars magna cum arte conscripta est, satis bene in codicibus servatur: unus enim locus, v. 15, omnibus criticorum conaminibus restitit, paucae exstant interpolationes. — Iphigenia igitur postquam v. 1—5 more Euripideo genus suum exposuit, prima enarrationis parte (v. 6—41) quomodo per Dianam e mortis periculo liberata et in Taurorum terram abducta sit, altera (v. 42—60), quid proxima nocte de Oreste fratre somniaverit, enarrat. Postquam fratrem, quem mortuum putat, libatione

1) V. 44 sic scribendus est:
λαβὼν δ' ἔ μ' Ἑρμῆς ἐν πτυχαῖσιν αἰθέρος.

honorare constituit (v. 61—66), e scaena abit. — Iam primum haereo in Calchantis verbis, quibus Agamemnoni, ut immolet Iphigeniam, imperat:

17 ὦ τῆσδ' ἀνάσσων Ἑλλάδος στρατηγίας,
Ἀγάμεμνον, οὐ μὴ ναῦς ἀφορμίσῃς[1]) χθονός,
πρὶν ἂν κόρην σὴν Ἰφιγένειαν Ἄρτεμις
20 λάβῃ σφαγεῖσαν· ὅ, τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
κάλλιστον ἡὖξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ·
παῖδ' οὖν ἐν οἴκοις σῇ Κλυταιμνήστρα δάμαρ
τίκτει· τὸ καλλιστεῖον εἰς ἔμ' ἀναφέρων·
ἣν χρή σε θῦσαι.

V. 17 omnes cum Fixio sic intellegunt: „O qui huius Graeci exercitus imperium tenes.“ At nunquam *στρατηγία* neque apud Euripidem neque apud ceteros scriptores ita usurpatur, ut „exercitum“ significet; semper est „munus imperatorium.“ Cf. Andr. 678: *τὴν δ' ἐμὴν στρατηγίαν λέγων ἔμ' ὠφελοῖς ἂν ἢ σιγῶν πλέον.* ib. 704. Si vero *στρατηγία* iusto modo usurpatum sumis, dici non potest, quantum langueant *Ἑλλάδος* et *τῆσδε.* Cum autem versus corruptelae speciem non praebeat, equidem interpolatori tribuam, qui Agamemnonis *ἀποστροφὴν* paullo ampliorem reddere voluerit, praesertim cum etiam aliis additamentis hanc Calchantis orationem ditatam esse intellexerim. Postrema enim verba eius quod viros doctos non offenderunt, satis mirandum est. Plewius quidem, qui, quantum scio, unus interpretatus est[2]), haec dicit: Agamemnonem illo anno, quo nata esset Iphigenia, vovisse Dianae se pulcherrimum eius anni partum esse sacrificaturum; postea, cum voti immemor fuisset, deam Calchantis ore sacrum poposcisse. Recte ille, quid istis verbis subesse poeta voluerit, exponit; tamen nisi adhibita divinatione ex

1) Non dubito, quin sic cum K. legendum sit pro *ἀφορμίσῃ.* Cf. *συνώνυμον* verbum *ἐξορμίζειν* Hel. 1247.

2) Preller-Plew, *Griech. Mythologie* II p. 419.

ipso loco hic sensus elici non potest. Gravissime enim ferimus, quod, quo tempore Agamemnon illud votum fecerit, omnino non dicitur; immo voce *ἐνιαυτός* nude posita facile eo adducimur, ut praesentem annum intellegendum esse putemus. Ubi autem est illud, in quo cardo totius loci vertitur: Agamemnonem per tot annos Dianae votum non solvisse? Iam vide, quam inepte et pueriliter haec sententia expressa sit: *παῖδ' οὖν ἐν οἴκοις σὴ Κλυταιμνήστρα δάμαρ τίκτει· τὸ καλλιστεῖον εἰς ἐμ' ἀναφέρων.* Quod enim horum versuum praecipuum est, Iphigeniam pulcherrimum esse, quod eo anno natum sit, non in primario, quod dicitur, enuntiato, sed in *παρενθέσει* positum est; ipsa autem haec *παρένθεσις* intellegi nequit, nisi supplebis e v. 16: *Κάλχας τοῦτο ἔλεγε*; quod quam difficile sit, quis est quem fugiat? Sed ut ad ipsum *μῦθον* veniamus, unde habet Euripides? Neque in Cypriis neque apud Aeschylum aut Sophoclem ullum eius est vestigium[1]). Cur autem in hac fabula, in qua cetera, quae ad Iphigeniae immolationem pertinent, volgarem Cypriorum narrationem secutus exposuit, hoc unum eum immutasse statuamus? Denique cur in hac fabula causa sacrificii a Diana postulati commemoratur, cum ne in Aulidensi quidem Iphigenia, quae ipsum hoc tractat argumentum, exposita sit? Satis me puto demonstrasse v. 20 usque ad 24 a voce *ὅτι* ad vocem *θῦσαι* ab Euripide non esse scriptos. Legit autem hos versus in fabula nostra Cicero, aut, ut melius dicam, is quem exscripsit, quod probat locus in libro de off. III 25, 95. Altero igitur ante Chr. n. saeculo hanc interpolationem exstitisse certissime scimus. — V. 31—33:

οὗ γῆς ἀνάσσει βαρβάροισι βάρβαρος
Θόας, ὃς ὠκὺν πόδα τιθεὶς ἴσον πτεροῖς
εἰς τοὔνομ' ἦλθε τόδε ποδωκείας χάριν

Euripidis esse non posse me monuit Usenerus. Causas

1) De causa Iphigeniae immolatae videas Soph. El. 566 sq.

huius ἀθετήσεως nunc non amplius exponam[1]); unum, quod fortasse contra dici possit, refutare studebo. Arbitrantur enim K. in apparatu critico, Meinekius frg. com. Gr. II p. 1098, W. A. E. p. 190 ludi illos versus ab Aristophane Lemn. frg. 2:

ἐνταῦθα δ' ἐτρράννευεν Ὑψιπύλης πατήρ,
Θόας, βραδύτατος ὢν ἐν ἀνθρώποις δραμεῖν.

Quae verba in prologo fabulae Aristophaneae exstitisse et ad Euripidem irridendum fictos esse mihi persuasum est; quo autem referamus, non diffieile videtur dictu. Docuit enim Euripides eodem fere tempore, quo actae sunt Aristophanis Lemniae — etsi neutrius fabulae annus certe constat — Hypsipylam, consimilis argumenti tragoediam. Quidni ad illam potius hanc parodiam pertinere statuamus? Deletis autem v. 31—33 etiam ea evanescit difficultas, quae vexabat W. A. E. p. 203. Ille enim postulat, ut secundum leges, quas Euripides de personarum nominibus sibi statuit, Thoantis nomen, antequam ipse in scaenam prodeat, pronuntietur. Quare ante v. 1152 distichon chori excidisse conicit. At Thoas usque ad v. 1285 omnino nomen non habet; nomine eius utuntur nuntius (1285) et Minerva (v. 1436. 1474), nunquam chorus et Iphigenia. — Praeter versus 59. 60 a N. damnatos unus restat locus difficillimus, v. 34—41:

ναοῖσι δ' ἐν τοῖσδ' ἱερίαν τίθησί με,
ὅθεν νόμοισι, τοῖσιν[2]) ἥδεται θεά
Ἄρτεμις ἑορτῆς, τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον,
τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, τὴν θεὸν φοβουμένη·
θύω[3]) γὰρ ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,
ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ·

---

1) Moneo lectorem causae iteratae, quem interpolatorum morem antea non semel cognovimus. — Iterum Useneri coniectura Euripides etymologia liberatur.

2) Sic Laur. et ab alt. m. Pal.; τοῖσιδ' Pal. a pr. m.

3) Sic Laur. — Pal.: θύ γαρ. Byzantinus corrector: θείον.

40 *κατάρχομαι μέν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει*
ἄρρητ' ἔσωθεν τῶνδ' ἀνακτόρων θεᾶς.

Tandem cognoverunt viri docti hos versus coniecturis sanari non posse, sed reficiendos esse cultro critico. Itaque Stedefeldtius v. 40. 41, alia via progressus Koechlyus v. 36. 38 damnavit. Sed illorum conaminibus non omnem tolli difficultatem optime cognovit Usenerus. Nam si verba *τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, τὴν θεὸν φοβουμένη* ad sacrificia ista nefanda referenda sunt, id quod dubitari non potest, sequitur, ut versus „sanissimos" 38. 39, quibus haec aperte pronuntiantur, deleamus[1]). In versibus autem 35. 36 insana sunt verba *ὅθεν, θεά* (aut *Ἄρτεμις*), *ἑορτῆς, τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον*, quamobrem hi quoque interpolatori tribuendi sunt. Sic igitur Usenerus egregie locum restituit:

34 *ναοῖσι δ' ἐν τοῖσδ' ἱερίαν τίθησί με,*
37 *τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, τὴν θεὸν φοβουμένη.*

Iam bene sequitur v. 42:

ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα
λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος.

14. De Phoenissarum prologo.

Phoenissarum prologum eum esse, in quo Euripides res narrandas quam longissime repetat, negari non potest. Quod alii poetae vitio verterunt, alii ita studuerunt explicare, ut poetam duas priores fabulas Oedipodiae Aeschyleae, Laium et Oedipum, prologo complecti voluisse dicerent[2]). Neutrum mihi verum videtur. Error autem inde natus est, quod illi Phoenissas Euripideam et Septem Aeschyleam eandem fabulam esse censuerunt. Sed, ut unum illud moneam quo ad prologum pertinet, in Phoenissis Euripides Oedipo maximeque

1) Postmodo alia eiusdem generis interpolationum exempla in lucem proferam.

2) Cf. Commerum l. l. p. 52 sq.

Iocastae graves partes tribuit; quin etiam Iocastae non minus quam Eteoclis et Polynicis tragicam mortem videmus; neutra persona in Aeschyli fabula Thebana apparet. Iam cum Euripides in prologis spectatores de earum personarum fatis quae graviores partes agunt certiores facere soleat[1]), hoc in prologo non solum de Eteocle et Polynice, sed etiam de Oedipo et Iocasta disseruit. Quod qui melius et clarius fieri potuerit, quam ut Iocasta *προλογίζουσα* omnem Oedipi et filiorum eius historiam usque ad ipsius tragoediae initium ordine enarret (v. 10—83), ego non video. Itaque in nostro prologo Euripides idem fecit, quod in ceteris; hoc unum concedendum est singula paullo brevius enarrari potuisse. Praemissum autem est narrationi exordium de Oedipi maioribus (v. 1—9), subiectae sunt Iocastae preces pro liberorum salute (v. 84—87). — Paucis adspersus est prologus noster interpolationibus; quae omnes hanc ob causam intrusae sunt, ut quae omisisse videbatur poeta vel non satis aperte expressisse, plane pleneque dicerentur. Veluti v. 27 addidit interpolator, quod nomen Oedipi, v. 51, quod regnum eius, v. 60, quod subiectum desiderabat; hos explosit Valckenaerius. Similis est v. 11 condicio a Dindorfio damnati: vocabulum *μιᾶς* absurde usurpatum et verba Eteoclis v. 691

Κρέοντ', ἀδελφὸν μητρὸς Ἰοκάστης ἐμῆς,

quo loco Creon primum commemoratur, suppositum esse prologi versum clamant. — Sed duobus locis, quibus Valckenaerius haesit, puto etiam alios versus una esse abiciendos. Ac primum quidem damno v. 26

σφυρῶν σιδηρᾶ κέντρα διαπείρας μέσων[2])

propter verbum *διαπείρειν*, quod apud posteriores demum scriptores (Plut. Artax. 14. Alciphr. IV 36 etc.) legitur. Sed

---

1) Cf. prologos Hippolyti, Herculis, Hecubae, Ionis.

2) Sic scribo pro *μέσον*, quod praeter cod. Marc. omnes exhibent. In Marc. postrema syllaba evanuit.

haec causa me non commoveret, nisi aliud accederet: ipsum verbum *πείρειν* apud epicos poetas inde ab Homero usque ad Nonnum semper floruit, apud tragicos nusquam apparet. Hoc quoque monere iuvat constructionem illius verbi, qualem v. 26 exhibet, tolerabilem quidem esse, minime legitimam et usitatam. — Quid de v. 52

καὶ σκῆπτρ' ἔπαθλα τῆσδε λαμβάνει χθονός

statuendum sit, docet scholiasta: *παρ' οὐδενὶ κεῖται τὸ ἔπαθλα ἢ μόνῳ τῷ Εὐριπίδῃ· ὅθεν μεταγράφουσί τινες· [καὶ σκῆπτρα χώρας ἆθλα τῆσδε λαμβάνει]*[1]*). τὸ δὲ ἑξῆς· καὶ σκῆπτρα χώρας τῆσδε ὡς ἆθλα λαμβάνει.* Vides veteres grammaticos propter vocabulum *ἔπαθλα* versum mutasse, ego ob eandem causam cum Bergkio damno. Quo autem istud vocabulum, quod apud posteriores scriptores veluti Plutarchum legimus, pertineat docet Poll. III 143: *καὶ τὰ μὲν ὀνομαζόμενα ὑπὸ τῶν πολλῶν ἔπαθλα ἆθλα καλοῖτ' ἂν κοινῶς ἐπ' ἀμφοῖν καὶ νικητήρια καὶ ἐπίχειρα καὶ γέρα.* De argumento huius versus hoc addendum est non regnum, sed reginae matrimonium v. 47—49 a Creonte praemium proponi. — Praeterea *ἀποστροφῇ*, qua Iocasta Iovis auxilium implorat, assutus est pannus turpissimus:

86 *χρὴ δ', εἰ σοφὸς πέφυκας, οὐκ ἐᾶν βροτὸν*
τὸν αὐτὸν ἀεὶ δυστυχῆ καθεστάναι,

abiectus ab Usenero. Decetne Iocastam post preces sollemnes versuum 84. 85 tam indecenter Iovem alloqui? — Sed unus prologi nostri locus, quem consulto reposui, maiore damno affectus est, versus dico 21—23:

ὃ δ' ἡδονῇ δοὺς εἷς τε βακχεῖον πεσὼν
ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα, καὶ σπείρας βρέφος
γνοὺς τἀμπλάκημα τοῦ θεοῦ τε τὴν φάτιν κτλ.

Videtur unum vitiorum animadvertisse Thomas Magister, qui ad v. 21 haec adnotat: *βακχεῖον· μέθην, ἐρωτομανίαν. λέγεται*

---

1) Quae uncis inclusi, bene supplevit Hermannus.

βακχεῖον καὶ ὁ Διονύσου ναὸς καὶ τὸ μαντικόν, ὡς τὸ „βακχεῖον κάρα". Hae sunt iustae huius vocabuli notiones; „furorem bacchicum", nedum „ebrietatem" nusquam significat. Neque potest apud probos scriptores διδόναι pro αὐτὸν διδόναι vel ἐνδιδόναι usurpari: saepissime sic loquitur Philostratus[1]) aliique postremae aetatis auctores. Versui 22 prorsus idem naevus inhaeret, qui Ionis v. 16; praeterea absurda sunt verba τοῦ θεοῦ τε τὴν φάτιν, quoniam Laius etiam ante concubitum Apollinis oraculum probe novit. Apparet igitur non uno vestigio versus Euripideos, qui olim hunc locum obtinebant, posteriore tempore retractatos et interpolatos esse. Genuina autem aliqua cum probabilitate restituere neque mihi contigit neque cuiquam fore ut contingat puto.

15. De Orestis prologo.

Etsi Orestis fabula non actiones complectitur tam diversas quam Hecuba, tamen argumentum eius duo capita habere recte perspexit Hermannus praef. Or. p. VI. An non existumas satis futurum fuisse hoc argumentum ad fabulam instituendam: Orestes et Electra propter necem maternam capitis damnantur; iam in eo sunt, ut supplicium subeant, cum per Menelaum subito advenientem liberantur. At voluit Euripides fabulae argumentum augere; itaque facit Menelaum advenientem, antequam Orestes et Electra damnentur: illi ab eo auxilium petunt; iam Menelaus praestare paratus est, cum [Tyndarei verbis motus] consilium suum mutat. Damnantur matricidae; sed ut ulciscantur Menelaum, Helenam [et Hermionam] interficere constituunt. Apollo autem insidias eorum irritas facit. Ex hac argumenti enarratione intellegis quam plurima voluisse Euripidem in hanc unam fabulam congerere. Sed ne hoc auctum quidem argumentum ei satisfecit; unum

1) Vide exempla quae congessit Olearius: Vit. Apoll. I 7 (p. 8). 9 (p. 11). 17 (p. 21). II 9 (p. 57). 29 (p. 81). V 4 (p. 190). Vit. soph. I 12 (p. 496). 20 (p. 512).

commemoro: quattuor eum personas prorsus supervacuas induxisse, Tyndareum, Pyladem, Hermionam, Phrygem[1]). Haec igitur fabula fusa est neque ad artis leges elaborata: idem dici potest de prologo. Incipit enim Electra Orestis lecto assidens a sententia satis vili et decantata: nullum esse malum, quod non patiantur homines. Quam ut probet, exemplo utitur auctoris generis sui, Tantali, a quo per atavos et avos suam et Orestis originem deducit (v. 1—27). Sed in hac ipsa prologi parte sunt quae silentio praeterire non possim. Haeserunt enim viri docti in verbis v. 4 *κοὐκ ὀνειδίζω τύχας*. Quam protulit Hermannus interpretationem „non ei exprobro fortunam" et a sensu et a verbis repudiari existumo; necessarium enim erat, si haec dicere voluisset poeta, ut adderet *αὐτῷ*. Weilii autem interpretatio „*Électre déclare qu'elle ne parle point ainsi par sarcasme*" a notione verbi *ὀνειδίζειν* abhorret. Pauci sane loci sunt, quibus verbum *ὀνειδίζειν* coniungitur cum accusativo rei omisso dativo personae; ibi notionem habet „turpe vel malum aliquid dicere". Praeter hunc nostrum apud Euripidem tres inveni. Primus legitur v. 85. Rogavit Electram Helena quid et illa et frater ageret. Iam respondet Electra:

ἐγὼ μὲν ἄϋπνος πάρεδρος ἀθλίῳ νεκρῷ,
νεκρὸς γὰρ οὗτος οὕνεκα σμικρᾶς πνοῆς,
θάσσω· τὰ τούτου δ' οὐκ ὀνειδίζω κακά.

i. e. huius (Orestis) autem mala non commemoro[2]). Necessario sequitur, ut versus duos insequentes 86. 87, qui ad responsum nihil pertinent, deleamus. Misera sunt interpolatio hominis, qui, cum verba *τὰ τούτου δ' οὐκ ὀνειδίζω κακά* per parenthesin dicta existumaverit, ad verba *ἐγὼ μὲν κτλ.* sententiam a verbis *σὺ δέ* incipientem addiderit. Alter locus

---

1) Haec causa fuit, cur supra Tyndarei et Hermionae nomina uncis includerem.

2) Recte schol.: *σιωπῶ τὰ κακὰ τούτου.*

est Tr. 430. Audivit Casandra Talthybium dicentem Hecubam, matrem suam, fore Ulixis servam. Iam ipsa:

427 σὺ τὴν ἐμὴν φῂς μητέρ' εἰς Ὀδυσσέως
ἥξειν μέλαθρα; ποῦ δ' Ἀπόλλωνος λόγοι,
οἵ φασιν αὐτὴν εἰς ἔμ' ἡρμηνευμένοι
αὐτοῦ θανεῖσθαι; τἄλλα δ' οὐκ ὀνειδιῶ.

i. e. cetera autem (mala) non commemorabo. At quaenam sunt τἄλλα (κακά)? Unum poteris invenire, Hecubam in canis figuram mutatum iri (cf. schol.). Quis praeterea Graecus vocabula ita collocavit, ut collocata habes v. 429? Quis dixit ἑρμηνεύειν εἴς τινα? Vide quod mihi Euripidem scripsisse persuasum est:

429 οἵ φασιν αὐτήν — τἄλλα δ' οὐκ ὀνειδιῶ.

Tertium exemplum praebet verbum ἐξονειδίζειν Phoen. 1676:

εἶδες τὸ τόλμημ' οἷον ἐξωνείδισεν;

Prologi igitur versui hic sensus est: „non pronuntio ominosum vocabulum τύχαι“ [1]), i. e. ut recte interpretatur scholiasta: μακάριον γὰρ αὐτὸν καλῶ καὶ οὐ δυστυχῆ. —

Sed etiam interpolationes inhaerent huic primae prologi parti. Inspicias velim v. 11 sq.:

οὗτος φυτεύει Πέλοπα, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ,
ᾧ στέμματα ξήνασ' ἐπέκλωσεν θεὰ
ἔριν Θυέστῃ πόλεμον ὄντι συγγόνῳ
θέσθαι· τί τἄρρητ' ἀναμετρήσασθαί με δεῖ;
15 ἔδαισε δ' οὖν νιν τέκν' ἀποκτείνας Ἀτρεύς·
Ἀτρέως δέ — τὰς γὰρ ἐν μέσῳ σιγῶ τύχας —
ὁ κλεινὸς, εἰ δὴ κλεινὸς Ἀγαμέμνων ἔφυ
Μενέλεώς τε Κρήσσης μητρὸς Ἀερόπης ἄπο.

Quaenam sunt αἱ ἐν μέσῳ τύχαι, quae v. 16 commemorantur? Respondet scholion aliquod deterioris notae: ἐν μέσῳ τύχας

1) τύχαι vocabulum in malam partem accipi docet huius fabulae v. 16. Andr. 893. Herc. 1396. Suppl. 226. Tr. 104. 1201 multique alii loci.

λέγει τὴν μίξιν τοῦ Θυέστου τὴν μετὰ τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς Πελοπείας, ἀφ' ἧς ἔτεκε τὸν Αἴγισθον, τὸν μοιχὸν τῆς Κλυταιμνήστρας. Ecce quaesitam scholiastae *ἀπορούντος* interpretationem! Mihi autem persuasum est significari v. 16 inimicitias inter Atreum et Thyestem fratrem exortas, quae versibus antecedentibus 12—15 describuntur: sequitur, ut hos versus deleamus. Accedunt aliae causae quae *ἀθέτησιν* suadent. Est enim mos Euripidis naturae rerum consentaneus, ut, ubi in prologis genus personae ab avis repetit, maiores quam celerrime percurrat. Vide Iph. Taur. in. Aeol. frg. 14: *Ἕλλην γὰρ, ὡς λέγουσι, γίγνεται Διός, τοῦ δ' Αἴολος παῖς, Αἰόλου δὲ Σίσυφος Ἀθάμας τε.* Cf. praeterea Heracl. 207 sq. et parodiam Aristophaneam Acharn. 47 sq. Qui vero existumat hos versus bene scriptos et Euripide dignos esse, quid Graecum sit, nescit. Iuvat singula percensere. Verba *ᾧ στέμματα ξήνασα* Weilius sic explicat: „*en filant la trame de sa vie*“. At qui potest unquam *στέμμα* idem esse quod „filum“? Id potius semper significat, quod circum aliquid nectitur. Melius certe interpretatus erat hoc vocabulum scholiasta: *τὸν τῆς ἀρχῆς στέφανον.* At haec notio et Euripideae aetati et multis post eum saeculis ignota erat; multum apud Byzantinos *στέμμα βασιλέως* commemoratur[1]). Euripides autem non novit nisi has notiones[2]): 1) vinculum alicui rei circumdatum (Ion. 224. 1338. 1389); 2) coronas supplicum (Suppl. 36. 470. Andr. 894); 3) coronas sacerdotum deumque ministrorum (Ion. 522. Bacch. 350. Arist. Plut. 39[3]). Iure autem vituperavit Hartungus editores, quod *θεά* Clotho esse illis videretur: neque enim nosse Euripidem Parcas fila deducentes. Quantum vero equidem ex locis collatis cognovi, Parcae apud Euripidem aut ad partum aut ad mortem pertinent; cf. Iph. Taur. 206 sq.: *λόχιαι* (Herm.) *στερρὰν*

1) Cf. Codinum de off. pal. p. 50, 8 Bekk.

2) Semper plurali numero utitur.

3) Locus secundum schol. ex Euripide petitus.

παιδείαν Μοῖραι συντείνουσι θεαί. Bacch. 99 sq.: ἔτεκεν δ' ἀνίκα Μοῖραι τέλεσαν ταυροκέρων θεόν. Alc. 11 sq.: ὃν θανεῖν ἐρρυσάμην Μοίρας δολώσας (cf. v. 33). Paullulum tantum differt Heracl. 898 sq.: πολλὰ γὰρ τίκτει Μοῖρα τελεσσιδώτειρα. Videntur etiam duae Parcae quarum altera dextra, altera sinistra Iovi assideat intellegi Pel. frg. 623: κλύετ' ὦ Μοῖραι, Διὸς αἵτε παρὰ θρόνον ἀγχοτάτω θεῶν ἕζόμεναι. Neque nostro loco tolerari potest ἔριν πόλεμον θέσθαι. Quod vitium veteres grammatici coniectura removere studuerunt; legimus enim in scholiis: γράφεται δὲ καὶ Ἔρις, ἵν' ᾖ· ἡ θεὰ Ἔρις τὸν πόλεμον ἐπέκλωσε Θυέστῃ καὶ Ἀτρεῖ. Tamen repudianda nobis est haec lectio, quod Discordia fila deducens Homeri auctoritate, qui omnes deos ἐπικλώθοντας facit, defendi non potest. Interpolator autem quamquam modo dixit: τί τἄρρητ' ἀναμετρήσασθαί με δεῖ; tamen, ut est loquacissimus, abstinere nòn potest, quin statim pronuntiet. At quomodo pronuntiavit! Voluit enim v. 15 significare: „Atreus Thyesti carnem liberorum illius, quos interfecerat, apposuit;“ re vera autem significat: „Atreus Thyesti cenam apposuit, postquam liberos (cuiusnam?) interfecit.“ Quomodo autem hoc latere potuerit Weilium, cum Aesch. Ag. 1593 (1561 Herm.) afferret, non satis possum mirari. Vides igitur locum non minus barbarum quam v. 51, quem a N. E. St. I p. 28 obelo notatum esse magnopere gaudemus[1]). Sed deletis versibus 12—15 necessarium est, ut pro ἔφυ v. 17, quod interpolator e v. 11 assumpsit, aliud vocabulum

---

1) Suspecti sunt non pauci versus, qui particula ἤ novam sententiam praecedenti annectunt (vide W. A. E. p. 205 sq.); spurii sunt omnes, in quibus particularum coniunctio ἤ καί apparet, quam Euripides prorsus ignorat. Nondum deletum video Iph. T. 680

ἦ καὶ φονεύσας ἐπὶ νοσοῦσι δώμασι,

qui cum praecedenti

προδούς σε σώζεσθ' αὐτὸς εἰς οἴκους μόνος

abiciendus est.

substituamus; certum mihi est scripsisse Euripidem ἄναξ. — V. 21

ἐπίσημον εἰς Ἕλληνας Ἀγαμέμνων ἄναξ,

in quo εἰς Ἕλληνας falsissimum est, recte delevit Usenerus. Fictus videtur e v. 249. 50

ἐπίσημον ἔτεκε Τυνδάρεως εἰς τὸν ψόγον
γένος θυγατέρων δυσκλεές τ' ἀν' Ἑλλάδα[1]).

Etiam in fine exordii haereo, quo Electra sic loquitur de causa necis Agamemnonis:

ὧν δ' ἕκατι παρθένῳ λέγειν
οὐ καλόν· ἐῶ τοῦτ' ἀσαφὲς ἐν κοινῷ σκοπεῖν.

Postrema verba vix possunt intellegi neque ullus interpres recte et accurate explicavit. Σκοπεῖν enim infinitivus epexegeticus est adiectivi ἀσαφές, cui additur ἐν κοινῷ i. e. in publico. Hoc igitur dicit Electra se in publico causam necis Agamemnonis non pronuntiaturam. Vides quam mala et languida sit ista sententia, maxime verbum σκοπεῖν. Itaque ego ab interpolatore dilatatam puto sententiam Euripidis, qui haec fere scripsit:

ὧν δ' ἕκατί μ' οὐ καλὸν [πρέπει] λέγειν.

Sequitur ea prologi pars, quae fundamento est toti fabulae (v. 28—66): edocentur spectatores de caede Clytaemnestrae, de insania Orestis, de iudicio Argivorum, de adventu Menelai. Cum autem Euripides Helenam quoque et Hermionam in scaenam statim producturus sit, etiam hoc exponitur, qui fiat ut illae mulieres in domo Agamemnonis ver-

1) Videtur mihi ille versus postremae aetatis esse, quae εἰς et ἐν susque deque habebat. Novi unum praeterea locum eadem macula adspersum, Heracl. 147. Hartungus, qui unus vitium animadvertit, scripsit ἐν σοί. Sed locum emendare equidem propensus non sum, praesertim cum certa interpolationis vestigia accedant: versus una cum aliis huius loci spurius est. Tamen fines interpolationis nunc non statuo; monuisse satis est.

sentur. In fine Electra ut domum suam veniat Menelaus exoptat (v. 67—70). — Paucis iisque iam sublatis additamentis hae prologi partes maculatae sunt. Nam v. 33

Πυλάδης θ' ὃς ἡμῖν συγκατείργασται τάδε,

apertissimi interpolationum generis exemplum, deletus est ab Herwerdeno [1]), v. 38

Εὐμενίδας, αἳ τόνδ' ἐξαμιλλῶνται φόβῳ,

quo quae non dicenda erant dicuntur, a N. E. St. I p. 28. Neque audio Weilium, qui *Εὐμενίδας* ut glossam extrudendum putat: quae secuntur verba id iterant peiore modo quod unusquisque cum voce *θεάς* coniungit: *μανίαις νιν*

---

1) Tamen etiam nunc haud pauci simillimi versus, qui praecedentibus particula *τε* misere assuti sunt, ut genuini leguntur. Quattuor una opera extrudam.

Or. 126 *ὦ φύσις, ἐν ἀνθρώποισιν ὡς μέγ' εἶ κακόν.*

Contra loci ingenium addidit interpolator, qui *φύσιν* etiam bonam esse posse sciebat:

σωτήριόν τε τοῖς καλῶς κεκτημένοις.

Heracl. 236 *τρισσαί μ' ἀναγκάζουσι συννοίας* (cum Schmidtio) *ὁδοί,*
Ἰόλαε, τοὺς σοὺς μὴ παρώσασθαι λόγους·
τὸ μὲν μέγιστον Ζεύς . . . . . .
τὸ συγγενές τε καὶ τὸ προὐφείλειν καλῶς
πράσσειν παρ' ἡμῶν τούσδε πατρῴαν χάριν.

Quartam causam adiecit interpolator:

τό τ' αἰσχρὸν, οὗπερ δεῖ μάλιστα φροντίσαι.

ibid. 297 *οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας*
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι.

Audias interpolatorem:

γαμεῖν τ' ἀπ' ἐσθλῶν (!)· *ὃς δὲ νικηθεὶς πόθῳ*
κακοῖς ἐκοινώνησεν, οὐκ ἐπαινέσω
τέκνοις ὄνειδος οὔνεχ' ἡδονῆς λιπεῖν.

ibid. 630 *ὦ τέκνα, χαίρετ'· Ἰόλεως δὲ ποῦ γέρων;*

Interpolator:

μήτηρ τε πατρὸς τῆσδ' ἕδρας ἀποστατεῖ;

Numerus facile augeri potest.

τροχηλατούσας. N. autem hac in re videtur errasse, quod v. 34 G. Hermanni coniecturam δέμας pro tradito νοσεῖ scribentis respuit et v. 35 τ' post πεσών inseruit; nam quod putat duo illa participia ἀσυνδέτως poni non posse falsum est (cf. Suppl. 20 sq. 355 sq. 728 sq. etc.), praesertim cum πεσὼν κεῖται paene in unum vocabulum coalescant (cf. Or. 366). Sic autem orta est corruptela, ut, cum ὅδε in ὁ δὲ abiisset, verbum finitum in priorem partem sententiae intruderetur.

16. De Baccharum prologo.

Baccharum prologus sicuti Ionis tam male vexatus est ab interpolatoribus, ut quid in eo genuinum, quid spurium sit, vix possis dignoscere; itaque Bernhardyus *Griech. Litt.* II³ 2 p. 482 totum Euripidi abiudicat. Quoniam autem et ratio huius prologi cum ceteris bene conspirat nonnullaque in eo iusunt, quae ita Euripidem sapiant, ut quin ab eo profecta sint nemo possit dubitare, operam non perdemus, si etiam hunc prologum, quantum quidem fieri potest, ad genuinam formam reducere conabimur. Inveni autem in thematis controversis dissertationi Chr. Baieri[1]) adiunctis hanc de prologo nostro sententiam: „Euripidis Baccharum qui in libris hodie legitur prologus, eius non sunt genuini nisi hi versus: 1—13. 20. 26—27. 32. 34—38. 43—49. 55—63." Tamen, quoniam haec res quam maxime ad me pertinet, ipse iterum totum prologum inde ab initio tractabo; quid illi auctori reddendum sit, statim apparebit. Sic autem divisa est Liberi patris oratio, ut in exordio (v. 1—12) de genere suo et loco actionis, tum (v. 13—54) de causis, quibus commotus Thebas advenerit, i. e. de Cadmi filiarum et de Penthei improbitate disserat. Postremis prologi versibus (55—63), de quibus postea amplius disputaturus sum, chorum Baccharum alloquitur. — Nullam omnino offensionis causam praebent

1) Animadversiones in poetas trag. Gr. Diss. Bonn. Cassellis 1874.

quinque primi versus: immo singula fere vocabula *τὸν Εὐριπίδειον* produnt *χαρακτῆρα*. Eo magis suspecti sunt v. 6—9, quibus Bacchus nomine, genere, loco actionis exposito quid in scaena videant spectatores indicat:

ὁρῶ δὲ μητρὸς μνῆμα τῆς κεραυνίας
τόδ' ἐγγὺς οἴκων καὶ δόμων ἐρείπια,
τυφόμενα Διὸς πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα,
ἀθάνατον Ἥρας μητέρ' εἰς ἐμὴν ὕβριν.

Sic illi versus inde a Barnesio in editionibus leguntur. Itaque si hunc locum sequimur, conspiciuntur in scaena et sepulcrum Semeles et domus eius ruinae fumantes. Id ipsum hanc ob causam moneo, quod Wecklinins praef. Bacch. p. 14 *μνῆμα* et *ἐρείπια* idem esse videtur existumare; sic enim dicit: „*Neben dem Palaste, wahrscheinlich auf der rechten Periakte, ist das Blitzmal der Semele angebracht, rauchende Trümmer, welche umfriedigt und von einem Weinstocke umrankt sind.*“ Hoc est oblitterare difficultates, non solvere. V. 8 praebent codices post vocabulum *Διὸς* particulam *τε*; deleta est a Barnesio ad metrum restituendum. Sed ne sic quidem versus sanus est. Nego enim omnino coniungi posse *τύφεσθαι φλόγα*. Nam illud ad ignem pertinet gliscentem multumque fumum procreantem, hoc ad flammam ad caelum ascendentem[1]). Quod sine dubio animadvertit is qui particulam *τὲ* inseruit. Falsus est praeterea versus insequens; nam sepulcrum et ruinae domus Semeles non sunt *ὕβρις Ἥρας*, sed signa *ὕβρεως Ἥρας*. Hoc si legeremus, bene positum esset adiectivum *ἀθάνατος*; nunc in sententiam non quadrat[2]). Sed iam videamus, quomodo cum iis quae his versibus exponuntur ceterae fabulae partes conveniant. Ac primum quidem de ruinis domus Semeles praeter hunc locum nihil audimus: semper *σηκός* vel *τάφος* commemoratur (11. 597. 623). In ipso

1) Cf. Eur. Cycl. 655. Hec. 478. Metaphorice Plut. Sull. 6.
2) Cf. similem locum Hel. 987.

autem sepulcro Semeles flamma a Baccho postea non excitatur, quod prologi loco adductus credas, sed incenditur (ἅπτεται 594 sq. 624)[1]). Itaque mihi quidem Euripides de fumantibus aedium ruinis nihil videtur dixisse neque voluisse, ut spectatores in scaena conspicerent; σηκός Semeles illi sufficiebat; posteriorum autem temporum histriones et scaenicum apparatum auxere et eos quos dixi versus addidere. — Secuntur tres versus integri 10—12, quibus quae ad scaenam describendam necessaria sunt satis exponuntur: nam ne hoc quidem neglegendum est, quod, si tenemus v. 6—9, bis deinceps spectatorum oculi in sepulcrum Semeles convertuntur, v. 5. 6 μητρὸς μνῆμα τῆς κεραυνίας τόδε (cui satis putide additur ἐγγὺς οἴκων), v. 10 πέδον τόδε. Sed novae oriuntur difficultates inde a v. 13, quo loco quid sit reprehendendum optime exposuit Usenerus Mus. Rh. XXIII p. 158 sq. Idem duas nostro loco exstare eiusdem sententiae formas probavit et Euripidis esse v. 13. 20. 26 sq., interpolatoris v. 14—19. 21—25 docuit. Cum autem novissimum Bacchārum editorem, Wecklinium, hanc perturbati loci medelam respuere et ad Piersoni coniecturam, qui v. 20 post v. 22 posuit, confugere videam, Useneri inventum, quod unum rectum habeo, novis argumentis probare studebo. Ad v. 13 haec adnotat Wecklinius: *„Mit λιπών wird gewöhnlich der Ausgangspunkt bezeichnet. Dionysos kam von Lydien und Phrygien, wo er erzogen war, her.“* Rectissime haec sibi ipse refragans monet; persona enim προλογίζουσα isto vocabulo, unde in scaenam veniat, spectatoribus nuntiat. Cf. Hec. et Tr. in. Bacchum autem cum Maenadum choro, cuius quasi

---

1) Quae leguntur v. 597. 98 ἄν ποτε κεραυνόβολος ἔλιπε φλόγα Διὸς βροντᾶς interpretes ita explicant, ut ad ignem vivum in sepulcro Semeles pertineant. Sed apertissime versus corrupti sunt sedemque vitii vocabulum ἔλιπε esse bene Reiskius cognovit. Utinam W. promissum, quod de hoc cantico male tractato dedit A. E. p. 208, solvat!

choragus in nostra fabula est, statim ex Lydia Thebas venire docent loci ab Usenero allati v. 226 sq. (233 sq. N.), 55[1]), 64 sq.[2]), quibus addo v. 84 sq.: *Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ Διόννσον κατάγουσαι Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλλάδος εἰς εὐρυχόρους ἀγυιάς*. Unum tamen locum sibi videtur Wecklinius invenisse, qui irritam faciat Useneri sententiam, v. 481. 82:

ΠΕ. ἦλθες δὲ πρῶτα δεῦρ' ἄγων τὸν δαίμονα;
ΔΙ. πᾶς ἀναχορεύει βαρβάρων τάδ' ὄργια.

At minime ex eo sequitur, quod vult Wecklinius, ut Bacchus ad multas barbarorum gentes profectus sit; immo hoc rogat Pentheus: „Primumne ad nos hunc deum inducis?" cui recte respondet Bacchus: „Omnes barbari haec sacra colunt." Ἦλθες autem dictum est v. 481, quia itinere opus erat, ut e Lydis ad Graecos perveniret Bacchus; ad cultum Liberi inter barbaros ipsos divulgandum itinere opus non erat, quippe cum in barbaris versaretur. Tamen hunc locum fontem et originem interpolationis prologo insertae esse pro certo habeo. Nam cum v. 482 legeretur πᾶς βαρβάρων, necessarium videbatur singulas barbarorum gentes enumerare; adiuvabatque illam interpolationem nota de Bacchi per Asiam itinere fabula, quam Alexandri Magni expeditionibus ortam et pervulgatam esse constat[3]). Neque desunt interpolationis indicia, si ad sermonem eorum quos delevit Usenerus versuum spectas: quae tamen cum ex vetustissimis sit hoc additamentum, satis levia sunt. Nimis enim prosam

---

1) De hoc loco vide quae infra dicturus sum.

2) Cum hoc loco ad sententiam meam defendendam apte potest comparari Phoen. et Iph. Aul. parodus.

3) Unum testimonium non possum silentio praeterire. Arrianus Anab. VI 28 pompam Bacchicam Alexandri describens haec dicit: *καὶ ταῦτα πρὸς μίμησιν τῆς Διονύσου βακχείας ἀπεικάσθη Ἀλεξάνδρῳ, ὅτι καὶ ὑπὲρ ἐκείνου λόγος ἐλέγετο καταστρεψάμενον Ἰνδοὺς Διόνυσον οὕτω τὴν πολλὴν τῆς Ἀσίας ἐπελθεῖν*. Cf. Kamp, De Ptolemaei Philadelphi pompa Bacchica, Bonnae 1864 p. 14 sq.

orationem sapit *πλήρεις ἔχουσα* v. 19; *καλλιπύργωτος* non est vocabulum Euripideae aetatis, quae *καλλίπυργος* (Eur. Bacch. 1202. Suppl. 618. Arist. Nub. 1024), *καλλίπεπλος* (Tr. 338), *καλλίτοξος* (Phoen. 1162), similia dicere solebat; persona omissa offendit in verbis v. 24 sq.: *νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα*; minimeque defenditur usus transitivus verbi *ἀνολολύζειν* iis exemplis quae Wecklinius attulit[1]). Neque vero possum illum non vituperare, quod Chr. pat. v. 1595 motus v. 20 pro tradito *πόλιν* scripsit *χθόνα*; quidni ceteras quoque huius loci mutationes, quas versificator iste, cuius nulla fere auctoritas est, sibi permisit, in Euripidem intulit? Quantopere autem frigeat cum v. 20, si eum Wecklinium secuti ante v. 23 ad verbum fere parem ponimus, tum adverbium *πρῶτον*, postquam tot Bacchi itinera enarrata sunt, vix est quod moneam. Quamobrem si et fabulam ipsam et editorum conamina excutis, nulla facilior, nulla verior apparet loci huius medela, quam ea qua utitur Usenerus. — Iam secuntur genuini v. 26. 27, quibus addere non dubito v. 28. 29; neque enim ullam video causam, cur cum Baiero abiciamus. At summo iure ille delevit v. 30. 31, qui damnantur puerili constructione *ὧν οὕνεκα — ὅτι γάμους ἐψεύσατο* et verbo *ἐξεκαυχῶντο* a tragicorum dictione prorsus alieno; neque gloriandi, sed dicendi verbo opus erat. Addo, quod v. 31 dimidius repetitur v. 245[2]). — Sequitur poena sororum Semeles et mulierum Thebanarum septem ver-

---

1) Passiva sunt omnia. Addat fortasse aliquis Heracl. v. 401 *δυηπολεῖται δ' ἄστυ μάντεων ὕπο* hac quidem de causa non vituperandum. Tamen sicuti insequens a Dindorfio damnatus mea quidem sententia spurius est; idem repetit, quod duobus praecedentibus versibus dictum est.

2) Recte etiam hunc locum Wecklinius uncis inclusit. Multo autem plura in illam orationem misere ab interpolatoribus intrusa sunt. Nonne mirum est, quod etiam nunc Euripidei habentur v. 229. 230?

sibus in codicibus nostris descripta; tamen haud pauca insunt menda quae omnem medelam respuant. Quid enim sibi vult *μανίαις* initio v. 33 miro modo claudicans? Quis putet Euripidem dixisse mulieres *ὄρος οἰκεῖν*? Absurda autem *ταὐτολογία* inest in verbis *πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα Καδμείων ὅσαι γυναῖκες ἦσαν*, quam nullum exemplum potest tutari[1]). Adde inauditam vocabuli *ἐκμαίνειν* notionem, quod alias idem est atque *μαίνειν* maiore vi pronuntiatum. Praeterea valde vituperandus est propter *ἀσύνδετον* versus 38, quem Wecklinius sibi visus est sanare addita particula *τε*. At qui possunt Bacchae sub rupibus *ἀνορόφοις* sedere? Fortasse autem voluit *ἀνορόφοις πέτραις* idem esse quod *ἐν ἀνορόφοις πέτραις*; quod si est, cur non suam fecit Elmsleii coniecturam: *ἀνορόφους ἦνται πέτρας*? Sed si illam probamus, nova oritur quaestio, cur poeta adiectivum *ἀνόροφος* addiderit. Ut brevis sim, nulla omnino cogitari potest huius versiculi forma, in qua vocabulum *ἀνόροφος* nusquam alibi lectum[2]) non quodammodo offendat. Praeterea de rupibus, in quibus Bacchae sedent, nihil postea audimus, nisi forte quispiam volet afferre v. 1097. Quamobrem recte Baierus v. 33, Usenerus versibus 36—38 obelum praefixit; idem ad sententiam explendam v. 35 pro *ὅσαι* bene scripsit *ὁμοῦ* adscitum e v. 37. Deleto autem v. 33 hoc quoque lucramur, quod artius inter se coniunguntur v. 32 et 35, quos coniun-

---

1) V. 694, quem affert Wecklinius, aut spurius est — quod mihi verisimillimum videtur, quoniam nullam desideramus aetatum distinctionem — aut ita scribendus, ut olim coniecit Usenerus: *νέαι παλαιαὶ σύζυγοί τε κἄζυγες* (Mus. Rh. XXIII p. 160). — Simillima nostri loci *ταὐτολογία* exstat Or. 365:

ἐκ δὲ κυμάτων
ὁ ναυτίλοισι μάντις ἐξήγγειλέ μοι
Νηρέως προφήτης Γλαῦκος ἀψευδὴς θεός·
[ὅς μοι τόδ' εἶπεν ἐμφανῶς καταστάθείς]

Versus absurdus, sed a nullo viro docto seclusus.

2) Corruptum certe non est. Usenerus ci. *κεῖνται* pro *ἦνται*.

gendos esse aperte indicat pronomen *νιν αὐτάς* v. 32[1]). — Iam finita est ea prologi pars, quae poenam sororum Semeles enarrat; sed superadditi sunt quasi clausula v. 39—42. Statim nobis suspicio oboritur, quod horum versuum argumentum ita comparatum est, ut mavelis in fine totius enarrationis legere et sororum Semeles et Penthei criminibus poenisque expositis. At ibi verba habemus, quae aptam efficiant clausulam:

47 *ὧν οὕνεκ' αὐτῷ θεὸς γεγὼς ἐνδείξομαι*
πᾶσίν τε Θηβαίοισιν·

quorum haec nostra sunt amplificatio laude non digna. Duo enim continent complementa ineptissima, quorum alterum est *κεἰ μὴ θέλει* v. 39. An quisquam etiam sua sponte *παθὼν μανθάνει*? Sed voluit poeta, postquam v. 39 scripsit, sic fere pergere: *φανέντα με θνητοῖς δαίμονα*, tum alia absona immiscuit. Vides lepidum falsarii ingenium! Alterum exstat v. 42: *ὃν τίκτει Διί*, verba ad taedium spectatorum auribus inculcata. His igitur versibus abiectis ad alteram narrationis partem pervenimus, quae est de Pentheo. Breviter Bacchus iniuriam eius indicat et poenam minatur; quin v. 48. 49 futura itinera, quae excedunt tragoediae actionem, pronuntiat. Quare non miraberis, si dico hoc loco totius prologi terminum haerere. Quae inde a v. 50 leguntur, spuria sunt omnia, sed variorum et temporum et hominum fetus. — Inspiciamus singula. Traducitur oratio v. 50 miseris verbis *δεικνὺς ἐμαυτόν*, pro quibus certe *δείξων ἐμαυτόν* scribendum erat. Tum miro modo redit ad priorem narrationis

---

1) Saepissime arte nexa interpolatores disiunxere magnusque versuum numerus hanc ob causam deletus est. Adde Heracl. 188, qui quam superfluus sit, apparebit, si illo omisso locum leges:

ἐπεὶ γὰρ Ἄργους οὐ μέτεσθ' ἡμῖν ἔτι,
ψήφῳ δοκῆσαν, ἀλλὰ φεύγομεν πάτραν,
πῶς ἂν δικαίως ὡς Μυκηναίους ἄγοι;
ξένοι γάρ ἐσμεν.

partem; narrantur res ad quas quid referamus in ceteris fabulae partibus non invenimus. Qualia autem sunt verba! ὀργῇ v. 51 vix potest intellegi; συνάψω obiecto personae aegre caret; μαινάσι, utrum cum verbo συνάψω an cum στρατηλατῶν coniungas, non statim apparet. Secuntur versus pessimi 53. 54, quibus bis iteratur quod v. 4 dictum erat. Inde a v. 55 melior incipit versuum ordo: Liber pater Baccharum chorum adhortatur, ut ad Penthei domum tympanis concinant. Tamen etiam hos ab Euripide alienos esse mihi persuasum est. Difficultatem huius loci cognovit Weckl̲inius, qui haec adnotat ad v. 55: „*Der Einzug des Bakchenchors hat eben begonnen. Dionysos redet sie an, sobald er ihrer ansichtig wird. Der Chor ist sich darum über das wahre Wesen des Dionysos nicht klar und betrachtet ihn nur als einen Verkünder des Gottes.*“ Recte ille intellexit chorum inde ab initio fabulae, sicuti in Supplicibus, in scaena esse non posse; adesse debet tum, cum Bacchus loquitur v. 55. At quis unquam audivit chorum mutum in scaenam procedere inter personarum dialogum vel monologum? Quis de Baccharum maxime choro hoc exspectabit? Ac ne ulla restet dubitatio, parodus ipsa postulat chorum procedentem vel potius vagantem. Vide v. 68 sq.:

τίς ὁδῷ; τίς ὁδῷ; τίς
μελάθροις; ἔκτοπος ἔστω.

Itaque v. 55—63 Euripidei esse non possunt; ficta est haec ἀποστροφή ab histrionibus, qui chorum inter prologum in scaenam duxerunt et ante Penthei aedes statutum parodum recitantem fecerunt. Sed insunt etiam menda, quae certissima coniectura ex genuino Euripide removeri valde gaudemus. Turpissimum complementum est ἵν' εἰσί v. 63, ne prosa quidem oratione dignum. Et si accurate interpretaris Penthei verba v. 352 sq.:

οἳ δ' ἀνὰ πόλιν στείχοντες ἐξιχνεύσατε
τὸν θηλύμορφον ξένον, ὃς εἰσφέρει νόσον
καινὴν γυναιξὶ καὶ λέχη λυμαίνεται,

Bacchus quod promiserat v. 62. 63, se ad Cithaeronem iturum, non videtur fecisse[1]). Male autem usurpavit is qui hos versus scripsit vocabulum *πάρεδρος* de iis qui Bacchum comitantur; etsi enim in „socii" notionem non raro abiit, tamen e radice *ΣΕΔ* fictum esse semper memores fuere Graeci[2]). Neque satis intellegimus, quomodo tympana possint esse *Ῥέας τε μητρὸς ἐμά τε* (Bacchi) *εὑρήματα*; tamen hoc fortasse toleraremus, nisi paullo post tertius appareret inventor:

120 *ὦ θαλάμευμα Κουρή-*
των ζάθεοί τε Κρήτας
Διογενέτορες ἔναυλοι,
ἔνθα τρικόρυθες ἄντροις
βυρσότονον κύκλωμα
125 *τόδε μοι Κορύβαντες ηὗρον.* —

Iam habes Baccharum prologum interpolationibus purgatum et ita comparatum, ut voluit esse Euripides; omnia certe continet, quae spectatoribus ad fabulam intellegendam scitu sunt necessaria. Tamen libere confiteor unum esse locum in quo mihi sententiarum nexus non satis placeat, v. 43. Considerandum autem est ab hoc ipso versu novam incipere prologi partem, quae minus severum cum praecedentibus nexum postulet; nulla certe cogitari potest prologi forma ab hac offensione prorsus libera.

17. De Iphigeniae Aulidensis prologo.

Agmen claudat novissima et difficillima Euripidis fabula, Iphigenia Aulidensis. De cuius habitu, perturbatione,

---

1) Quae de versibus 62. 63 scripsi, docentem audivi Usenerum. Idem hos versus delevit.

2) Cf. Or. 83. 1687. Hec. 616. Troad. 573. Hel. 879. Bis metaphorica significatione Euripides cum vocabulo *ξυνεργός* coniunxit: Med. 844. Hipp. 676.

interpolatione cum tam variae et inter se pugnantes latae sint virorum doctorum sententiae, vereor ne arrogantiae coarguar, quod tiro ad hanc quaestionem accedere et indoctus doctissimos nova docere non dubitem. Sed cum ita ferat ordo huius disputationis, officium mehercle subterfugere non possum, quid sentiam de huius fabulae prologo libere edicendi. Non autem potui mihi persuadere, ut singulas singulorum opiniones referrem et oppugnarem: *δὶς κράμβη θάνατος*. Qui cognoscere volet, eum ad Hermanni Hennigii librum „De Iphigeniae Aulidensis forma ac condicione“ (Berolini 1870) inscriptum relego. Ac mihi quidem in hac disputatione cum illo uno, qui novissimus hanc quaestionem tractavit, res esto; ceteros, nisi commemorare necessarium erit, non nominabo. — De prologo igitur aut, ut accuratius dicam, de expositione — sit venia verbo! — huius fabulae (v. 1—163) haec docet Hennigius l. l. p. 46 sq.: „Habemus igitur opinor prologum ab ipso Euripide perfectum ad ultimumque finem perductum qui ubi minime debebat manum expertus est Euripidis minoris versus illos 124—132 inculcantis; execatis (sic!) vero illis versibus nihil relinquitur suspecti, nisi in singulari offendas forma. Qua in re nunquam me habebis sectatorem, sed opponentem semper ea, quae olim docuit Hermannus, supra passim a me indicata, et periisse multas fabulas quae quale exordium habuerint nescimus et eo tempore quo haec tragoedia scripta est Euripidem, ut inventi novitate placeret, ad insueta confugisse satis credibile esse. Haec si obiciemus, certe hoc impetrabimus ab eis qui praeiudicatis carent opinionibus, ut concedant in hunc prologum qui inquirunt, non posse eos qualecunque argumentum petere ex prologi forma. . . . . Plus autem me adsecutum esse quam profecerunt ceteri non est cur moneam, cum illos appareat mutilata membra ignoti corporis deprehendisse, mihi contigerit ut prologum restituerem absolutum omnibus ex partibus, quod quanti momenti sit ad sententiam meam probandam minime me fugit.“ Sic plenus confidentiae Hennigius.

Pareamus igitur illi praecepto, quod identidem auribus nostris inculcat[1]), neve ullum argumentum ex singulari huius prologi forma petamus. Nam potuit sane poeta compositionis legem, quam ipse sibi posuit, interdum neglegere, neque ego is sum qui Andromedam et fortasse alias quoque Euripidis fabulas prologo iambico caruisse negem[2]). Cardò autem totius disputationis hac in re vertitur, utrum Euripides hanc primam fabulae scaenam anapaestico diverbio et iambico prologo miscuerit, necne. Equidem, nisi forte Euripidem fatuum fuisse iudicabis, prorsus nego. Ac primum quidem contra naturae leges hoc pugnat, quod Agamemno, postquam senex v. 34 sq. rogavit, cur noctu epistulam modo scripserit, modo deleverit, respondet longa oratione, qua et Helenae fata et belli Troici originem enarrat[3]). At audiamus, quid contra dicat Hennigius l. l. p. 41: „Quoniam enim iambos novo hoc loco positos esse mirari non debemus, satis erit monere quae iambis istis contineantur, ea spectatores sciant necesse esse, praesertim cum ea respicitur lex, quam de prologorum ratione sibi praescripsit Euripides. Quod autem illo studio abreptus poeta aliquantulum (!) laesit verisimilitudinem neque mirum est neque, id quod rectissime addidit Hermannus, magis nota dignum, quam quod eius generis ceteri quoque praebent Euripidis prologi.“ En bella et lepida argumenta! Quod igitur ea quae iambicus prologus continet scire debebant spectatores, insaniam committere et surdum fingere Agamem-

---

1) Vide l. l. p. 39 adn. 43 et p. 41.

2) Mirum tamen est quod dicit Hennigius l. l. p. 39, Andromedae *εἰσβολῆς* simillimam fuisse rationem atque Iphigeniae Aulidensis. Equidem non video, qui comparari possit Andromeda rupi affixa gemensque monodiam anapaesticam cum Agamemnone senem evocante et anapaestico metro cum eo colloquente.

3) Nihil ad rem facit, quod post sexaginta versus seni respondet.

nonem non dubitavit Euripides! Quam imaginem huius poetae sibi adumbraverit Hennigius, nescio. Sed Hermannum secutus similia etiam in aliarum fabularum prologis inveniri affirmat. Unum velim mihi monstret exemplum! An forte de Bacchis cogitavit, in quibus chorum inde ab initio fabulae in scaena praesentem esse neque tamen quid Liber pater de se praedicet audire voluit? At quid de Baccharum prologo statuendum esset, supra vidimus. In ceteris autem prologis certe non contra rerum naturam peccat, si audiunt praesentes personae quid προλογίζουσα dicat, veluti liberi Herculis in Hercule et Heraclidis, chorus mulierum in Supplicibus. — Altera causa, cur anapaestos et iambos simul ferri non posse iudicem, haec est, quod post iambos ab Agamemnone declamatos senem surdum finxit poeta: rogat enim v. 124 sq., num Achilles facile laturus sit, quod spes Iphigeniam in matrimonium ducendi se fefellerit, cum Agamemno v. 97 sq. totum hoc matrimonium fictum esse satis significaverit. Hanc dubitandi causam iustam esse etiam Hennigius l. l. p. 36 agnovit delevitque versus 124—132 p. 44. At si senis surditas intolerabilis est in tragoedia, cur non Agamemnonis? Quod si secum reputasset Hennigius, necessario etiam v. 1—48 delevisset; quibus abiectis cum non iam satis appareret, quid senex in scaena sibi vellet, etiam de versibus 115—123 et 133—163 dubitasset. — Iam vides falsa Hennigii disputatione me eo deduci, ut totum diverbium anapaesticum interpolatori, si dis placet, Euripidi minori tribuam. Magnopere autem gaudeo, quod virum doctissimum W. idem mecum sentire video. Ille enim de dimetris anapaesticis apud Sophoclem nonnunquam inter duas personas distributis agens haec scribit A. E. p. 198: „Euripides . hoc vitio . . . immunis est. Nam Iph. Aul. 2. 3. 149 nihil probat nisi Euripidem minorem neglegentiorem maiore fuisse. Omnino enim non intellego, quomodo reiecta verissima Bremii sententia, qui anapaestos ab Euripide maiore abiudicaverat, iam eo progressa sit criticorum violentia, ut prologum si quid

aliud Euripideum repudient. Luculentum veri testimonium etiam ex sermone peti potest. Euripides vocem *θυμέλη* saepius usurpat, sed unam novit vulgarem arae notionem: Iph. Aul. 152 *Κυκλώπων θυμέλαι* moenia sunt, usu et vetere et probo at minime Euripideo." —

Sed ne temere tantum versuum numerum uno impetu Euripidi abiudicare videar, paullo accuratius ea quae in anapaestis narrantur, consideremus, praesertim cum hoc exordium Hennigio iudice l. l. p. 42 „praeclare tanquam praeludatur tragoediae". — Agamemno igitur postquam in scaenam processit, senem, fidum domus suae servum, evocat:

ὦ πρέσβυ, δόμων τῶνδε πάροιθεν
στεῖχε.

Ille statim se venturum clamat; tamen Agamemnoni nimis tardus videtur, quare iam eum increpat v. 3: *σπεύσεις*[1]); Tandem venit servus. Exspectas certe, ut Agamemno, qui tam impatienter senem impulit, ut accurreret, statim ei mandata daturus sit. Sed tantum abest, ut faciat, ut, quomodocunque insequentem locum difficillimum interpretaris (v. 6—11), de sideribus et ventorum silentio cum eo colloquatur. Ne seni quidem in mentem venit rogare, quid se velit Agamemno; hoc quaerit v. 12:

τί δὲ σὺ σκηνῆς ἐκτὸς ἀΐσσεις,
Ἀγάμεμνον ἄναξ;

neque ullo mandato accepto monet eum v. 16: *στείχωμεν ἔσω*. Agamemno autem neque paret seni neque quae iussurus est iubet: incipit philosophari:

ζηλῶ σέ, γέρον,
ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής·
τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ.

et senex non illepide de varia hominum fortuna multa cum

1) Certa haec est Dobraei coniectura.

eo confabulatur. Tandem aliquando v. 34 sq. non Agamemno, sed senex rem ipsam tangit: quaerit enim ex rege, cur noctu epistulam modo scripserit, modo deleverit, modo obsignaverit, modo solverit. Multum mecum cogitavi, quomodo haec senis interrogatio apte explicari posset, neque tamen inveni. Senex enim per noctem aut in eodem tentorio fuit cum Agamemnone: tum stulte fecit rex, quod ad senem vocandum in publicum processit; aut in alio fuit: tum quid ageret Agamemno videre non potuit. Iam sequitur prologus iambicus, in cuius fine Agamemno seni litteras tradit, quas ad Clytaemnestram deferat. Sed antea argumentum epistulae non solum significat v. 107 sq., sed etiam v. 115 sq. ad verbum recitat; cur faciat, frustra rogamus. An timuit Agamemno, ne forte seni epistula eriperetur? Hoc si timuit, dicere debuit. At nemo qui hunc locum legit non reminiscitur loci simillimi alterius Iphigeniae (v. 759 sq.), praesertim cum nostrae v. 112. 113 prorsus fere cum illius v. 760. 761 consentiant. Ne tamen mali quid accidisse suspicemur, monet nos Weilius: „*Si ces vers ressemblent à ceux, qu'on lit ici, ce n'est pas là une raison pour suspecter ces derniers.*“ Rectissime hoc dicit; at si in Taurica Iphigenia iusta adest et plane pleneque exponitur causa, cur Iphigenia Oresti epistulam recitet, in Aulidensi contra minime apparet, cur senex argumentum eius scire debeat, cum hos locos insuper mirum quantum consentire videamus, non temere puto conicimus alterum ad alterius exemplum fictum esse. Sed fallor: causam cur recitetur in fabula nostra epistula invenisse sibi videtur Hennigius l. l. p. 40: „Namque idoneam ea quae in epistula scripta erant communicandi causam ut in laudato Iphigeniae Tauricae ita hoc nostro loco habuit poeta, cum et auditores et senem accurate vellet totam perspicere rem, quam ex eis, quae huc usque Agamemno exposuit, nullo modo bene cognitam haberi posse facile quisque intelleget.“ Habes eundem Hennigium, qualem supra deprehendimus: summa ei tragoediae lex est, ut de rebus edoceantur spectatores; quo-

modo edoceantur, utrum apte an inepte, non curat. Causam enim ex ipsa tragoedia petitam, cur seni ab Agamemnone epistula recitetur, neque affert neque unquam afferre poterit. Sed pergamus. Curare debet Agamemno, ut quam celerrime epistula ad Clytaemnestram deferatur. At senex consiliorum domini sui non satis capax videtur: quater enim adhortatur eum Agamemno, antequam vadat (v. 111. 139. 149. 156). Neque Agamemno irascitur, ut par est, de senis tarditate, sed ipse sermonem continuat. Num hoc pulchrum et tragoedia dignum iudicas? Neque de versuum anapaesticorum forma unum possum praetermittere. Versus enim paroemiacus nisi in maxima animi concitatione apud tragicos poetas non saepius deinceps repetitur (cf. Eur. Ion. 859—861), comicorum hoc sibi permisit Cratinus[1]). At quales in nostra fabula legimus paroemiacos continuos et spondiacos (v. 115—116. 131—132. 136—137; adde v. 122) respuit ars antiqua; leguntur apud poetas christianos (v. Synes. hymn. V). Sed res tractaturus eram, quae continentur versibus istis anapaesticis: studio sententiam meam probandi etiam ad metricas quaestiones abreptus sum. Hoc autem puto me evicisse hos versus a sano et sobrio poeta, qualis fuit Euripides, scribi non potuisse; scripsit is, qui scaenicam ostentationem ita augere voluit, ut pro monologo Euripideo dialogum substitueret. Cum autem prologo Euripideo servato argumentum ad dialogum efficiendum non sufficeret, facere non poterat, quin et rebus aliunde petitis et repetitionibus diverbium suum amplificaret. — Euripideum modo dixi prologum, quem *κατ' ἐξοχήν* ita vocamus, v. 49—114; quod probant et tota eius condicio et singuli loci ingenium Euripideum spirantes. Sed interpolatorem impias suas manus etiam huic prologo non admovisse solum, sed etiam admovere debuisse, cum anapaesto-

1) Hephaest. p. 28, 3 Westph.: *Κρατῖνος δὲ ἐν Ὀδυσσεῦσι συνεχεῖ αὐτῷ ἐχρήσατο· Σιγάν νυν ἅπας ἔχε σιγάν κτλ.* (cf. Meineke, frr. com. Gr. II p. 100).

rum alteram seriem adderet, iam supra, cum de v. 112. 113 agerem, demonstravi. Atque etiam alii loci non manserunt intacti. Cum autem hic potissimum prologus difficultatibus scateat, etsi nonnullas solvere non satis possum, tamen totum inde ab initio interpretari conabor.

Nullam omnino difficultatem praebent v. 49—52; neque in ea quae sequitur sententia

δειναὶ δ' ἀπειλαὶ καὶ κατ' ἀλλήλων φόνος
ξυνίσταθ', ὅστις μὴ λάβοι τὴν παρθένον,

etsi verba audacissime iuncta sunt, haerendum esse iudico. Nam cum *κατ' ἀλλήλων* idem sit quod *ὑπὸ θατέρου κατὰ θατέρου*, facile applicare poteris *ὅστις μὴ λάβοι τὴν παρθένον*. — V. 57 Hemsterhusius pro tradita lectione *ἄριστα* glossam Hesychianam *ἄθραυστα* ex Iph. Aul. petitam restituendam esse putavit. Sed ut taceam de dubio hoc emendandi genere, mihi neque forma vocabuli, cum *ἄθραυστος* exspectem, neque vocabulum ipsum hoc loco placet, quod probabis collatis Hec. 17. Phoen. 1079. Cycl. 292. — Animadvertit autem Marklandus eam in qua versamur sententiam scripsisse Euripidem Aeschyleam imitatum hance (Suppl. 364):

ἀμηχανῶ δὲ καὶ φόβος μ' ἔχει φρένας
δρᾶσαί τε μὴ δρᾶσαί τε καὶ τύχην ἕλεῖν[1]).

Itaque ut plane conspirarent inter se Aeschylus et Euripides particulam *θ'* post *τύχης* v. 56 inseruit. Ego nihil mutandum esse censeo, quoniam Euripides, si ad verbum Aeschylum imitari voluisset, etiam *τὴν τύχην θ' ἑλεῖν* scripsisset. Licet autem fortasse longius procedere. Conicio enim Euripidem, ut Aeschylum, quod saepe fecit, castigaret, verbis eius in meliorem formam redactis usum esse. Nam cum apud Aeschylum tria videantur esse, de quibus rex Argivorum *ἀμηχανεῖ*,

1) Postremorum verborum recta est interpretatio ea quam dedit vetus schol.: *καὶ τοῦ συμφέροντος ἐπιτυχεῖν.*

Euripides tertium illud in aliam formam, quae cum sententiae sensu melius congrueret, redegit. — Singulari modo v. 60 verbum *ἐπαρᾶσθαι* usurpatum est. Nam cum apud ceteros scriptores „imprecari" significet, nostro loco notionem habet „iusiurandum *ἀρᾷ* confirmare". Sed illud procorum iusiurandum mihi quidem finiri videtur v. 63; adscripti sunt ab interpolatore v. 64. 65:

κἀπιστρατεύσειν καὶ κατασκάψειν πόλιν
Ἕλλην' ὁμοίως βάρβαρόν θ' ὅπλων μέτα.

De posteriore versu idem docuit Hermannus, vituperatus ab Hartungo, quod causis non adiectis versum sensui explendo necessarium inutile additamentum vocasset. Tamen nullo hos versus meliore cognomine ornari equidem iudico. Nonne mirum quantum claudicant infinitivi *ἐπιστρατεύσειν* et *κατασκάψειν*? Nonne aegre ferimus, quod contra cuiusnam urbem proci proficiscantur, ex praecedente sententia repetendum est? Praeterea *ὅπλων μέτα* absurdum; certe scripsisset Euripides *δορί*[1]). Et quid tandem novi his versibus discimus? Ulciscendum enim esse non solum eum procorum, qui Helenam marito rapturus sit, sed quemlibet raptorem eius satis docent verba *εἴ τις* v. 62. — Nihil omnino mutandum est in ea quam praebent codices versuum 66—68 scriptura; versum autem 69

ὅτου πνοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι,

etsi bene Lentingius *ὅποι* correxit, equidem abesse malim; videor enim mihi tragicae dictionis centonem deprehendere, neque facile patitur versus praecedens maximeque vocabulum *ἕνα* eiusmodi additamentum. — V. 71 sq. praebent codices:

ἐλθὼν δ' ἐκ Φρυγῶν ὁ τὰς θεὰς
κρίνας ὅδ', ὡς ὁ μῦθος ἀνθρώπων ἔχει.

Clemens autem Alexandrinus, qui illum locum apposuit Paedag.

---

1) Rectissime Euripides *μεθ' ὅπλων* usurpavit Or. 573.

III 2, 13, habet v. 72 *κρίνων* et *Ἀργείων*. Vides hoc in versu idem accidere, quod iam saepe in spuriis locis animadvertimus: variae pullulant lectiones. Versum enim 72 ab Euripide scriptum non esse apertissime docet pronomen *ὅδε*, quod et vile est trimetri supplementum et pugnat cum certissima lege Euripidea, quae istud pronomen personis in scaena non praesentibus adhiberi vetat. Neque vero verba *ὡς ὁ μῦθος ἀνθρώπων* (vel *Ἀργείων*) *ἔχει* bene addi participio, quod locum nominis proprii Paridis tenet, quis non intellegit? At deleto pessimo versu etiam praecedentis verba postrema *ὁ τὰς θεὰς*, si quidem cetera integra putamus, necessario Euripidi abiudicanda sunt. Multa cogitari possunt versus 71 supplementa, velut *πέδων Πάρις*, *Πριάμου γόνος*, *θεῶν κριτής*; semper tamen incerta manebit restitutio, nisi fausta fortuna nova nobis suppeditaverit emendandi adiumenta. — Paullo certius sanari possunt versus insequentes:

Λακεδαίμον', ἀνθηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ,
χρυσῷ δὲ[1]*) λαμπρὸς βαρβάρῳ χλιδήματι*
ἐρῶν ἐρῶσαν ᾧχετ' ἐξαναρπάσας
Ἑλένην πρὸς Ἴδης βούσταθμ', ἔκδημον λαβὼν
Μενέλαον· ὃ δὲ καθ' Ἑλλάδ' οἰστρήσας μόρῳ
ὅρκους παλαιοὺς Τυνδάρεω μαρτύρεται,
ὡς χρὴ βοηθεῖν τοῖσιν ἀδικουμένοις.

Haec est Laur. et Pal. consentiens scriptura a prima manu tradita. Inspiciamus primum v. 76, quem omnes editores ita scribunt, ut codices una cum Clemente Alexandrino exhibent. Cum autem interpretari iis opus non videatur, audi qui vertat Fixius verba *ἔκδημον λαβὼν Μενέλαον*: „peregre profectum nactus Menelaum.“ Putasne Euripidem, si hoc dicere voluisset, tam absurdis verbis fuisse usurum? Nonne *ἐκδήμου τυχὼν Μενελάου* scripsisset? Melius autem omnibus edito-

1) Sic scribendum est pro tradito *τε*.

ribus, quid Euripidi tribuere liceret, animadvertit grammaticus quidam Byzantinus. Teste enim K. ab altera manu cod. Pal.[1]) sic scripti sunt v. 76. 77:

Ἑλένην πρὸς Ἴδης βούσταθμ' ἔκδημον λαβών.
Μενέλαος οὖν καθ' Ἑλλάδ' οἰστρήσας μόνος.

Vides correctorem, qui intolerabilia coniectura tollere studuerit. Etsi autem non sustulit omnes difficultates, unum tamen egregie vidit: *ἔκδημον* ad Helenam referendum esse. Sed antequam de v. 76 sententiam meam dicam, pauca praemittenda sunt de iis qui insecuntur. Ac primum quidem metricum vitium versus 79, quod una cum emendatione *ἠδικημένοις* in archetypo Laur. et Pal. exstitisse W. collatio probat, monere debebat editores, ut hunc versum accuratius inspicerent; sententiam autem num pravius et absurdius et falsius eloqui potuit poeta? Sed tempori et chartae parcamus. Non multo meliora sunt quae praecedunt; nam *οἰστρᾶν*, quod aut „stimulare" vel „furore exagitare" (Bacch. 32. 119), aut „furere" significat (Aesch. Prom. 837), ita usurpari non posse, ut sit „furentem ruere" locus Aeschyleus satis ostendit. Neque etiam, si iusta esset haec notio, verbum *οἰστρᾶν* in nostram sententiam quadraret. Praeterea haeremus in verbis *ὅρκους παλαιοὺς Τυνδάρεω*, quibus iusiurandum Tyndaro a procis datum significari necesse est. Quam difficultatem vidit, non probabiliter sustulit nescio quis, qui *Τυνδάρεῳ* scribendum proposuit. Cum autem in versibus tam absurdis versemur, non coniectura temptabimus illud *μόρῳ*, quod unum criticos vexavit; qui scripsit intellexit: „casu isto" i. e. raptu Helenae[2]). — Deletis igitur versibus 77—79 haec oritur

1) Ego tamen spoponderim manum interpolatricem, quam W. littera p notavit, hanc coniecturam fecisse, eandem, quae *μόνος* pro *μόρῳ* substituit.

2) Fortasse interpolator verba sic iungi voluit: *ὃ δὲ, οἰστρήσας μόρῳ, καθ' Ἑλλάδ' ὁ. π. Τ. μ.* Quod si est, *οἰστρᾶν* iusta notione usurpavit, verba *καθ' Ἑλλάδα* pessime et scripsit et collocavit.

quaestio, utrum versus 76 tradita forma servari possit, necne. Mihi quidem participium *λαβών*, postquam *ἐξαναρπάσας* praecessit, languere et una cum insequente sententia resecandum videtur. Puto autem me Euripidis manum restituere, si collato huius fabulae v. 419 *χρόνον παλαιὸν δωμάτων ἔκδημος ὤν* scribo:

Ἑλένην πρὸς Ἴδης βούσταθμ' ἔκδημον δόμων,

quod, si quid video, non solum cum vocabulo *ἔκδημον*, sed etiam cum *ἐξαναρπάσας*[1]) egregie conspirat. Iam bene post v. 76 sequitur ipsa Graecorum expeditio: interpolator, quin adderet Menelai evocationem, quam omisisse videbatur poeta, abstinere non potuit. — Neque celabo suspicionem, quae mihi de v. 80 incidit. Nonne postquam dictum est *ᾄξαντες δορί* tautologiae simile est *τεύχη λαβόντες*? Nam *τεύχη* omnem complecti militum armaturam satis constat (cf. Troad. 11). Sed hoc fortasse tolerabile; gravius est, quod Graecis *ᾄσσειν δορί* aliud sonat, quam quod nostro loco exspectamus (cf. Hom. *Θ* 88. *K* 456. *Λ* 484. Eur. Phoen. 1382). Atque Aristoteles aut discipulus quidam eius Rhet. III 11 p. 1411^{b} 30 Bekk. hanc affert versus nostri formam:

τοὐντεῦθεν οὖν Ἕλληνες ᾄξαντες ποσίν,

quae quin genuina sit iis de causis, quas supra exposui, vix dubitem; praesertim cum Euripidi vocabulum *πούς* ita in deliciis fuerit, ut comicorum ludibrium non semel provocaverit. — V. 83 cum Hermanno et Hartungo, qui tamen postea sententiam mutavit, deleo. Unum argumentum rectam esse hanc coniecturam luculentissime evincit: *δμοῦ*, quod in fine versus praecedentis legimus, addi quidquam non patitur; *ναυσίν* ad classem Graecorum, *ἀσπίσιν* ad exercitum referendum est (cf. Phoen. 78. Heracl. 932). — Cum ne ego quidem

---

1) Noli hoc lectum vocabulum, quod Euripides in suum usum procudisse videtur, neglegere: *ἀνά* ad verba *πρὸς Ἴδης βούσταθμα*, *ἐξ* ad *ἔκδημον δόμων* pertinet. Legas velim Hel. 1560—1566.

traditam lectionem v. 84 sanare possim, ad Calchantis responsum accedo, quo Agamemnonem immolare Iphigeniam iubet:

89 *Κάλχας δ' ὁ μάντις ἀπορίᾳ κεχρημένοις*
90 *ἀνεῖλεν Ἰφιγένειαν, ἣν ἔσπειρ' ἐγώ,*
Ἀρτέμιδι θῦσαι τῇ τόδ' οἰκούσῃ πέδον,
καὶ πλοῦν τ' ἔσεσθαι καὶ κατασκαφὰς[1] *Φρυγῶν*
θύσασι, μὴ θύσασι δ' οὐκ εἶναι τάδε.

Postremum horum versuum N. rectissime delevit, cui adstipulatur causasque exponit Hennigius l. l. p. 33 sq. Sed vereor ne ille versus etiam praecedentem secum in perniciem trahat. Puto enim hos duos ab uno eodemque homine profectos esse, nisi quod prior paullo melior evasit. Certas autem habeo causas. Legas velim totam sententiam omisso v. 93; nonne tibi v. 92 mirum quantum claudicare videtur? Falsum autem est *κατασκαφὰς Φρυγῶν*[2]; quod si dixisset Calchas, plus respondisset quam quod Agamemno rogaverat, qui tamen mihi vatum et oraculorum mos fuisse non videtur[3]. Verba lecta expiscatus est interpolator ex huius fabulae v. 1379. Deleto autem etiam illo versu, quem cum sequenti eadem de causa, qua 77—79 additum videmus, pulcherrime pergit oratio Euripidea[4]. — Sed quid post v. 100 retineri possit, dictu difficillimum est. Fortasse Euripidei sunt v. 101—103; tamen suspicionem movet verbum *ἐκγαυροῦσθαι* nusquam alibi lectum. Falsus est praeterea v. 105; quod cum demonstrasset Hennigius l. l. p. 34 sq., coniectura sua

1) Sic Pal. ab altera manu; *κατασφαγάς* Laur. et Pal. a prima manu.

2) *κατασφαγὰς Φρυγῶν* prorsus absurdum est.

3) Cf. Calchantis vaticinium Iph. Taur. 18 sq.

4) Omnino non intellego, quomodo Dindorfius, quocum facit Hennigius l. l. p. 43, orationem huius prologi magis pedestrem dicere possit, quam aliorum prologorum. Mihi quidem haud paucis poeticis luminibus distincta videtur (cf. v. 51 sq. 70. 73 sq. 80 sq.), ita ut hunc prologum in meliorum numerum referre non dubitem.

ἀμφὶ παρθένῳ unam difficultatem removit, alteram intulit. V. autem 104, etsi per se nullam praebet offendendi causam, tamen verba πρὸς δάμαρτ' ἐμήν mutuatus esse videtur e v. 99. Hoc quidem mihi certissimum est post v. 100 clausulam aliquam addidisse Euripidem, ut dolus Agamemnonis, quo fallebat uxorem, clarius appareret. Haec igitur fere eum scripsisse conicio:

πειθῶ γὰρ εἶχον τήνδε, παρθένου γάμον.

Iam sequebatur ea prologi pars, quae nova consilia Agamemnonis, quibus priora irrita faceret, continebat. Hanc autem omnino immutari debuisse ab eo qui anapaestos addidit et senem in scaena praesentem finxit, neminem fugit. Sed antequam iudicium meum de prologi conclusione edicam, eos quos nondum commemoravi versuum 106—114 naevos quam brevissime percensebo. Duabus de causis tolerari non potest sententia:

μόνοι δ' Ἀχαιῶν ἴσμεν, ὡς ἔχει τάδε,
Κάλχας Ὀδυσσεὺς Μενέλεως θ'·

postulat enim ἴσμεν, ut Agamemno ipse voce ἐγώ notetur, et addenda erat particula τε post Ulixis nomen[1]). Tautologiam, quae inest in verbis

ἃ δὲ κέκευθε δέλτος ἐν πτυχαῖς
λόγῳ φράσω σοι πάντα τἀγγεγραμμένα

nemo spero nostris temporibus ferri posse affirmabit. Iterum deprehendimus illud interpolatorum artificium supra identidem castigatum, ut quod pronomine relativo dictum est postea

---

1) Senserunt difficultates Hennigius, qui l. l. p. 35 adn. 22 Κάλχας τ' Ὀδυσσεὺς Μενέλεως θ' scribendum proponit, et Vitellius, qui in editionis suae *Introduzione* p. XXXV locum sic conformat: Κάλχας Ὀδυσσεὺς Μενέλεως ἐγὼ θ'· ἃ δ' οὐ καλῶς τότ', αὖθις μεταγράφω καλῶς πάλιν κτλ. Neuter menda plane sustulit neque omnino tolli possunt.

repetatur. Concludit totum prologum versus in hoc sententiarum nexu insulsissimus:

πιστὸς γὰρ ἀλόχῳ τοῖς τ' ἐμοῖς δόμοισιν εἶ.

Quid tandem fides senis ad argumentum epistulae ab Agamemnone recitandae pertinet?

Sed finem faciamus conquirendarum ineptiarum; quid Euripides scripserit, investigemus. Ac primum quidem mihi necessarium videtur, ut commemoret Agamemno conscios esse consilii sui Iphigeniae immolandae Calchantem, Ulixem, Menelaum. Nam Menelaum scire apparet e diverbio eius cum Agamemnone inde a v. 317; de Ulixe idem monet Agamemno v. 524. Novum autem regis consilium Euripides duplici modo conformare poterat: aut, ut in servata prima fabulae scaena res est, Agamemno tum cum prologum recitabat conscripserat epistulam ad Clytaemnestram mittendam, aut post prologum recitatum scripturus erat. Priore autem modo Euripidem fabulam instituisse ego non credo. Si fecisset, aut Agamemnoni evocandus erat senex et de mandato edocendus — tum eadem fere, quae paullo ante spectatoribus in prologo dixerat, ad senem conversus repetere debebat simulque partem primae scaenae Euripideae periisse statuendum est — aut senex a spectatoribus non visus e castris mittendus erat, id quod cum legibus veteris tragoediae pugnat. Omnes autem tolluntur difficultates, si Euripidem altera ratione prologum instituisse sumimus. Quae sententia cum mea sit, finem facturus huic commentationis parti nunc exponam.

Agamemno e tentorio suo in scaenam procedit et prologi versus 49—63, 66—68, 70—71 (v. supra), 73—76 (v. s.), 80—82, 84—91, 94—100 et complures versus interpolatoris iniuria absumptos vel retractatos recitat. Tum sic fere prologum concludit: „Doli istius conscii sunt Calchas, Ulixes, Menelaus. Sed filiae misericordia commotus alteram ad uxorem dabo epistulam[1]), qua, ne mittat Iphigeniam, imperabo.

1) Vocabulum *μεταγράφω* satis lectum (v. 108) in Euripideo prologo exstitisse certum est.

Occulte autem perferendam tradam seni mihi fidissimo [1]). Quod ut fauste eveniat, di duint propitii." Iam Agamemno in tentorium redit epistulam scripturus: interim chorus virginum intrat parodumque canit. Finito cantico senex, qui in eodem tentorio atque Agamemno versari putandus est [2]), cum epistula procedit; at vix egressus deprehenditur a Menelao in scaenam irruente, qui seni epistulam eripit, ereptam solvit. Sequitur dialogus inde a v. 303.

Iam vides in ea quam modo docui exordii conformatione egregie omnia convenire; simulque tollitur ea difficultas, quae, quantum video, omni exordii formae praeter meam inhaeret. Nam si senex ante parodum cum epistula abiit, qui tandem fieri potest, ut post longum canticum altercationem eius cum Menelao in scaena videamus et audiamus? Nonne iam diu e castris excessit? Hoc autem sumere, Menelaum et senem inter se rixantes ad castra redire neque verisimile mihi videtur neque probatur ullo vestigio.

II.

DE ARTE PROLOGORVM EVRIPIDEORVM

Pertractatis singulis prologis et interpolationibus eorum, quantum equidem praestare poteram, expulsis tandem aliquando ad artem prologorum Euripideorum accedo, h. e. ut iam in praefatione monui, eas conabor definire leges, quas

---

1) Hinc ille v. 114: *πιστὸς γὰρ ἀλόχῳ τοῖς τ' ἐμοῖς δόμοισιν εἶ.*

2) Hoc servavit interpolator. Cf. v. 34 sq. et ea quae de hoc loco p. 87 disputavimus.

Euripides in prologis scribendis sibi posuit. Etsi autem haec pars commentationis meae et gravissima est et esse debet, tamen postquam singulis prologis accurate perlustratis firmum ac solidum videtur positum fundamentum, licet mihi brevissimo esse: nihil enim opus est, nisi ut uno quasi conspectu ea complectar, quae in singulis observavi. Ut autem generale iudicium meum iam nunc edicam, hoc est:

Prologi Euripidei omnia ea continent, quae spectatoribus ad ipsius dramatis actionem intellegendam scitu necessaria sunt: scaenam dramatis explicant et personarum gravissimarum fata, quantum quidem ad ipsam fabulam pertinent, usque ad illud temporis momentum enarrant, quo fabulae ipsius actio incipit.

Prologos Euripides hoc consilio scripsit, ut spectatores ea quae dixi non per unam aut complures fabulae scaenas sparsa, sed perpetua oratione secundum rerum ordinem enarrata accurate cognoscerent et memoria tenerent.

Fortasse haec iudicia non multum ab iis discrepare putabis, quae adhuc de prologis Euripideis lata sunt; quantum discrepent, statim apparebit.

Omnes prologi Euripidei tripertiti sunt.

Prima pars, de qua postea plura disputabo, exordium est varii argumenti; media eam continet historiam, quae toti dramati quasi fundamento est; tertia, ut breviter dicam, ad personam prologum recitantem pertinet: quid faciat, cogitet, timeat, speret enarrat. Has autem tres partes in longe plurimis prologis accurate licet internoscere; adesse in Alcestide, Medea, Hippolyto, Heraclidis, Hecuba, Hercule, Supplicibus, Ione, Troadibus, Phoenissis, Iphigenia Taurica, Oreste in unaquaque harum fabularum supra demonstravimus. Tres exstant fabulae, in quibus prologi tertia pars tam arte cum altera iuncta est, ut separari non possit. Tamen vestigia eius facile inveniuntur.

Andr. 42 sq.: δειματουμένη δ' ἐγὼ
δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον
θάσσω τόδ' ἐλθοῦσ'; ἦν με κωλύσῃ θανεῖν.
Hel. 63 sq.: τὸν πάλαι δ' ἐμὸν πόσιν
τιμῶσα Πρωτέως μνῆμα προσπίτνω τόδε
ἱκέτις, ἵν' ἀνδρὶ τἀμὰ διασώσῃ λέχη.
Bacch. 47 sq.: ὧν οὕνεκ' αὐτῷ θεὸς γεγὼς ἐνδείξομαι
πᾶσίν τε Θηβαίοισιν. εἰς δ' ἄλλην χθόνα
τἀνθένδε θέμενος εὖ μεταστήσω πόδα.

Unus Electrae prologus tertia parte omnino caret[1]). Neque illud miraberis: nam agricola illius fabulae nullam aliam ob causam in scaenam prodit, quam ut prologum recitet; quid igitur de se praedicet praeter honestos suos mores non habet, praesertim cum consilium e scaena abeundi versu demum 78 sq. capiat. Hic igitur locus prologi adventu Electrae quasi interrupti conclusio est. De Iphigeniae Aulidensis prologo scio satis lubricum esse iudicium; si tamen ea quae supra disputavi probabis, exordium de Helenae matrimonio usque ad v. 71, mediam prologi partem originem belli Troici et causam Iphigeniae immolandae tractantem fere usque ad v. 105 pertinere dices. Post hunc versum absumpta est conclusio fortasse cum media parte artissime coniuncta, de cuius argumento vide quae p. 96 sq. exposui.

Exordium prologi praeparat historias in media parte enarrandas.

Hoc fieri potest triplici modo: aut praemittuntur priora fata earum personarum de quibus prologus agit, interdum etiam gentis earum, aut de se suisque fatis disserit persona *προλογίζουσα*, praesertim cum deus est (veluti in Alc., Hipp., Troad., Bacch.), aut si forte deficit apta historia (ut in Suppl.), dictum aliquod in exordio ponitur. Misceri quoque nonnum-

1) Hoc dicere licet, etsi postremam huius prologi partem non Euripideam esse videri p. 56 docui. Ne Euripides quidem aliud argumentum atque interpolator hoc loco tractare potuit.

quam tres illos modos vix opus est monere. Ad primum autem pertinent etiam longae illae genealogiae a veteribus non minus quam a recentioribus criticis perstrictae. Videtur tamen Euripides priore poeseos suae aetate hoc vitio abstinuisse; primum exemplum Hecuba praebet, postea magis magisque crebrescunt et ingravescunt; in Oreste origines longissime repetitae prorsus intolerabiles sunt.

Semper fere persona *προλογίζουσα*, ut quam celerrime a spectatoribus cognoscatur, plerumque in exordio, certe inter prima narrationis verba nomen suum expresse dicit; si non dicit, alio modo curavit poeta, ut spectatores quemnam in scaena viderent statim in exordio intellegerent.

Ultro priore lege eximuntur earum fabularum prologi, in quibus persona prologum recitans nomen non habet, Medeae et Electrae. Tamen nutrix Medeae ut serva cognoscitur verbis v. 6 *δέσποιν' ἐμήν*, et maritus Electrae sine dubio in scaenam prodibat veste rustica indutus. Restant Apollo Alcestidis, quem et verbis versus 3. 4 et noto habitu maxime arcu (cf. v. 35) statim agnoscebant spectatores; Iolaus Heraclidarum, qui etsi versu demum 30 nomen suum artificioso modo orationi inserit, tamen exordii v. 6 sq. se cognatum Herculis esse declarat; Agamemno Iphigeniae Aulidensis regia veste simulque verbis v. 50 *Κλυταιμνήστρα τ' ἐμὴ ξυνάορος* sine ulla difficultate agnitus.

Quam celerrime fieri potest, locus actionis fabulae indicatur notaturque pronomine *ὅδε*. Eodem cum vocabulo coniunguntur omnes res et personae quas spectatores in scaena conspiciunt; quas non conspiciunt eae illud pronomen respuunt.

Has leges scitu dignissimas hic illic iam antea commemoravimus. Contra primam peccaverunt omnes adhuc viri docti, qui Heraclidarum fabulae scaenam Marathone esse voluerunt; quam sententiam falsam esse aliis causis satis me probasse existumo (cf. p. 15 sq.). — Etiam altera lex certissima est.

Quoniam autem de rebus in scaena conspectis satis constat, non dicam nisi de personis. Quattuor sunt fabulae Euripideae, in quibus, dum prologus recitatur, praeter *προλογίζουσαν* aliae personae in scaena versantur: Heraclidae, Hercules, Supplices, Orestes. In Heraclidis et Hercule adsunt liberi Herculis, notati pronomine ὅδε Heracl. 11. 40[1]). Herc. 42, in Hercule praeter hos Megara, cuius nomen cum eadem vocula coniunctum apparet v. 9. 14. In Supplicibus supplices quae adsunt mulieres et Adrastus eodem modo quasi monstrantur spectatoribus v. 8. 17 (cf. p. 10 sq.). 21. 35[2]). In Oreste aegrotans in lecto iacet Orestes, dum Electra prologum recitat: ὅδε dicitur v. 35 secundum certissimam Reiskii coniecturam. Pauca addenda sunt de Troadum prologo, qui dum declamatur a Neptuno, Hecuba in scaena est (cf. v. 98). Ego tamen puto eam cum in porta tentorii Agamemnonis torpens humi iaceret (cf. v. 138 sq.), a spectatoribus visam non esse, quae coniectura egregie convenit cum argumento et prologi et iusequentis dialogi. At histrio, qui eam praesentem esse animadverterat, non satis significatam ratus v. 32. 33 contra loci ingenium digito ostendit spectatoribus[3]). — Contra tertiam legem peccaverunt Euripidis editores praeter W. Suppl. 17, interpolatores Med. 39. Hipp. 48. Andr. 38. Iph. Aul. 72.

Media prologi pars, ut iam supra identidem monui, gravissima est: eas res spectatoribus enarrat, quibus fabulae actio nititur. Si totum drama

---

1) Alcmenae in scaena non conspicitur, quare caret nomen eius pronomine ὅδε v. 41.

2) Nihil valet contra meam sententiam, quod in prologo omnino non commemorantur filii ducum interfectorum, quos in scaena adesse docet v. 106. Eiusmodi personae veteribus verae personae non erant.

3) Iphigeniae Aulidensis prologus, qui ex tradita conformatione sene praesente ab Agamemnone recitatur, in censum venire non potest. — Quid de pronomine ὅδε Tr. 22 monendum sit v. p. 47.

unum est, unam complectitur historiam, si duo capita habet, duas historias praebet.

Posterius contingere vidimus in Hecubae, Hippolyti, Herculis, aliquo modo in Phoenissarum prologis. Herculis prologus eo insignis est, quod alteri de Lyco narrationi novum exordium praemissum est; Hippolyti prologus, quod quattuor versibus inter duas narrationes interpositis nexus earum indicatur (cf. p. 36 et p. 12).

Media prologi pars rerum narrationem usque ad illud temporis momentum producit, quo fabulae ipsius actio incipit; nunquam ea quae spectatores postea suis oculis videbunt, enarrat iisque voluptatem spectandae fabulae praeripit.

Haec quoque est inter gravissimas leges, quas commentatione mea probatas esse iudico. Pugnare videbantur Hippolyti, Ionis, Troadum prologi; postquam autem Wheelerus Hipp. 41 sq. delevit, ego Ion. 67 sq. et Tr. 36 sq., ut mihi quidem videor, idoneis causis motus obelum praefixi (cf. p. 46 et 49 sq.).

Unus autem est prologus Euripideus, qui futura praedicit, quae in fabula ipsa videbunt spectatores, Hecubae. Vide v. 42—46:

> *καὶ τεύξεται τοῦδ' οὐδ' ἀδώρητος φίλων*
> *ἔσται πρὸς ἀνδρῶν· ἡ πεπρωμένη δ' ἄγει*
> *θανεῖν ἀδελφὴν τῷδ' ἐμὴν ἐν ἥματι.*
> *δυοῖν δὲ παίδοιν δύο νεκρὼ κατόψεται*
> *μήτηρ, ἐμοῦ τε τῆς τε δυστήνου κόρης.*

Iure quaerimus, cur Euripides in hoc prologo legem suam neglexerit. Causa est duplex illius fabulae actio, quam p. 29 sq. commemoravimus. Etsi enim v. 35—41 ad Polyxenae fabulam, ut ita dicam, instituendam sufficiunt, tamen necessarium est, ut sciant spectatores, cur Polydorus antea de suis fatis tam multa disseruerit. Cum autem inter duas illas narrationes praesens vinculum non intercedat, sed ea tan-

tum temporis unitate quodammodo cohaereant, quae de Polydoro et Polyxena postea fient et illis narrationibus ut fundamento utuntur, necessarium est illum nexum in prologo ipso indicari. Sed quomodo praedicta sunt futura? Tam parce et caute, ut spectatores voluptate spectandae fabulae minime fraudentur. Cadit igitur omnis illa quaestio ab artis tragicae iudicibus magno cum studio tractata, utrum Euripides eo, quod nonnunquam in prologis futura praedixerit, artem pessumdederit necne: nunquam Euripides in prologis fabulae ipsius argumentum praedixit; si qua delibare debebat, tam tecte et caute fecit, ut nihilominus spectatores in fabula ipsa prorsus nova viderent. Quam egregie haec quadrant in poetam *τραγικώτατον*!

Prologi narratio nunquam interrumpitur rebus alienis.

Haec enim est causa eius finalis, ut spectatores de historia fabulae clare edoceat. Quamobrem Euripides in prologorum corpore a dictis, quibus aliis tragoediarum locis abundat, prorsus abstinuit[1]). Tres loci obstrepentes: Med. 14. 15, Hipp. 7. 8 (p. 13), Troad. 26. 27 (p. 48 sq.) obelo notati sunt. — Ne eas quidem mythorum partes, quae ad rem non pertinent, unquam admisit: viri docti et ego eiecimus Hipp. 29—33, Ion. 20—27 (p. 41 sq.), Hel. 35—43 (p. 59 sq.), Iph. Taur. 20 dim. — 24 dim. (p. 61 sq.), Phoen. 26. 27 (p. 65 sq.), 51. 52, Or. 12—15 (p. 69 sq.). — Tres praeterea removimus etymologias male inculcatas: Troad. 13. 14 (p. 47), Hel. 9—11 (p. 57 sq.), Iph. Taur. 31—33 (p. 62 sq.).

Prologi conclusio ad personam *προλογίζουσαν* pertinet; aut facta aut cogitationes eius continet. Interdum ea persona indicatur, quae post prologum

---

1) Reperiuntur dicta in initio et fine prologorum. Prius accidit in Heraclidarum, Stheneboeae (fr. 662), Orestis, posterius in Supplicum et Orestis prologis.

recitatum in scaenam prodit demonstraturque spectatoribus pronomine ὅδε; nunquam autem eam personam προλογίζουσα alloquitur.

Nominatur insequens persona maxime in antiquioribus Euripidis fabulis, Alcestide, Medea, Hippolyto, Heraclidis, Hecuba, Ione, in recentiorum nulla. Illius autem personae ἀποστροφὴν obtruserunt Euripidi histriones in fine prologorum Heraclidarum, Hecubae, Baccharum, Iphigeniae Aulidensis[1]); falsariorum talia esse supra probavimus (cf. p. 23. 35 sq. 81 sq. 87. 94 sq.).

Nonne debes mecum consentire rectam esse eam legem, quam de argumento prologorum Euripideorum in exordio huius capitis posui? Ubinam sunt istae ambages prologorum tam saepe castigatae? Immo nihil in argumento eorum inest, quod recte vituperes, nisi illud quod reprehendit antiquissimus prologorum Euripideorum iudex Aristophanes, longae illae generum enumerationes. — Porro si eas leges, quas de usu pronominis ὅδε, de historiis media prologi parte enarratis, de rebus alienis omissis supra statui, ponderas, nonne hoc quoque mihi concedis Euripidem in prologis conscribendis maxime spectatorum rationem habuisse, ut et accuratissime et facillime res ad fabulam intellegendam scitu necessarias et discerent et memoria tenerent? Quis tandem dubitat, quin Euripides prologos suos more Sophocleo conformare potuerit? At noluit; spectatorum attentionem ad ipsam fabulam nonnunquam satis implicatam convertit; historiam fabulae modo

1) In Iphigenia Aulidensi quoniam senex secundum traditam fabulae conformationem iam in scaena versatur, paullo aliter res se habet, quam in tribus ceteris fabulis. — Novum simul hoc est argumentum ex more Euripideo petitum me recte improbasse hanc prologi conformationem, ut Agamemno, cum ad prologum recitandum in scaenam procedit, alteram epistulam ad Clytaemnestram dandam iam scriptam manu teneat.

minime artificioso, sed claro et lucido neque contra rerum naturam pugnante praemisit.

Ecce fere nescii ad quaestionem de causa prologorum Euripideorum, unde profecti eramus, revertimus: soluta est, spero, firmis et quae oculis videre licet argumentis.

Quod modo dixi etiam magis apparebit eo, quod de prologorum cum ceteris fabulae partibus nexu nunc disputaturus sum. Etsi scio hanc quaestionem magis ad artem ipsarum fabularum quam prologorum pertinere, tamen ne quid desideretur, quam brevissime fieri potest, tractabo.

Prologum ab arte dramatica abhorrere ipsum vocabulum δρᾶμα docet: ut agantur res in scaena, non ut narrentur, postulamus. Fieri tamen potest, ut prologus artis dramaticae legibus consentaneus sit; persona enim προλογίζουσα eo debet animi statu esse, ut ad monologum propensa sit; iis praeterea uti debet verbis, quae cum animi eius condicione congruentia non epicum, sed tragicum prae se ferant colorem. Quis vituperabit prologos Trachiniarum[1]) et Terei Sophoclearum?

Illis autem legibus inter omnes prologos Euripideos adstrictus est unus Medeae. Nutrix prologum recitat, mulier et servitii diuturnitate (v. 49) et animi fide (v. 54 sq.) cum domo Aeetae coniuncta. Ipsa non ignorat, quantum beneficiorum Medea Iasoni tribuerit, quam ingratum hic se praestiterit. Videt animum Medeae iratum et mala minantem. Consolari studet; repudiatur (v. 28 sq.). Quid igitur faciat? Nihil restat, quam ut secum commiseretur dominae calamitatem, quae sua simul est, vel, ut ipsa dicit v. 57 sq., ut cum caelo et terra communicet. Satis autem tragice institui hanc nutricis commiserationem omnes clamant. Proxime accedunt Hippolyti et Supplicum prologi: Veneris ira et supplicum calamitas causae monologorum sunt. Secuntur prologi Telephi, Alce-

1) De maculis huius prologi nunc non ago.

stidis, Oenei, Troadum, Iphigeniae Tauricae, in quibus causam prologi declamati indagare potes: tamen verba aut omnia aut maximam partem ita comparata sunt, ut epicum, non tragicum poetam audire videaris. In ceteris autem fabulis ex ipsa tragoediae actione, nisi forte sophista esse voles, nullam omnino causam prologi recitati petere poteris: prorsus in spectatorum usum scripti sunt. Velim autem hoc animadvertas:

Ii prologi qui optime cum ipsa fabula coeunt, omnes sunt prioris aetatis poeseos Euripidiae. Posteriore tempore poeta non solum nexum internum magis magisque solvit, sed etiam externo illo vinculo, ut persona προλογίζουσα insequentem personam indicaret, non iam usus est (v. p. 103 sq.).

Quo magis autem Euripides prologos prooemiorum a fabula ipsa solutorum formam habere voluit, eo magis ipsarum fabularum argumentum auxit.

Num opus est amplius exponere, quam egregie hoc quoque quadret in eam sententiam, quam antea de causa Euripideorum prologorum statui?

Sed quoniam de arte prologorum disputamus, iuvat summarium addere interpolationis, qua ars obruta est.

Duo genera interpolationis grassata sunt in prologis Euripideis: alterum, quod grammaticum voco, alterum histrionale.

Ad prius genus omnes eas refero interpolationes, quae verborum poetae interpretandorum causa additae sunt.

Omnes (praeter unum) prologi exempla praebent, plurimas Electrae prologus. Sunt autem illa additamenta aut ex ingenio interpolatorum profecta aut ex aliis fabularum locis petita. Quin eo procedit falsariorum loquacitas, ut, quae se dicturum non esse poeta expresse dixit, ipsi statim libere pronuntient (Iph. Taur. 38. 39. Or. 12—15). — Gravissimae autem huius generis interpolationes sunt dicta, ety-

mologiae, mythologicae notitiae, quas p. 103 congessimus[1]). Plerumque ita intrusae sunt in verba poetae, ut eximere possis; rarius Euripidea immutata et dilatata sunt, ut spuria a genuinis certo quidem separare non liceat. Huius speciei luculenta exempla exstant Andr. 49—55 (cf. p. 27 sq.), Ion. 8—19. 36—40 (cf. p. 41 sq.), Phoen. 21—23 (cf. p. 66 sq.). Necessario hac interpolatorum opera etiam prorsus absumpta sunt verba genuina; lacunas autem in prologis Euripideis inveniri equidem non puto.

Histriones duplici modo prologis Euripideis nocuerunt: additamenta intrusere aut ad scaenam fabulae immutandam aut ad *πάθος* sermonis augendum.

In quattuor tragoediis scaenicas mutationes fecere histriones: Heraclidarum fabulam Marathone, non Athenis agi voluerunt (interpolarunt v. 31. 32. 34—37. 39; cf. p. 20 sq.), Hecubae Polydorum pendentem in scaena, non procedentem fecerunt (interp. v. 28—34; cf. p. 33 sq.), in Bacchis scaenico apparatui fumantes aedium Semeles ruinas addiderunt (interp. v. 6—9; cf. p. 75 sq.), chorum circa finem prologi (an cum Baccho?) in scaenam duxerunt (interp. v. 55—63), Iphigeniae Aulidensis Agamemnonem cum sene in scaena colloqui voluerunt (interp. v. 1—48. 115—163; cf. p. 84 sq.). Atque iisdem illis prologis verba *πάθους* plena annexuerunt histriones, quibus persona *προλογίζουσα* insequentem alloqueretur: Heraclidarum prologo v. 52—54, Hecubae prologo v. 55—58, Baccharum prologo v. 55—63, Iphigeniae Aulidensis prologo (mutatis verbis Euripideis) v. 106—114. Egregie autem accidit ad sententiam meam de scaenicis interpolationibus probandam, ut histriones eos ipsos prologos, quibus manus suas impudentes imposuerunt, ista *ἀποστροφῇ* quasi sigillo suo munirent.

1) Adde Herc. 57—59. Cf. p. 38.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Inter ingentem scriptiuncularum et observationum Euripidearum molem quod nonnullae me fugerunt, nemo puto mirabitur neque mihi irascetur. Haec ab aliis praeoccupata esse sero animadverti: El. 10 delevit W. A. E. p. 206 (cf. h. l. p. 51 sq.). — El. 27 ante me ci. *αὐτός* (cf. h. l. p. 53) Witzschelius *Zeitschr. f. d. A.-W. 1838* p. 644; cf. Vitelli *App. crit.* p. 76 adn. 1.

Dum hoc opusculum typis exprimitur, Bonnae prodierunt Ludovici Enthoveni „De Ione fabula Euripidea quaestiones selectae", quibus uti non iam poteram. Magnopere gavisus sum, quod iis locis, quos ambo tractavimus, illum summa in re mecum facientem vidi. Cf. velim Enthoveni p. 32 adn. 2 cum h. l. p. 43 et adn. 1; p. 46 sq. cum h. l. p. 58 adn. 2; p. 56 sq. cum h. l. p. 42 adn. 2.

p. 32 v. 7 lege pendet pro pondet.

p. 57 adn. 3 lege *γάμου* pro *γάμων*.

p. 58 adn. 2 v. 10 lege 661 pro 660.

p. 64 v. 28 lege quod pro quo.

p. 75 v. 12 lege Wecklinius pro Wecklinins.

INDEX LOCORVM
PRAETER PROLOGOS TRACTATORVM

Bacch.	229—230	p. 78 adn. 2
	694	„ 79 „ 1
Hel.	991—995	„ 57 „ 1
El.	417—419	„ 55 „ 1
Heracl.	147 sq.	„ 72 „ 1
	188	„ 80 „ 1
	199—204	„ 14
	229—231	„ 14
	242	„ 73 adn. 1
	299—301	„ 73 „ 1
	307—308	„ 14
	320—328	„ 14
	401	„ 78 adn. 1
	576	„ 14 „ 1
	577—580	„ 14
	631	„ 73 adn. 1
Herc.	73—79	„ 37 sq.
Iph. Taur.	679—680	„ 71 adn. 1
Ion.	800—807	„ 58 „ 2
	948—949	„ 43
	953—962	„ 43 adn. 1
	1428—1429	„ 42 „ 2
Or.	86—87	„ 68
	127	„ 73 adn. 1
	365	„ 79 „ 1
Troad.	429—430	„ 69
	868	„ 48
Dan. fr.	326	„ 19.

Bonnae typis Caroli Georgi univ. typogr.

Ueber den Codex Laurentianus 53, 35, nebst Nachträgen zu den neuesten Forschungen über Ciceros Briefe.

Die gleichzeitig und durchaus unabhängig von einander geführten Untersuchungen von Voigt und Viertel haben für die handschriftliche Ueberlieferung von Ciceros Briefen glänzende und überraschende und, was mehr sagen will, in der Hauptsache unanfechtbare Resultate geliefert. Die am Nächsten betheiligte Seite, die Laurenziana, zögert keinen Augenblick, die Richtigkeit der historischen Beweisführung anzuerkennen. Sie ist in der That reich genug, um den Verlust eines einzelnen Ruhmestitels ohne besonders schmerzliche Empfindungen eingestehen zu können. Es erschien indessen doch angemessen, eine autoptische Nachprüfung vorzunehmen und ich habe daher einige Tage meines hiesigen Aufenthalts, der eigentlich anderen Zwecken gewidmet war, darauf verwendet, wobei ich mich neben der Liebenswürdigkeit Anzianis zum Theil des Beiraths des Herrn Prof. Paoli erfreuen konnte. Trotz der beschränkten Zeit, die mir zu Gebote stand, welche namentlich eine genauere Untersuchung der angeblich petrarchischen Abschrift von Cicero ad familiares verhinderte, ist meine Arbeit nicht ganz ohne Ergebniss geblieben. Die wichtigste Berichtigung, welche ich zu machen habe, bezieht sich auf einen vergleichsweise unbedeutenden Nebenpunkt, wo Voigt wie Viertel bei ihrer sorgfältigen und scharfsinnigen Forschung in die Irre gegangen sind, indem sie geglaubt haben, nach unklaren Aeusserungen Dritter über eine Frage entscheiden zu können, welche nur durch eigene Anschauung beantwortet werden kann. Es handelt sich um den Codex Laurentianus 53, 35 und die Echtheit der darin enthaltenen Autographen des Petrarca.

Voigt argumentirt im Wesentlichen so (Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1879 S. 54 f.): „Dieser

Handschrift muss man schon nach ihrem Inhalte den autographen Charakter abstreiten. Wie entstanden denn überhaupt solche Sammlungen? Es sind entweder Conceptenbücher, in denen der Autor seine Briefe niederschrieb oder er liess die Originale vor der Absendung copiren . . . . . Wie sollte er selbst in einem solchen Falle die Ueberschrift voransetzen: Carmina Petrarchae ad D. Luchinum Vicecomitem, wie sollte er auch Briefe und dichterische Versuche Anderer darin aufgenommen haben! Ueberdies ist der bunte Inhalt des Buches offenbar mit Rücksicht auf die Correggi in Parma und ihren Hof zusammengestellt. Das bemerkte schon Mehus, nicht minder, dass verschiedene Hände bei dem Codex thätig gewesen. Er legte daher gegen Magliabecchi, der die alte Tradition nachgebetet, entschiedenen Widerspruch ein: Ego autem iudico, codicem illum conflatum esse ex variorum manu. Es war nicht ehrlich, dass Bandini diesen Widerspruch unterschlug." Aehnlich lauten die Aeusserungen Viertels (die Wiederauffindung von Ciceros Briefen durch Petrarca S. 18 f. 37 ff.).

So scharfsinnig aber diese Argumentation ist, so beruht sie doch auf einem Fehler. Die Beschreibung des Bandini wie die Ausdrücke des Mehus sind nämlich nicht genau, oder vielmehr, richtig, wie sie sind, kann man sie doch nur verstehen, wenn man den Codex selbst vor sich hat. Auf den wahren Sachverhalt hätte bereits die Beschreibung des Fracassetti hinführen können, der aber wieder seinerseits keine Veranlassung zu haben glaubte, den Befund nach allen Einzelnheiten hin klar darzulegen. Bei Fracassetti heisst es nämlich in 'Petrarcae epistolae de rebus familiaribus et variae' I p. XIV: „Maximi quidem pretii eadem in Bibliotheca Laurentiana Cod. XXXV, Plut. LIII ipsius Petrarcae manu integre conscriptus, quique iam fuit Ludovici Beccadelli Archiep. Ragusini. Constat ex litteris omnibus autographis et in unum volumen redactis, quae papyri plicaturas, subscriptiones, inscriptos titulos, sigilla denique integra proferunt." Und dann sagt er noch einmal in den 'Lettere di Francesco Petrarca' I p. 35 „Cod. XXXV Plut. LIII della Laurenziana di Firenze. Preziosissimo Codice perchè composto di tutte lettere autografe del Petrarca, nelle quali si scorgono egregiamente conservati i titoli ossiano gl'indirizzi delle lettere, le sottoscrizioni, i sigilli, le piegature. — Fu già di Monsignor Lodovico Beccadelli Arcivescovo di Ragusa."

In Wirklichkeit aber liegt die Sache so. Der Codex Laurentianus 53, 35 führt den Namen Codex mit sehr zweifelhaftem Recht. Er besteht nämlich aus einer Reihe grösserer und kleinerer

Stücke beschriebenen und unbeschriebenen Papiers, die vom Buchbinder in äusserst geschickter Weise mit einander verbunden worden sind, so dass man bei oberflächlicher Betrachtung den Eindruck bekommt, als ob man ganze Blätter und zuweilen sogar, als ob man zusammenhängende Bogen vor sich hätte. Die einzelnen Blätter sind bereits früher eingebunden gewesen, worauf der auf der Innenseite des Deckelblattes jetzt eingeklebte Titel, Epłe franc Petrarcę | eius manu exaratę, im Format und mit den Schriftzügen, wie sie sich sonst auf den Codices der Laurenziana finden, hinweist. Dieser Titel stammt offenbar von dem alten Einband. Bei dem neuen Einbinden ist die Reihenfolge der Blätter nicht gewahrt worden, denn das mit 14 bezeichnete Blatt steht vor dem mit 13 bezeichneten. Alles bestand ursprünglich aus einzelnen Briefen und auf einzelne Blätter geschriebenen Gedichten, das Ganze ist vereinigt worden, um eine Art autographischen Albums zu bilden. Von Conceptenbüchern oder zurückbehaltenen Copien von abgesandten Briefen kann nicht die Rede sein, wie das die nachfolgende Beschreibung noch deutlicher erkennen lassen wird. Die Bestandtheile des Codex sind nämlich, wenn man von den modernen weissen Blättern absieht, welche der Buchbinder eingefügt hat, folgende:

1) fol. 1—4, zwei lose, nicht quaternionenartig in einander gelegte Bogen, von einer Hand saec. XIV beschrieben.

Beide Bogen waren gefaltet, etwa in ein solches Format, dass man sie in ein Couvert von gewöhnlicher Postgrösse hätte legen können.

Am obern Rande steht von einer anderen Hand: Carmina petrarce ad d. luchiñū (oder luchinū, bei dem zweifelhaften Lichte in der Laurenziana ist das schwer zu entscheiden) uicecom.

Es folgt dann ein Gedicht mit dem Titel: Ad arbores de quibus partem fructuum sibi suo tempore praeseruari magnificus | Mediolani dominus per lr̄as[1] mandauerat. | Das Gedicht beginnt:

Silua p̄cor generosa ferax per scła tanti.

Es schliesst mit:

Parcere subiectis et debellare superbos.

Es folgt auf derselben Seite:

Ad Brunum florentinum.

Pyerias comites, et plectra sonantia phębi u. s. w.

[1] Ich gebe die Abkürzungen nur da wieder, wo die vom Schreiber gewollte Orthographie zweifelhaft sein kann.

Dies Gedicht schliesst auf fol. 1^u mit:

Ars michi nam gemere est et castigare gementes.

Nach einem freien Zwischenraum, der für mehrere Zeilen ausreichen würde, folgt dann ein Gedicht, beginnend:

Imperiosa situ, uictrici condita dextra.

Dieses schliesst am Ende der Seite mit:

Subdere colla iugo uel poscere federa discat.

Auf fol. 2^r steht ganz oben am Rand, von gleichzeitiger, möglicherweise derselben Hand: in funere matris. Dann folgt, in derselben Höhe, wie die Schrift auf den übrigen Seiten anfängt, ein Gedicht, das beginnt:

Suscipe funereum genitrix sanctissima cantum.

Es schliesst am Ende der Seite mit:

Ac licuit gelidis lacrimas infundere membris.

fol. 2^u beginnt dann, ohne dass der Buchbinder, wie Bandini II p. 625 für möglich hielt, eine Ueberschrift beseitigt hätte, mit:

Est $\overset{i}{m}$ cum nymphis bellum de finibus ingens.

Dieses Gedicht schliesst auf fol. 3^u mit:

Et nemorum gelidas sub apricis uallibus umbras.

Es folgt:

Ad eundem.

Julius alter adest. adeat simul altera limen u. s. w.

Dieses Gedicht schliesst fol. 4^u am Ende des oberen Drittels der Seite mit:

Que tibi pisciculos et rustica carmina pascit.

2) fol. 5 besteht aus einem Brief und war früher in Briefform gefaltet. Ob die Adresse daran war, ist nicht mit Sicherheit zu erkennen, da der freie Raum am unteren Ende von fol. 5^u mit Papier verklebt ist. Doch halte ich es für unwahrscheinlich. Der Brief beginnt: Heu $\overset{i}{m}$. Quid [1] hoc mali accidit [Fracassetti, Epistolae, Var. 19 = Vol. III p. 343]. Die Hand, welche diesen Brief geschrieben hat, bezeichne ich im Folgenden mit P^1.

3) fol. 6. Ein einzelnes Blatt, früher gefaltet. Von anderer Hand, als alles Bisherige. Enthält einen Brief, beginnend IN

[1] So. Die Abschriften des Fracassetti scheinen im Allgemeinen, so weit ich bei flüchtiger Nachprüfung kleiner Stücke erkennen konnte, gut zu sein. Doch nimmt er keine Rücksicht auf die Orthographie und fügt ganz willkürliche Ueberschriften hinzu, z. B. hier: Franciscus Petrarca Modio Parmensi S. P. D.

magno[1] uirtutis erario numeratur non uilis thesaurus. Der Brief schliesst noch auf derselben Seite mit: sub meliore | fato diuina gratia te conseruet. datum mł̄i XVIII Jan. Anzelmus[2] de zuchelis. Auf der Rückseite steht noch die Adresse: INclita[2] uirtute lustrali uiro Mag̃ro Modio ꝑmen̄ | fratri carissimo[2].

4) fol. 7. Ein einzelnes, ehemals gefaltetes Blatt, von dem die erste und zwei Drittheile der zweiten Seite von wieder anderer Hand beschrieben sind und zwar mit einem Gedicht, das in einem Gemisch von Lateinisch, Französisch und einem norditalienischen Dialekt verfasst ist[3]. Es beginnt: Euguzo el corezato tuo matheo salut̄ copiosā. Schliesst: chi naschi de la pulcelle honeste | Data ne lorto de[4] la uirtute[5]. Annis M. iij^{c} qꝛ[6] trented . . . .[7] | Indicion q̣nze. Es folgt freier Raum, ausreichend für zwei Zeilen, dann von anderer Hand: MCCCXLIII die XVI decƀ Bartholom̄s de o . . . . . ƀ (dahinter ein Abkürzungsstrich; die Punkte bedeuten unlesbar gewordene Stellen) scat . . . . . | fecit cartā quo^{o}m Scarpantius de guastalla debet dare d azo)[8] de corigia[2] ex cā mut[9] flor̄ MC.

5) u. 6) fol. 8. Besteht aus zwei nicht zu einander gehörigen, jetzt zusammengeklebten, ehemals gefalteten Briefen. Der erste, von P[1], beginnt: Amatissime Modi perfudisti me stupore [Fracassetti l. c. Var. 46 = III p. 421]. Auf der Rückseite befindet sich folgende Adresse: Modio meo exoptatissimo. und ziemlich weit darunter: .*f*.

Der zweite Brief, gleichfalls von P[1] geschrieben, aber sorgfältiger, beginnt: Tua breuis ac dulcis epistola [Fracassetti l. c. Var. 60 = III p. 472]. Auf der Rückseite die Adresse: Modio meo. amantissimo atque | optimo, darunter, wie bei No. 5, .*f*.

7) fol. 9. Ein ehemals gefaltetes, und auf einer Seite beschriebenes Blatt. Enthält ein Gedicht, von anderer Hand, das die linke Hälfte der Seite einnimmt, beginnend:

---

[1] magno ist nicht ganz sicher, weil das Papier z. Th. abgerieben ist. [2] So. [3] Bei der Untersuchung dieses Blattes hatte ich mich der freundlichen Unterstützung des Herrn Prof. Caix zu erfreuen. [4] d. h. d mit einem Strich dadurch. [5] oder uertute? [6] Was das heisst, weiss Paoli, der gerade in Handschriften aus dieser Zeit grosse Erfahrung besitzt, so wenig als ich. Wir halten es nicht für unmöglich, dass das Zeichen einfach et bedeutet und die seltsame Form durch eine Correctur des Schreibers entstanden ist. [7] Die Punkte bedeuten ein paar verloschene Buchstaben. Die Indiction macht es unmöglich, an ein anderes Jahr als 1332 zu denken. [8] Heisst azoni. [9] Heisst ex causa mutua.

Ad strictura duas stabili compagine gentes
Et fi . . . . . [1] uirgo futura soli.

Rechts daneben stehen von ganz anderer Hand, vielleicht identisch mit der von No. 13, die vier von Bandini II p. 626 abgedruckten Verse (in 8 Zeilen geschrieben):

Post quadraginta nouem post mille | trecenta lieus | u. s. w.

8) u. 9) fol. 10. Besteht aus zwei aneinander geklebten, ehemals gefalteten, Briefen. Der erste beginnt: Legi nomen Modii et m profuit. Er schliesst: Promerui nomen licet ortus stirpe pusilla. Dann nach einem freien Raum, der für etwa vier Zeilen ausreichen würde: Raynaldus de Ingenuo pago.

Auf der Rückseite folgende Adresse:

Sapienti et eloquenti uiro Magro | Modio parmensi in domo dñi azzonis | de Corrigia Mediolañ.

Der zweite Brief, von P [1], beginnt: Amice. deo duce incolumis huc [Fracassetti l. c. Var. 12 = III p. 327]. Ob auf der Rückseite eine Adresse stand, ist nicht mehr zu sehen, da sie verklebt ist. Doch bemerkt man noch die Spur eines Siegels, das auf der Rückseite angebracht war.

10) fol. 11. Brief des Nerius, ehemals gefaltet. Beginnt: Optimo auspicio mane transacto. Schliesst: Et hoc | sit loco ad tuam literam responsiue [2]. Bene uale. | .XV. Martii per tuum Nerium. Auf der Rückseite folgende Adresse: Optimo uiro Modio meo | dillectissimo [2].

11—13) fol. 12. Drei zusammengeklebte, ehemals gefaltete Briefe. Der erste, von P [1], beginnt: Amice optime. Non cogitabam aliquid [Fracassetti l. c. Var. 37 = III p. 400]. Die Adresse auf der Rückseite ist zum Theil verklebt, jetzt noch zu lesen:



[1] Unleserlich. [2] So.

